

ICIA.

S

ONORES

JENENSI

8717
53

S

DICIA.

IS

IONORES

JENENSI

CONTENTS

1. ... Aristophanis de Aeschyli poesi indicia .... Paul Hennig

2. ... Quaestiones Aristophaneae historicae ... Otto Keck

3. ... Quaestiones aristophaneae ... Friedrich Leo

4. ... De Aristophane Euripidis inrisore quaestiones selectae ... Karl Lessing

5. ... De enuntiatorum interrogativorum apud Aristophanem usu ... Theodor Ludwig

ARISTOPHANIS
DE
AESCHYLI POESI IUDICIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE JENENSI

RITE IMPETRANDOS


SCRIPSIT

PAULUS HENNIG,
FRANKENBERGENSIS SAXO.

LIPSIAE,
TYPIS LEOPOLD & BÆR.
MDCCCLXXVIII.

MANIBUS
MAXII PATRIS ET CURTII FRATRIS
CARISSIMORUM
MORTE IMMATURA ABSUMPTORUM

HAS LITTERARUM PRIMITIAS
SACRAS ESSE VULT
AUCTOR.



ARGUMENTUM.

		Pag.
Praefatio		1—3
A. De Aristophane summorum aetatis suae tragicorum iudicia		4 7
B. Aristophanis de Aeschyli poesi iudicia:		
	Caput I. De Aeschyli ingenio iudicia.	
§. 1.	De universo ingenio	7—15
§. 2.	De fabularum compositione	15—18
	Caput II. De Aeschyli elocutione iudicia.	
§. 3.	De universa elocutione	18—28
§. 4.	De prologis iudicia	28 - 33
	Caput III.	
§. 5.	De Aeschyli melica poesi iudicia	33—40
	Caput IV.	
§. 6.	De Aeschyli re scaenica iudicia	40—44
	Caput V.	
§. 7.	De vi et effectu Aeschyli fabularum sive de Aeschylo civium suorum praeceptore	44—50

PRAEFATIO.

Aristophanes ut omnes fere veteris comoediae scriptores ridendo verum dicere studuit. Ea quidem sententia a plurimis hodie probatur neque vero, id quod infra videbimus, ab omnibus viris doctis.

Optimus autem reipublicae status Aristophani is esse videbatur, qui erat tempore pugnae Marathoniae. Recentiora studia contemnebat Aristophanes, immo passim quam acerbissima persecutus est irrisione. Veluti ille Atheniensium cupiditatem litium in Vespis et Cleonem atque omnem illam immoderatam plebis dominationem in Equitibus vexavit, sic etiam Metonem mathematicum in Avium v. 992 ss., Socratem et sophistas in Nubibus, Euripidem, qui sophisticam in tragoedias suas transtulit doctrinam in Ranis.

Ut in hoc ultimo immoremur, tota altera Ranarum pars nihil fere continet nisi Aristophanis de tragoedia iudicia, quae quod adhuc servata sunt, habemus cur litteris gratulemur. Nam sine dubio summus poeta a nullo aptius intellegi et iudicari potest quam ab alio eiusdem auctoritatis poeta, praesertim si fuerit eiusdem fere temporis.

Haud facilem esse materiam tragicorum censuram in comoedia, quae maxime spectaret ad audientium voluptatem, ipse Aristophanes bene sensit, id quod inde apparet, quod, antequam ad ipsum certamen transit, auditorum benevolentiam hoc modo captat Ran. v. 1109—1114:

εἰ δὲ τοῦτο καταφοβεῖσθον, μή τις ἀμαθία προσῇ
τοῖς θεωμένοισιν ὡς τὰ
λεπτὰ μὴ γνῶναι λεγόντοιν,
μηδὲν ὀρρωδεῖτε τοῦθ᾽· ὡς οὐκ ἔθ᾽ οὕτω ταῦτ᾽ ἔχει
ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι
βιβλίον τ᾽ ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά.

Comicus quidem ingeniosissime utrique rationi consulebat ob eamque rem accepit palmam. At quo ingeniosius ille res diversas coniunxit, eo difficilius nobis est denuo eas secernere et Aristophanis de tragicis iudicia ad artem praeceptaque revocare. Cf. Welckeri Aristoph. Ran. p. 245: 'Ich wage es nicht, die ansichten des Aristophanes von der tragischen kunst in klaren worten zu entwickeln, aus der verwirrung des scherzes zu systematisiren und aus dem gegebenen hypothetisch zu ergänzen u. s. w.'

Attamen philologi temporum recentiorum eam difficultatem minime extimuerunt: permulti de eadem re scripti sunt libelli, quorum ex numero nomino Joannis Petersii dissertationem, quae inscribitur: Aristophanis iudicium de summis suae aetatis tragicis, Monasterii 1858. 8. pp. 77.

Qui tamen libri omnes fere tractant praecipue de Euripidis poesi iudicium Aristophanis. Nullum repperi libellum, qui potissimum eum locum tractaret, quaenam Aristophanes de Aeschyli poesi fecisset iudicia. Operae autem pretium est de Aeschylo quoque iudicia componere et examinare ita quidem, ut Euripides non magis respiciatur quam est necesse.

Quod cum iam ego sim suscepturus, non ignoro eius rei difficultatem, sed tamen animo forti aggrediar rem, ut quomodo aptissime Aristophanis de Aeschylo iudicia componi possint inveniam, quod bonum felix faustum fortunatumque sit.

Ac primum quidem, quo magis ea, quae mihi proposita sunt, illustrentur, quaestionem instituam, quomodo omnino Aristophanes summos aetatis suae iudicaverit tragicos. Quod autem attinet ad Aristophanis de Aeschyli poesi iudicia,

quinque potissimum, cum agatur de poeta scaenico, secernendi esse videbantur loci.

Primus erit fabulae inventio, quod spectat ad **ingenium** alter **oratio**, *λέξις*, tum sequitur **musica**, *μελοποιία*, deinde apparatus scaenicus, *ὁ τῆς ὄψεως κόσμος, ὄψις*. Secernuntur igitur iudicia de poetae ingenio, elocutione, melica poesi, apparatu scaenico. Huc accedent quinto loco de vi et effectu tragoediarum iudicia.

Disseram igitur deinceps:

A. De Aristophane summorum aetatis suae tragicorum iudice.
B. Aristophanis de Aeschyli poesi iudicia:

Caput I.
De Aeschyli ingenio iudicia.
§. 1. De universo ingenio.
§. 2. De fabularum compositione.

Caput II.
De Aeschyli elocutione iudicia.
§. 3. De universa elocutione.
§. 4. De prologis singulariter.

Caput III.
§. 5. De Aeschyli melica poesi iudicia.

Caput IV.
§. 6. De Aeschyli apparatu scaenico iudicia.

Caput V.
§. 7. De Aeschyli tragoediarum vi et effectu sive de Aeschylo civium suorum praeceptore iudicia.

A.

De Aristophane summorum aetatis suae tragicorum iudice.

Priusquam singula Aristophanis de Aeschylo iudicia compono, disserendum erit omnino de eius censura summorum aetatis suae tragicorum, de qua diversissime est iudicatum atque etiamnunc iudicatur.

Ac prioribus quidem temporibus usque ad Aug. Guil. Schlegelium, qui primus inter recentiores prorsus assentitur Aristophani, illius de tragicis iudicium neglectum et reiectum est, quippe cum omnes viri docti Euripidis tragoedias pluris aestimarent quam Aeschyli poesim. Nuper plerique contrariam sententiam amplexi sunt veluti Hermannus — sine dubio hac in re nimius —, qui adnotavit ad Euripidis Hecubam — v. 760 — se unam Aeschyli vel Sophoclis tragoediam compensaturum esse cum omnibus fabulis Euripideis.

Schlegelium quidem cum Hermanno omnes fere sunt secuti viri docti, inter quos nomino Welckerum, Odofredum et Eduardum Mülleros, Bernhardyum, Ritschelium. Qui viri docti, quibus ego quoque assentior, Aristophanem suo iure Euripidis irrisisse fabulas censent, quae et artem tragicam corruperint et civium mores.

Contra Droysenus — cf. eiusdem interpretationem operum Aristophanis tom. 3. p. 398 — Aristophanem de Euripide minime sine ira et studio, sed quam cupidissime iudicavisse censet et laudi tribuit Euripidi — cf. l. l. 3. p. 399 s. —, quod primus ille ac de industria corrupit anti-

quam Atheniensium disciplinam. At si re vera Euripides fuisset sapiens ille qui fertur, antiquae disciplinae pepercisset, cum novam substituere nequiret.

Item Hartungius, qui Aristophanis nonnumquam impendio defendebat Euripidem, inter alia — cf. Euripidis restituti tomi 1. p. 326 initio — Aristophanem sapientibus Euripideis in mendicos mutatis efficere studuisse censet, ne qua usquam virtutis probitatisque species in illius scriptis inesse videretur.

Verum rectissime iudicavit Aristophanes, qui sapientes illos Euripidis eorumque doctrinam irridet sophisticam, cf. Ran. 101. 1471. 1475. Thesm. 275. Quam maxime autem miror, si Hartungio probatur, quod Euripides multitudini iam per se corruptae in Aeolo famosam illam praecepit sententiam fragm. 19. ap. Dind.:

τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

et Hippolyti illud — v. 612. —:

ἡ γλῶττ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Cf. Plat. Theaetet. 154 D. Sympos. 199 A. Athen. 3, 122 B. Cic. Off. 3, 29, 108.

Quibus in sententiis conexus haud satis excusabit Euripidem, raro enim, qui eius modi abutitur sententiis, sententiarum respicit conexum. Quod ita esse vel inde apparet, quod earum sententiarum altera conservata est fragmentum conexu carens. Id autem Hartungium minime impedit, quominus, quicunque cum Aristophane illas non probant Euripidis sententias, appellet homines vecordes — cf. l. l. 1, p. 408 s. — ineruditos, superstitiosos, feros — cf. l. l. 1, p. 325 s. — alienissimos ab illa Euripidis sapientia christianis convenientissima, 'qua personae Euripideae fere ubique abutantur ad insidias et ad cognatorum civiumque incommoda.'

Euripidem quidem Aristophanes in omnibus fere comoediis plus minusve facetiis perstrinxit acerbissimis. Aeschyli vero exceptis Ranis rarissime apud Aristophanem fit mentio, et ubi fit ad cognoscendum Aristophanis iudicium de Aeschylo

plerumque velut Thesm. 134—143, Aves 807/8., Nub. 534. levis vel nullius est momenti. Ranae igitur potissimum mihi sunt tractandae adiectis paucis, quos ex ceteris fabulis Aristophaneis deprompsi, locis.

Docuit autem Aristophanes Ranas paucis mensibus post Atheniensium victoriam apud Arginusas reportatam, gravissima apud Aegos flumen clade nondum accepta, Callia archonte, Lenaeis Gamelione mense i. e. Januario anni a. Chr. n. 405.

Quod autem attinet ad aetatem tragicorum trium, paulo antequam in scaenam Ranae sunt productae, Euripides erat mortuus ac brevi post eum Sophocles. Perierant igitur summi tragici omnes, qua re factum est, ut poetae comici, qui libentissime etiam de vivis aequalibus se exprompserant, eo ipso tempore, quis esset summus poetarum tragicorum, instituerent quaestionem. Verum Aristophanem alia quoque causa permovit ut hoc faceret. Multis enim Atheniensibus illis temporibus Euripides carior acceptiorque fuit quam Aeschylus et Sophocles, id quod aegre ferebat Aristophanes, cum cognitum haberet, quantopere illa poesis reipublicae esset perniciei. Quod ut doceret civiumque suorum corrigeret et emendaret iudicia, tragicorum finxit certamen in Ranis.

Felicissime autem Aristophanes excogitavit id certamen, neque enim ut Phrynichus in Musis, quae eodem Lenaeorum die quo Ranae in scaenam sunt productae idemque tractant argumentum, Euripidi opposuit Sophoclem, sed Aeschylum tamquam verae artis tragicae exemplar. Aeschyli enim musa paene nimis est aspera et dura, nimis mollis et soluta Euripidis. Sophocles autem auream illam tenet mediocritatem, quae est inter nimium et parum et reconciliat res contrarias. Cf. Theogn. 335. Aristot. Eth. Nic. 2, 6. Hor. Epist. 1, 18, 9. Itaque sine dubio minus efficax fuit Sophoclis quam Aeschyli comparatio, quam sententiam Aristophanes pulcherrime sic pronuntiavit Ran. v. 82.:

ὁ δ' εὔκολος μὲν ἐνθάδ', εὔκολος δ' ἐκεῖ.

Praeter eum locum cf. Ran. v. 788—794. 1516. Aeschylus autem, cum maxime floreret et religione et austeritate et gravitate et acerbitate et superbia, Euripidis erat adversarius aptissimus; cf. Welckeri Aristoph. Ran. p. 256 ss., ubi pluribus verbis de ea re agitur.

His praemissis videamus iam, quo modo Aristophanes Aeschylum opposuerit Euripidi, et singula eius de Aeschylo iudicia componamus et examinemus.

B.

Aristophanis de Aeschyli poesi iudicia.

Caput I.

De Aeschyli ingenio iudicia.

§. 1. De universo ingenio.

Cum omnino summo quidem Aristophanes Aeschylum amplectitur amore, tum ideo summa effert laude, quod eius tragoediis virtus firmitasque animi docentur, servantur opinio deorum et tota Atheniensium disciplina antiqua.

Quin etiam de dicendi genere inter se quam maxime consentire videntur Aeschylus et Aristophanes, nam quae in Pacis parabasi v. 749 s. ed. Bergk. de se facit verba Aristophanes, aptissima sunt ad Aeschyli quoque genus dicendi illustrandum:

ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ' οἰκοδομήσας
ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις κτλ.

Quem ad locum cf. Ran. 1004., ubi chorus Aeschylum sic appellat:

ἀλλ', ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ
κτλ.

Attamen in aliis rebus erat diversus alter poeta ab altero, nam — omissis morum dissimilitudine aliisque eiusmodi rebus — Aeschylus incitat ad bellum, pacem suadet Aristophanes. Itaque verisimillimum est, futurum fuisse, ut Aeschylus, si eisdem quibus Aristophanes fuisset temporibus *δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεστόν*..., cf. Ran. 1021., ab hoc non minus inclementer irrisus esset quam Lamachus, pacis adversarius, in Acharnensibus et Pace, quem mortuum laudat Aristophanes ut virum fortem patriaeque amantem Thesm. 841. Ran. 1039.

Item autem atque Lamachi Aeschyli quoque animus bellicosus illo tempore periculosus esse desiit, cum poesis Aeschylea, postquam Sophocles et Euripides docuerunt fabulas, Atheniensibus videretur iam paene obsoleta.

Itaque nihil impedivit Aristophanem, quo minus civibus suis Aeschylum quasi lumen patriae amoris, virtutis probitatisque antiquae proponeret. Quod quomodo fecerit iam ipsius verbis allatis videamus.

Ac primum quidem comicus poeta Aeschylo solium tragicum tribuens Aeacum haec loquentem fingit verba Ran. 769:

ἐκεῖνος (i. e. Aesch.) *εἶχε τὸν τραγῳδικὸν θρόνον*
ὡς ὢν κράτιστος τὴν τέχνην.

Suo iure igitur Aeschylus solium possedit, Euripides autem v. 776 *ἐπαρθεὶς ἀντελάβετο τοῦ θρόνου*, ut Xanthias interroget v. 777 *κοὐκ ἐβάλλετο;* sc. lapidibus. Optimus autem quisque sine ulla dubitatione thronum concedit Aeschylo neque quisquam nisi perditi tantum et nequam homines — v. 781 *ὁ τῶν πανούργων* (*δῆμος*) — Aeschylum cum Euripide de artis principatu certare clamore sublato iubet. Boni autem improborum scelestorumque vincuntur suffragiis, nam v. 783 *ὀλίγον τὸ χρηστόν ἐστιν, ὥσπερ ἐνθάδε.*

Inde Atheniensium quoque longe maxima pars, quae adest spectaculo, in improborum habetur numero, quod Euripidem praefert Aeschylo.

Deinde Xanthiae, qui quaerit ex Aeaco, soliumne petierit etiam Sophocles, respondentur haec v. 787 ss.:

μὰ Δί' οὐκ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἔκυσε μὲν Αἰσχύλον,
ὅτε δὴ κατῆλθε, κἀνέβαλε τὴν δεξιάν,
κἀκεῖνος ὑπεχώρησεν αὐτῷ τοῦ θρόνου·
νυνὶ δ' ἔμελλεν, ὡς ἔφη Κλειδημίδης,
ἔφεδρος καθεδεῖσθαι· κἂν μὲν Αἰσχύλος κρατῇ,
ἕξειν κατὰ χώραν· εἰ δὲ μή, περὶ τῆς τέχνης
διαγωνιεῖσθ' ἔφασκε πρός γ' Εὐριπίδην.

Sophocles igitur libentissime principatum concedit Aeschylo, Euripidi denegat, atque etiam tertiarius (futurus successor) vult sedere, ut Aeschylo superato ipse de arte certare possit cum Euripide. Quod Sophoclis iudicium summi est momenti, quippe quo, priusquam coeptum est, certamen diiudicetur. Sophoclis videlicet summi tragici auctoritatem omnes sequi necesse est.

Difficile autem est creare artis iudicem, cum ne Athenienses quidem, ingeniosissimus ille populus, Aeschylo iudices iusti sint visi, ac tantum afuerit, ut cum his ille consentiret, ut multos inter eos esse putaret 'perfossores parietum' v. 807 s.:

Αἰακός.
οὔτε γὰρ Ἀθηναίοισι συνέβαιν' Αἰσχύλος.
Ξανθίας.
πολλοὺς ἴσως ἐνόμιζε τοὺς τοιχωρύχους.

Verum ceteros praeter Athenienses nihil nisi nugatores esse in dignoscendis poetarum ingeniis, censet, cf. Aeaci verba v. 809 s.:

λῆρόν τε τἄλλ' ἡγεῖτο τοῦ γνῶναι πέρι
φύσεις ποιητῶν.

Itaque solus Bacchus ipse, summus artis scaenicae arbiter, aptus est ad diiudicandum. Quae fictio est felicissima, nam Bacchus repraesentat Atheniensium populum, qui hoc modo multo facilius potuit irrideri ideo, quod admiratus et consectatus erat Euripidem. Atque etiam ad Aeschyli in-

genium, qui neminem agnoscit iudicem nisi deum, ea optio maxime respondet.

Tum comicus saepius demonstrat impetum Aeschyli atque iracundiam. Ut Xanthias, postquam Aeacus v. 802 narravit Euripidem tragoedias Aeschyli examinaturum esse ad verbum, haec censet v. 803:

ἦ που βαρέως οἶμαι τὸν Αἰσχύλον φέρειν.

Cui sententiae Aeacus sic assentitur v. 804.:

ἔβλεψε γοῦν ταυρηδὸν ἐγκύψας κάτω.

Aegerrime igitur fert Aeschylus artem tragicam tam minute et indigne iri tractatum, truci vultu est capite in terram demisso tauri instar parati ad pugnam.

Item chorus de Aeschylo v. 814—817 haec censet:

ἦ που δεινὸν ἐριβρεμέτας χόλον ἔνδοθεν ἕξει,
ἡνίκ' ἂν ὀξύλαλον παρίδῃ θήγοντος ὀδόντα
ἀντιτέχνου· τότε δὴ μανίας ὑπὸ δεινῆς
ὄμματα στροβήσεται.

Horrendam iram hic comicus tribuit Aeschylo, ut inflammatus distorqueat oculos; quin etiam comparatur Aeschylus cum ipso Jove, deorum principe, qui idem appellatur *ἐριβρεμέτης* Il. 13, 624:

οὐδέ τι θυμῷ
Ζηνὸς ἐριβρεμέτεω χαλεπὴν ἐδδείσατε μῆνιν.

Ac re vera Aeschylus in fabulis videtur esse quasi Juppiter tonans.

Tum v. 843, postquam Aeschylus Euripidem, quem v. 840 filium rusticae divae — *ὦ καὶ τῆς ἀρουραίας θεοῦ* — appellat, irrisit, Bacchus eum sic delenire studet:

παῦ Αἰσχύλε,
καὶ μὴ πρὸς ὀργὴν σπλάγχνα θερμήνῃς κότῳ.

Neque vero Aeschylus potest placari et denuo Euripidem increpat maledictis, ut Bacchus Aeschyli iracundiam cum turbine comparet his verbis v. 847 s.:

ἄρν' ἄρνα μέλανα, παῖδες ἐξενέγκατε·
τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Quae exclamatio minime *καθ' ὑπερβολήν* est dicta. nam summi impetus animi Aechylus fuisse videtur: Septem adversus Thebas exempli causa si legimus, semper in turbine ac tumultu versari nobis videmur.

Nigram inde pecudem petit Bacchus, quod atris tempestatibus item ac deis inferis numinibusque marinis nigrae. tempestatibus serenis mactabantur hostiae albae, cf. Verg. Aen. 3, 118 ss.:

meritos aris mactavit honores,
taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Cum vero etiam tum pergat Aeschylus invehi in Euripidem, Bacchus eum his admonet verbis v. 851—859:

ἐπίσχες οὗτος, ὦ πολυτίμητ' Αἰσχύλε.
ἀπὸ τῶν χαλαζῶν δ', ὦ πονήρ' Εὐριπίδη,
ἄναγε σεαυτὸν ἐκποδών, εἰ σωφρονεῖς,
ἵνα μὴ κεφαλαίῳ τὸν κρόταφόν σου ῥήματι
θενὼν ὑπ' ὀργῆς ἐκχέῃ τὸν Τήλεφον·
σὺ δὲ μὴ πρὸς ὀργήν, Αἰσχύλ', ἀλλὰ πρᾳόνως
ἔλεγχ', ἐλέγχου· λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
ἄνδρας ποιητὰς ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.
σὺ δ' εὐθὺς ὥσπερ πρῖνος ἐμπρησθεὶς βοᾷς.

Recte quidem Aeschyli impetus comparatur cum grandine, neque vero Aeschylus Euripidi conviciabatur tamquam mulier quae panem vendit, cum v. 849 s. Euripidis ars potissimum vituperetur. Putandum igitur est extremam eius admonitionis partem risus movendi causa a comico esse appositam.

Tum Aeschylus a choro sic admonetur v. 992—1004:

τάδε μὲν λεύσσεις, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ·
σὺ δὲ τί, φέρε, πρὸς ταῦτα λέξεις;
μόνον ὅπως . . .
μή σ' ὁ θυμὸς ἁρπάσας
ἐκτὸς οἴσει τῶν ἐλαῶν·
δεινὰ γὰρ κατηγόρηκεν.

ἀλλ' ὅπως, ὦ γεννάδα,
μὴ πρὸς ὀργὴν ἀντιλέξεις,
ἀλλὰ συστείλας ἄκροισι
χρώμενος τοῖς ἱστίοις
εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις
καὶ φυλάξεις,
ἡνίκ' ἂν τὸ πνεῦμα λεῖον
καὶ καθεστηκὸς λάβῃς.

Versus 992 est Aeschyli Myrmidonum initium. Quo laudato tamen versu Aeschylus non irridetur, sed laude effertur, cum Achillis appelletur nomine tamquam infra v. 997 verbo '*ὦ γεννάδα.*' Monetur autem Aeschylus, ne impetu abreptus feratur extra oleas. Huc altera accedit imago, qua Aeschyli iracundia denuo comparatur cum tempestate, in qua contractis velis navem gubernari oportet.

Denique v. 1020 Bacchus adhortatur Aeschylum his verbis:

Αἰσχύλε, λέξον, μηδ' αὐθαδῶς σεμνυνόμενος χαλέπαινε.

Quo loco tribus verbis gravissimis: *αὐθαδῶς σεμνυνόμενος χαλέπαινε* comicus Aeschyli pingit atrocitatem et superbiam.

Verum pium quoque et religiosum Aeschyli animum describit comicus, nam Aeschylum deam patriam sic fingit precantem v. 886 s.:

Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.

A qua Aeschyli pietate quam maxime discrepat frigus Euripidis, qui novos deos sibi fingit Aëra, Aethera, Nubes, cf. Ar. Nub. 264 s.

Scholiasta ad hunc quem modo attulimus locum adnotavit: *ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἔπος Αἰσχύλου,* quae tamen verba a quattuor absunt libris optimis et a Welckero l. l. p. 161 pro coniectura habentur superflua. Fritzschius autem sequitur scholiastam et censet hosce versus initium fuisse Aeschyli fabulae quae inscribebatur *Ἐλευσίνιοι.* Quod quidem esse potest neque tamen demonstrari. Simile quiddam praebet Ranarum quem supra attuli v. 992: *τάδε μὲν λεύσσεις κτλ.*, quibus a verbis Aeschyli Myrmidones initium cepisse constat. Verum etiam omissa illa scholiastae adnotatione sollemnis Aeschyli precatio satis potest explicari, cum oriundus fuerit Aeschylus ex Eleusinio pago et ipse initiatus Eleusiniis mysteriis.

Tum tribus locis comicus de Aeschylo profert iudicia aperta et nuda. Quorum primum Bacchi verbis continetur his v. 1411—1413:

ἄνδρες φίλοι, κἀγὼ μὲν αὐτοὺς οὐ κρινῶ,
οὐ γὰρ δι' ἔχθρας οὐδετέρῳ γενήσομαι.
τὸν μὲν γὰρ ἡγοῦμαι σοφόν, τῷ δ' ἥδομαι.

Euripidem igitur sapere Bacchus iudicat, delectatur Aeschylo. Cum vero alias comicus eam Euripidis sapientiam minime laudet, Aeschylum potius quam Euripidem hic praedicari apparet.

Non est praetereundus hic de scriptura eius loci scrupulus. Secundum Seagerum enim scribitur v. 1411 *ἄνδρες* pro *ἄνδρες*, ut sit intellegendum 'viri (mihi sunt) cari, neque (ea de re) eos iudicabo i. e. quod viri mihi sunt cari, eos non iudicabo. Quae sententia, qualis nunc fertur, me iudice duabus de causis languet.

Primum enim, cum verbum auxiliare desit, haud bene dativus '*ἐμοί*' omittitur.

Tum vero verbis *ἄνδρες φίλοι* — quod modo vidimus — continetur causa, cur Bacchus de poetis nolit iudicare. Sed ea causa infra quoque v. 1412 s. verbis *οὐ γὰρ κτλ.* affertur. Ergo, si *ἄνδρες* scribitur, altera argumentatio antecedit verbis *οὐ κρινῶ*, altera sequitur, quod vix ferri potest.

Commendaverim igitur scripturam *ἄνδρες φίλοι*, quibus verbis appellantur a Baccho inferi, qui adsunt iudicio et v. 811 commiserunt — *ἐπέτρεψαν* — diiudicationem Baccho. Quod si probatur, hic versus sic fere est explanandus: viri carissimi, permisistis causam arbitrio meo. Verum ne ego

quidem — *κἀγὼ* —, qui ipse summus tragoediae sum arbiter, eos iudicabo, neque enim eqs.

Altero loco laudatur Aeschylus Acharn. v. 9—11, ubi Dicaeopolis haec loquitur:

ἀλλ' ὠδυνήθην ἕτερον αὖ τραγῳδικόν,
ὅτε δὴ 'κεχήνη προςδοκῶν τὸν Αἰσχύλον,
ὁ δ' ἀνεῖπεν εἴσαγ', ὦ Θέογνι, τὸν χορόν.

Fabulae Aeschyli, qui iam triginta annis ante mortuus erat, exspectantur ore hiante, languidus poeta spernitur Theognis, qui Xenophonte et Lysia auctoribus fuit unus ex triginta tyrannis. Tragicus autem Theognis minime tam clarus fuit quam Aeschylus, ut vix opus sit dicere Dicaeopolim recte iudicasse.

Tertius locus est fragmentum 204 apud Dindorfium, quod depromptum est ex Aristophanis comoedia, cui titulus fuit *Γηρυτάδης*, et apud Athenaeum 8 p. 365 b sic traditur:

Ἐν τοῖσι συνδείπνοις ἐπαινῶν Αἰσχύλον.

Quod est latine 'inter cenam (s. cenans) laudans Aeschylum'. Frid. Schoellius quidem — cf. Ritschelii Aesch. Septem adversus Thebas p. 14 — interpretatur ea verba hoc modo: cenantem laudans Aeschylum. Utra sit rectior interpretatio diiudicari non potest, cum desit conexus sententiarum.

Denique comicus Aeschyli poesim fore immortalem his vaticinatus est verbis Ran. 866 ss.:

Αἰσχύλος.
ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε·
οὐκ ἐξ ἴσου γάρ ἐστιν ἀγὼν νῷν.
Διόνυσος.
τί δαί;
Αἰσχύλος.
ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι·
τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν.

Lepidissimae sunt facetiae, 'non ex aequo esse certamen, cum Aeschyli poesis non interierit cum auctore, Euripidis

una cum poeta interierit. Unde illi, cum in Orco praesto sint fabulae ad manum, quae recitet in promptu esse futura.'

Verum posteritas minime re comprobavit hoc facete dictum. Nam summi ei tragici etiamnunc vivunt ambo. Quin etiam 'miserrimi' illius Euripidis poesi tempus edax rerum multo magis fuit propitium quam Aeschylo ab Aristophane adeo praedicato; huius enim septem tantum tulerunt aetatem fabulae, illius autem undeviginti.

§. 2. De Aeschyli fabularum compositione.

Solet Aeschylo crimini dari actionis in tragoediis eius exilitas et quod carmina chorica sunt longiora. Justa est ea vituperatio: neque tamen in culpa est Aeschylus.

Primus enim Aeschylus docuit fabulas, et poetae, qui ante eum fabulas condere erant conati: Thespis, Choerilus, Phrynichus, Pratinas, potius lyrici quam tragici sunt appellandi. Usque ad Aeschylum tragoediae ex chori canticis potissimum consistebant, unus tantum actor tragicus, qui his choris erat additus, breviter exponebat res. Aeschylus altero introducto histrione instituit diverbium, quod apud poetas antiquiores esse non potuerat nisi inter histrionem et coryphaeum vel utriusque hemichorii ducem; quo facto Aeschylus aliquantum resecuit carmina chorica, cf. Aristot. Poet. 4, 13. *καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν, τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς.* Qua re Aeschylum tragoediae patrem esse appellandum omnes consentiunt; exempli causa pro multis unum nomino Quintilianum, qui Institut. Orat. 10, 1, 66 tragoedias primum in lucem Aeschylum protulisse censuit.

Jam ipsius Aeschyli temporibus Sophocles tertium adiunxit histrionem ac plus etiam chori cantus imminuit. Multo magis ultra autem progressus est Euripides, qui novam aperiens viam plane descivit a tragoedia antiqua. Quid

igitur mirum, quod Aristophanis temporibus Aeschyli carmina chorica nimis luxuriosa sunt visa Atheniensibus et languida omnesque fabulae inopes varietatis?

Contra, antequam Sophocles docuit fabulas, Aeschyli tragoedias quam maxime admirabantur Athenienses neque cuiquam earum simplicitas fuit offensioni. Quod si respexerimus, et Aeschylo quae ei debentur tribuemus et Aristophani, cuius verba ipsa iam afferam.

Certamine quidem ineunte Euripides de Aeschylo haec facit verba v. 908 ss.:

τοῦτον δὲ πρῶτ᾽ ἐλέγξω,
ὡς ἦν ἀλαζὼν καὶ φέναξ, οἵοις τε τοὺς θεατὰς
ἐξηπάτα μώρους λαβὼν παρὰ Φρυνίχῳ τραφέντας.
πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα τιν᾽ ἂν καθῖσεν ἐγκαλύψας
᾽Αχιλλέα τιν᾽ ἢ Νιόβην, τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς,
πρόσχημα τῆς τραγῳδίας, γρύζοντας οὐδὲ τουτί.

Διόνυσος.
μὰ τὸν Δί᾽, οὐ δῆθ᾽.

Εὐριπίδης.
ὁ δὲ χορός γ᾽ ἤρειδεν ὁρμαθοὺς ἂν
μελῶν ἐφεξῆς τέτταρας ξυνεχῶς ἄν· οἱ δ᾽ ἐσίγων.

Διόνυσος.
ἐγὼ δ᾽ ἔχαιρον τῇ σιωπῇ, καί με τοῦτ᾽ ἔτερπεν
οὐχ ἧττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες.

Εὐριπίδης.
ἠλίθιος γὰρ ἦσθα,
σάφ᾽ ἴσθι.

Διόνυσος.
κἀμαυτῷ δοκῶ. τί δὲ ταῦτ᾽ ἔδρασ᾽ ὁ δεῖνα;

Εὐριπίδης.
ὑπ᾽ ἀλαζονείας, ἵν᾽ ὁ θεατὴς προσδοκῶν καθῆτο,
ὁπόθ᾽ ἡ Νιόβη τι φθέγξεται· τὸ δρᾶμα δ᾽ ἂν διῄει.

Διόνυσος.
ὢ παμπόνηρος, οἷ᾽ ἄρ᾽ ἐφενακιζόμην ὑπ᾽ αὐτοῦ.
τί σκορδινᾷ καὶ δυσφορεῖς;

Εὐριπίδης.
ὅτι αὐτὸν ἐξελέγχω.
κἄπειτ᾽ ἐπειδὴ ταῦτα ληρήσειε καὶ τὸ δρᾶμα
ἤδη μεσοίη, ῥήματ᾽ ἂν βόεια δώδεκ᾽ εἶπεν κτλ.

Cum hac Aristophanis de Aeschyli fabularum compositione sententia, ut comparari possint, duos Vitae Aeschyli locos — cf. Dind. poet. scaen. p. 2 v. 21—31 et p. 3 v. 78—87 — compono, ubi de eadem re optime disseruntur haec: *αἵ τε διαθέσεις τῶν δραμάτων οὐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέροις· μόνον γὰρ ζηλοῖ τὸ βάρος περιτιθέναι τοῖς προσώποις, ἀρχαῖον εἶναι κρίνων τοῦτο τὸ μέρος, μεγαλοπρεπές τε καὶ ἡρωικόν, τὸ δὲ πανοῦργον, κομψοπρεπές τε καὶ γνωμολογικὸν ἀλλότριον τῆς τραγῳδίας ἡγούμενος. ὥστε διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων κωμῳδεῖται παρὰ ᾽Αριστοφάνους (Βατρ. 911). ἐν μὲν γὰρ τῇ Νιόβῃ Νιόβη ἕως τρίτου μέρους ἐπικαθημένη τῷ τάφῳ τῶν παίδων οὐδὲν φθέγγεται ἐγκεκαλυμμένη· ἔν τε τοῖς Ἕκτορος λύτροις ᾽Αχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται, πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα.*

Alter autem Vitae Aeschyli locus hic est: *τὸ δ᾽ ἁπλοῦν τῆς δραματοποιίας, εἰ μέν τις πρὸς τοὺς μετ᾽ αὐτὸν λογίζοιτο, φαῦλον ἂν ἐκλαμβάνοι καὶ ἀπραγμάτευτον, εἰ δὲ πρὸς τοὺς ἀνωτέρω, θαυμάσειε τῆς ἐπινοίας τὸν ποιητὴν καὶ τῆς εὑρέσεως.*

Ὅτῳ δὲ δοκεῖ τελεώτερος τραγῳδίας ποιητὴς Σοφοκλῆς γεγονέναι, ὀρθῶς μὲν δοκεῖ, λογιζέσθω δ᾽ ὅτι πολλῷ χαλεπώτερον ἦν ἐπὶ Θέσπιδι, Φρυνίχῳ καὶ Χοιρίλῳ εἰς τοσόνδε μεγέθους τὴν τραγῳδίαν προαγαγεῖν ἢ ἐπὶ Αἰσχύλῳ εἰπόντα εἰς τὴν Σοφοκλέους ἐλθεῖν τελειότητα.

Uterque igitur, et Aristophanes et qui Aeschyli composuit vitam, Aeschylum suffecisse censent aequalibus. Huc enim spectat, quod Bacchus dicit v. 916 s. gavisum se esse Aeschylearum personarum silentio ipsumque illud illis temporibus non minus delectasse, quam si Euripideae personae

Aristophanis temporibus loquantur. Postea autem Bacchus Euripidi in eo assentitur, quod Ranarum temporibus quod attinet ad fabularum dispositionem Aeschylus comparatus cum poetis posterioribus re vera discedebat fere inferior. Optime autem de ea disseruit re Bernhardyus litter. gr. 2, 262 (247).

Caput II.

De Aeschyli elocutione iudicia.

§. 3. De universa elocutione.

Aristophanes Aeschyli dictionis granditatem potissimum premit atque passim etiam (Ran. 926 s. 930 ss.) obscuritatem asperitatemque (Ar. frg. 526). Idem recurrit in omnibus fere locis, quibus Aeschyli elocutionis mentio fit, quos ideo iam componam.

Ac primum quidem Aristophanes chorum, priusquam certamen commissum est, haec dicentem finxit Ran. v. 818—829:

ἔσται δ' ἱππολόφων τε λόγων κορυθαίολα νείκη
σκινδαλάμων τε παραξόνια σμιλεύματά τ' ἔργων
φωτὸς ἀμυνομένου φρενοτέκτονος ἀνδρὸς
ῥήμαθ' ἱπποβάμονα.
φρίξας δ' αὐτοκόμου λοφιᾶς λασιαύχενα χαίτην
δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων, βρυχώμενος ἥσει
ῥήματα γομφοπαγῆ, πιναχηδὸν ἀποσπῶν
γηγενεῖ φυσήματι·
ἔνθεν δὴ στοματουργὸς ἐπῶν βασανίστρια λίσπη
γλῶσσ' ἀνελισσομένη, φθονεροὺς κινοῦσα χαλινούς,
ῥήματα δαιομένη καταλεπτολογήσει
πνευμόνων πολὺν πόνον.

Quam ingeniosissime et verissime his versibus imitando effingitur Aeschyli verborum gravitas. Tribuuntur autem Aeschylo verba alte cristata (v. 818. *ἱππόλοφοι λόγοι*), quae equo invehantur v. 821., verba compaginata v. 824., quae tanquam tabulae revellantur giganteo spiritu v. 825., pulmonum labor plurimus v. 829.

Deinde v. 833 s. Euripides de Aeschylo haec censet:

ἀποσεμνυνεῖται πρῶτον, ἅπερ ἑκάστοτε
ἐν ταῖς τραγῳδίαισιν ἐτερατεύετο.

Praestigiator qui in fabulis loquatur monstra verborum appellatur hoc loco Aeschylus. Quod tamen opprobrium nimis durum esse videtur Baccho, a quo v. 835., ne loquatur immodice, admonetur Euripides. Quae res respicienda est, ut recte intellegatur Aristophanis sententia.

Euripides autem sic pergit v. 836:

ἐγῷδα τοῦτον καὶ διέσκεμμαι πάλαι,
ἄνθρωπον ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον,
ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατές, ἀθύρωτον στόμα,
ἀπεριλάλητον, κομποφακελορρήμονα.

Praeter verborum gravitatem, quam perbene imitatur in fine verbo *κομπο-φακελο-ρρήμων* i. e. 'turgida verba cumulatim fundens' Aristophanes, superbia quoque praedicatur Aeschyli, qui v. 837 *αὐθαδόστομος* appellatur.

Tum v. 851 ss. Aeschylus, qui invehitur in Euripidem, a Baccho his interrumpitur versibus:

ἐπίσχες οὗτος, ὦ πολυτίμητ' Αἰσχύλε.
ἀπὸ τῶν χαλαζῶν δ', ὦ πονήρ' Εὐριπίδη,
ἄναγε σεαυτὸν ἐκποδών, εἰ σωφρονεῖς,
ἵνα μὴ κεφαλαίῳ τὸν κρόταφόν σου ῥήματι
θενὼν ὑπ' ὀργῆς ἐκχέῃ τὸν Τήλεφον.

Quem locum quamquam iam supra attuli in ea parte, quae scripta est de Aeschyli ingenio, hic omittere nequeo, cum ibi non solum de Aeschyli impetu agatur sed etiam de grandiore elocutione, quae comparatur cum grandine.

Ante ipsum certamen chorus sic invocat Musas v. 879 ss.:

ἔλθετ' ἐποψόμεναι δύναμιν
δεινοτάτοιν στομάτοιν πορίσασθαι
ῥήματα καὶ παραπρίσματ' ἐπῶν.

Ad v. 881 scholiasta adnotavit *τὰ μὲν ῥήματα πρὸς τὸν Αἰσχύλον, τὰ δὲ παραπρίσματα πρὸς τὸν Εὐριπίδην λεπτολόγον ὄντα.* Sunt iam qui offenderint in '*ῥήματα*' verbo. Ut omittam Franckii coniecturam '*ῥήγματα*', Kockius scribi iussit atque recepit in textum *πρέμνα τε* i. e. truncos sc. verborum, cuius locutionis analogia afferri potest v. 903 s. *αὐτοπρέμνοις τοῖς λόγοισιν.*

Fritzschius censet *ῥήματα* voci notionem inesse 'worte der kraft.' Cuius rei exempla affert v. 821 *ῥήμαθ' ἱππο-βάμονα*, v. 824 *ῥήματα γομφοπαγῆ*, alia. Quorum tamen locorum condicio prorsus est diversa, cum appositum sit illic adiectivum, hoc loco desit. Itaque *ῥήματα* verbum, cum hic haud bene idem opponi verbis '*παραπρίσματ' ἐπῶν*' putem, suspectum habeo.

Paulo infra chorus haec exclamat v. 900:

προσδοκᾶν οὖν εἰκός ἐστι
τὸν μὲν ἀστεῖόν τι λέξαι
καὶ κατερρινημένον,
τὸν δ' ἀνασπῶντ' αὐτοπρέμνοις
τοῖς λόγοισιν
ἐμπεσόντα συσκεδᾶν πολ-
λὰς ἀλινδήθρας ἐπῶν.

Radicitus Aeschylum Euripidis urbane dicta locutionesque limatiores esse quasi evulsurum grandibus verbis irruendo et dissipaturum multas verborum tricas exspectant.

Tum Euripides, postquam de Aeschyli fabularum dispositione locutus est, haec ait v. 924 ss.:

ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν
ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν' ἄττα, μορμορωπά,
ἄγνωστα τοῖς θεωμένοις.

Αἰσχύλος.

οἴμοι τάλας.

Διόνυσος.

σιώπα.

Εὐριπίδης.

σαφὲς δ' ἂν εἶπεν οὐδὲ ἕν.

Διόνυσος.

μὴ πρῖε τοὺς ὀδόντας.

Εὐριπίδης.

ἀλλ' ἢ Σκαμάνδρους ἢ τάφρους ἢ 'π' ἀσπίδων ἐπόντας
γρυπαιέτους χαλκηλάτους καὶ ῥήμαθ' ἱππόκρημνα
ἃ ξυμβαλεῖν οὐ ῥᾴδι' ἦν.

Διόνυσος.

νὴ τοὺς θεούς, ἐγὼ γοῦν
ἤδη ποτ' ἐν μακρῷ χρόνῳ νυκτὸς διηγρύπνησα
τὸν ξουθὸν ἱππαλέκτορα ζητῶν, τίς ἐστιν ὄρνις.

Αἰσχύλος.

σημεῖον ἐν ταῖς ναυσίν, ὠμαθέστατ', ἐνεγέγραπτο.

Διόνυσος.

ἐγὼ δὲ τὸν Φιλοξένου γ' ᾤμην Ἔρυξιν εἶναι.

Irridetur hoc loco Aeschylus, quod saepissime in fabulis grandi oratione descripsit bella et pugnas et nova finxit verba. Eandem bellicosam ut ita dicam Aeschyli magniloquentiam audacissimamque verborum compositionem comicus tangit verbis v. 929 *ῥήμαθ' ἱππόκρημνα* et v. 932 *ἱππ-αλέκτωρ.*

Verba autem composita, quorum altera pars fuit *κρημνός* (ὁ), quae vox significat locum praecipitem, praeruptum, arduum amavisse videtur Aeschylus. Eodem enim de verbo alter quoque Aristophanis agit locus, qui est Nubium v. 1364 ss., ubi Strepsiades de Phidippide filio haec narrat:

ἔπειτα δ' ἐκέλευσ' αὐτὸν ἀλλὰ μυρρίνην λαβόντα
τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι· κᾆθ' οὗτος εὐθὺς εἶπεν,
(ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς)
ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κ ρ η μ ν ο π ο ι ό ν.

Duo adhuc loci sunt servati, quibus Aeschylus est usus adiectivo '*ὑψίκρημνος*, in alto praecipitio situs sive alte pendens,' ubi illud minime inepte tribuit urbibus: Prom. 421 ed. Herm.:

ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα,
Καυκάσου πύλας, νέμονται, κτλ.

et fragmentum ex Glauco Pontio depromptum, 28 ed. Dind.

καλοῖσι λουτροῖς ἐκλελουμένος δέμας
εἰς ὑψίκρημνον Ἱμέραν ἀφικόμην.

Quod autem attinet ad v. 930 ss., quos modo attuli, quam maxime plausum esse puto Baccho, qui se aliquando noctu vigilasse affirmat quaerentem secum, quinam esset ales flavus ille Aeschyleus equo-gallus. Neque enim Aeschyli tantum mira verborum compositio sed etiam Euripidis doctrina sophistica his irridetur versibus, qui Hipp. 374 s. sic scripsit:

ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ
θνητῶν ἐφρόντισ' ᾗ διέφθαρται βίος.

Postea vero Euripides Aeschylo quaenam ipse finxerit quaerenti respondet haec v. 937—941:

οὐχ ἱππαλέκτορας μὰ Δί', οὐδὲ τραγελάφους, ἅπερ σύ,
ἃν τοῖσι παραπετάσμασιν τοῖς Μηδικοῖς γράφουσιν·
ἀλλ' ὡς παρέλαβον τὴν τέχνην παρὰ σοῦ τὸ πρῶτον εὐθὺς
οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων
ἐπαχθῶν, 940.
ἴσχανα μὲν πρώτιστον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον κτλ.

Κόμπασμα, iactatio, magniloquentia aptissime est electum vocabulum ad perstringendam Aeschyli verborum granditatem. Quae irrisio inde acerbior fit, quod eo ipso vocabulo *κόμπασμα* saepius usus est Aeschylus, cf. Prom. 361 ed. Herm.:

ὃς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων
κομπασμάτων.

Septem 533:

αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίοις κομπάσμασιν.

Sept. 775:

πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα.

Praeter id autem verbum Aeschylus etiam saepissime scripsit *κομπάζειν* gloriari Sept. 418. 462 alias, *κομπεῖν*

iactare Prom. 949., *κόμπος* = *κόμπασμα* Prom. 1033. Sept. 407. 455. Ag. 599.

Tum sic pergit Euripides v. 945.:

εἶτ' οὐκ ἐλήρουν ὅ τι τύχοιμ' οὐδ' ἐμπεσὼν ἔφυρον.
ἀλλ' οὑξιὼν πρώτιστα μέν μοι τὸ γένος εἶπ' ἂν εὐθὺς
τοῦ δράματος.

Vituperat Euripides Aeschylum, quod temere quaslibet garrierit nugas et quaecunque se obtulerint composuerit neque, ut ipse (Euripides), statim in fabularum prologis personarum enarraverit origines et gentes. Qua tamen re Aristophanes potius Euripidem obiurgat quam Aeschylum, quippe qui ipsa in fabula afferat, quaecunque ad intellegendum sunt necessaria.

Contra Lessingius noster defendit Euripidem — cf. dramaturgiae cap. 49 (oct. 16. a. 1767) initio — hoc modo: 'Denn es ist klar, dasz alle die stücke, deren prologe inen (den tadlern des Euripides) so viel ärgernisz machen, auch one diese prologe vollkommen ganz und vollkommen verständlich sind'. — Verum si Euripidis fabulis prologi prorsus sunt superflui, vituperandus est Euripides, quod scripsit supervacanei quiddam, laudandus Aeschylus, quod omisit eius modi prologos.

Tum Euripides, qui narravit, se res domesticas protulisse in scaenam, sic pergit v. 961—963:

ἀλλ' οὐκ ἐκομπολάκουν
ἀπὸ τοῦ φρονεῖν ἀποσπάσας, οὐδ' ἐξέπληττον αὐτοὺς
Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους.

Censet hoc loco Euripides Aeschylum perterrefacere voluisse auditores cultu verborum effusiore, quem imitatur comicus verbo '*κωδωνο-φαλαρό-πωλοι* equos agitantes phaleris et tintinnabulis ornatos'. Neque vero stupefacere voluit Aeschylus Athenienses, sed civium suorum alere et sustentare animum bellicosum.

Tum v. 1004 s. chorus Aeschylum adhortatur ad certamen hoc modo:



ἀλλ', ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ
καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον, θαρρῶν τὸν κρουνὸν ἀφίει.

Scholiasta ad Aristoph. Pacis v. 749, quem supra attuli, praeter hunc versum 1004 Pherecratis e Crapatalis affert versum, quo Aeschylus de semetipso haec dicit:

Ὅστις γ' αὐτοῖς παρέδωκα τέχνην μεγάλην ἐξοικοδομήσας.

Paulo infra autem, postquam Aeschylus de poesi sua bellici impetus plena est locutus, Euripides haec dicit v. 1018:

καὶ δὴ χωρεῖ τουτὶ τὸ κακόν· κρανοποιῶν αὖ μ' ἐπιτρίψει.

Alteram huius versus partem 'enecabit me galeas usque commemorans' Droysenus haud inepte tribuit Baccho, qui Atheniensium repraesentat sententiam. Scholiasta ea verba sic explicat: '*κράνη καὶ λόφους διηγούμενος ἀφανιεῖ με τῷ πατάγῳ τῶν ὀνομάτων.*'

Tum v. 1056 Euripides haec quaerit ex Aeschylo:

ἢν οὖν σὺ λέγῃς Λυκαβηττοὺς
καὶ Παρνασσῶν ἡμῖν μεγέθη, τοῦτ' ἐστὶ τὸ χρηστὰ διδάσκειν,
ὃν χρὴ φράζειν ἀνθρωπείως;

Αἰσχύλος.

ἀλλ', ὦ κακόδαιμον, ἀνάγκη
μεγάλων γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τὰ ῥήματα τίκτειν.

Lycabettos enumerare et Parnasorum alta idem est quod v. 929 *ῥήμαθ' ἱππόκρημνα. Ἀνθρωπείως λέγειν* autem, humano more loqui, Fritzschius recte interpretatur 'non pecudum more sonos inanes sine iudicio fundere' et opponit verbum *χελιδονίζειν*, barbaram vocem emittere s. obscure et barbare loqui.

V. 1100 chorus haec loquitur:

χαλεπὸν οὖν ἔργον διαιρεῖν,
ὅταν ὁ μὲν τείνῃ βιαίως,
ὁ δ' ἐπαναστρέφειν δύνηται κἀπερείδεσθαι τορῶς.

Aeschylus contendit valide, Euripides refutat et obnititur scite.

Ubi actu septimo v. 1261—1369 disputatum est de chori canticis, existimatio quasi ad finem est perducta, neque

vero res diiudicata. Quae cum ita sint, Aeschylus, qui haud iam se defendit sed aggreditur adversarium, Euripidem diverbio octavo (1378—1499) ducit ad trutinam, ut sic ille superetur. Quod quidem puerile est, poetarum artem ad libram tamquam caseum (v. 1369) venire, sed, quod Welckerus in Aeschylea Trilogia p. 526 recte animadvertit, ut alia eiusmodi levia comoediae aptissimum. Cum autem statera et pondera verborum controversiae faciant momentum, fieri non potest, quin Aeschyli magniloquentia victoriam consequatur quam clarissimam.

Tum ab Aristophane perstringuntur hi versus Aeschylei Septem 42 ss.:

ἄνδρες γὰρ ἑπτὰ θούριοι λοχαγέται,
ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος
καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,
Ἄρη τ' Ἐνυὼ καὶ φιλαίματον Φόβον
ὡρκωμότησαν κτλ.

Lysistratae enim v. 186 Calonice Lysistraten, quodnam iurent ius iurandum mulieres sic interrogat:

Λυσιστράτη,
τίν' ὅρκον ὁρκώσεις ποθ' ἡμᾶς;

Λυσιστράτη.

ὅντινα;
εἰς ἀσπίδ', ὥσπερ φάσ' ἐν Αἰσχύλῳ ποτέ,
μηλοσφαγούσας.

Καλονίκη.

μὴ σύ γ', ὦ Λυσιστράτη,
εἰς ἀσπίδ' ὀμόσῃς μηδὲν εἰρήνης πέρι.

Duo igitur hic obiciuntur Aeschylo: miram cum usurpasse locutionem *ὁρκωμοτεῖν ταυροσφαγοῦντας ἐς μελάνδετον σάκος* et semper Martem habere in ore.

Denique Aeschyli dictionis asperitatem Aristophanes durius his significavit verbis — Aristophanis frg. 526—:

Οἶμαι γὰρ αὐτὸν κόλλοπι
ἐοικέναι.

Cf. Etym. M. v. *Κόλλοπες* s. Cramer. Anecd. t. 4 p. 75, 4.

Haec sunt quaecunque repperi Aristophanis de Aeschyli elocutione iudicia. Pleraque veritati non repugnare inde apparet, quod cetera quoque veterum testimonia eadem fere referunt. Quorum iam afferam nonnulla.

Ac primum quidem in Vita Aeschyli — cf. Ritschelii Aeschyli Septem ed. II. p. 3 v. 16—20 — haec leguntur: *κατὰ δὲ τὴν σύνθεσιν τῆς ποιήσεως ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν ἀεὶ πλάσμα, ὀνοματοποιίαις τε καὶ ἐπιθέτοις, ἔτι δὲ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον τῇ φράσει περιθεῖναι χρώμενος.* Quod vitae scriptoris testimonium Dindorfio iudice ex optimo et antiquissimo fonte fluxit et verbosis recentiorum multorum de Aeschylea poesi scriptorum disputationibus anteferendum est.

Deinde Dio Chrysostomus Cocceianus in oratione LII p. 267 ed. Reisk. Lips. 1784 (p. 629 ex rec. Adolphi Emperii, Brunsvigae 1844) optime haec scripsit de Aeschyli elocutione: *ἥ τε τοῦ Αἰσχύλου μεγαλοφροσύνη καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ τὸ αὔθαδες τῆς διανοίας καὶ φράσεως πρέποντα ἐφαίνετο τραγῳδίᾳ καὶ τοῖς παλαιοῖς ἔθεσι τῶν ἡρώων· οὐδὲν ἐπιβεβουλευμένον οὐδὲ στωμύλον οὐδὲ ταπεινόν.*

Sophoclis quoque de semet ipso dictum hic afferendum est, quippe quod Sophoclis de Aeschylo contineat iudicium. Traditur autem is locus a Plutarcho in libello qui inscribitur 'Quo modo quis suos in virtute sentiat profectus' — cf. Plut. Moralia ed. Wyttenbach. Oxonii 1745 Tom I. p. 303 — hoc modo: *Ὥσπερ γάρ, ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε, τὸν Αἰσχύλου διαπεπαικὼς ὄγκον, εἶτα τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὐτοῦ κατασκευῆς, τρίτον ἤδη τὸ τῆς λέξεως μεταβάλλειν ἦθος, ὅπερ ἐστὶν ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον.*

Eduardus Müllerus in Veterum artis theoria p. 223 adn. 4 *διαπαίζειν* verbo hic non ut alias irridendi notionem esse contendit, sed deponendi notionem tribuit. Quae quidem deponendi notio hic multo aptior est, caret

autem exemplo. Verum utut res haec sese habet, Sophoclem non probasse Aeschyli magniloquentiam constat.

Tum ab Himerio — cf. Photii Bibliothecam p. 2011 — Aeschyleae dictionis sic fit mentio: *ὦ πάθος τῆς Αἰσχύλου μεγαλοφωνίας ἄξιον!*

Inter latinos autem scriptores Horatius in epistola ad Pisones — v. 280 — quem locum exscribam infra, ubi de apparatu scaenico agam, Aeschylum magna loqui docuisse censet.

Deinde apud Propertium 3, 30, 43 haec leguntur:

Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,
Desine, et ad molles membra resolve choros.

Denique Quintilianus 10, 1, 66 de Aeschyli elocutione haec scripsit: 'Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus; propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permiserunt, suntque eo modo multi coronati.' Quod Quintiliani iudicium nimis durum videtur esse. Nam etiam si Aeschyli magniloquentiam saepius modum excessisse concedo, tamen Aeschylum vix appellaverim poetam rudem et incompositum. Ad recte iudicandum Aeschylum id quoque respiciendum est, scripturam verborum nonnunquam esse corruptam. Correctas Aeschyli fabulas in scaenam esse prolatas a poetis posterioribus constat, etsi hoc ignorare videtur biographus, qui haec tantum de ea re affert: *Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ, τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου, χορὸν λαμβάνειν.*

Plura afferre de Aeschyli elocutione longum est, cum permultae de ea re agant dissertationes, quarum affero has:

Henr. Hartz, De anacoluthis apud Aeschylum et Sophoclem, Berol. 1856. 8. 36 pp.

Jos. Sanneg, De vocabulorum compositione Graeca praecipue Aeschylea. Halis Sax. 1865. 8. 31 pp.

Schulze, De imaginibus et figurata Aeschyli elocutione, Halberst. 1854.

Todt, De Aeschylo vocabulorum inventore. Halis Sax. 1855. 4.

Tuch, De Aeschyli figurata elocutione, Wittenbergae 1869. 4. Gymn. Progr. 24 pp.

O. Woltersdorf, Dictionis Aeschyleae in dialogis quae sint proprietates. Jenae 1874. 8. 29 pp. Plures etiam libelli afferuntur Philol. 32. p. 318.

§. 4. De Aeschyli prologis iudicia.

Ubi omnino, quomodo inter se differant Aeschyli et Euripidis fabulae, examinatum est, in Ranis chorus in cantico (1099—1118) adversarios, ut singulas fabularum partes examinent, adhortatur. Itaque episodium sextum v. 1119—1250 de duorum poetarum agit prologis. Prologi autem Aeschylei eae tragoediarum sunt partes, quae praecedunt parodum. De eis quidem agitur v. 1119—1176.

Duas iam potissimum res Euripides Aristophaneus crimini dat Aeschylo: cum obscuritatem et expositionis et elocutionis tum tautologias quam molestissimas. Utrumque iam ipsis Aristophanis verbis allatis perlustrabimus. Ac initio quidem Euripides sic appellat Aeschylum v. 1119—1122:

καὶ μὴν ἐπ' αὐτοὺς τοὺς προλόγους σου τρέψομαι,
ὅπως τὸ πρῶτον τῆς τραγῳδίας μέρος
πρώτιστον αὐτοῦ βασανιῶ τοῦ δεξιοῦ.
ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων.

Versus 1122 prorsus ex Hartungii sententia est dictus, qui Eurip. rest. 1 p. 523 Euripidem Aristophaneum recte castigare Aeschyli prologos censet, neque vero eam sententiam exemplis eius obscuritatis ex Aeschyli prologis allatis firmandam esse putavit, nam statim ibi ad alteram reprehensionem transit.

Alii autem adeo eum versum non probaverunt, ut eum deleri iusserint. Ac Meinekius quidem, cui assentitur Kockius,

hunc versum haud dubie spurium esse censet, cum nihil in prologorum Aeschyleorum censura Euripides reprehendat, quod spectet ad dictionis in rebus enarrandis obscuritatem. Bergkio quoque is versus est suspectus, neque tamen ille in fabularum Aristophanearum praefatione addidit causam.

Quibus viris doctis non astipulor: neque Hartungio Euripidem Aristophaneum recte damnasse Aeschyli prologos, neque Meinekio, ideo hunc versum esse omittendum, quod non sequuntur, in quibus dictionis in rebus enarrandis obscuritas verbis apertis reprehendatur. Ac cum Hartungio quidem non sentio, quia non perspicio, cur Aeschyli prologi sint damnandi. Contra ab Euripide Aristophaneo hic versus aptissime profertur. Neque vero in comoedia necesse est, hanc sententiam docta sequatur argumentatio, quam Meinekius et Kockius exspectavisse videntur. Argumentatio autem, quae comoediae est apta, minime deest, cf. Euripidis verba v. 1141—43. Itaque nisi aliae afferuntur causae, Meinekii, Bergkii, Kockii sententiam non sequor.

Perstringuntur autem ab Euripide verba Orestis, a quibus Aeschyli Choephori v. 1—5 incipiunt, haec — Ran. v. 1126—28 et 1172 s.:

Ἑρμῆ χθόνιε πατρῷ' ἐποπτεύων κράτη,
σωτὴρ γενοῦ μοι σύμμαχός τ' αἰτουμένῳ.
ἥκω γὰρ εἰς γῆν τήνδε καὶ κατέρχομαι.
τύμβου δ' ἐπ' ὄχθῳ τῷδε κηρύσσω πατρὶ
κλύειν, ἀκοῦσαι.

Primum quidem id Oresteae initium ambiguum esse Euripides contendit his verbis v. 1141—43:

πότερ' οὖν τὸν Ἑρμῆν, ὡς ὁ πατὴρ ἀπώλετο
αὐτοῦ βιαίως ἐκ γυναικείας χερὸς
δόλοις λαθραίοις, ταῦτ' ἐποπτεύειν ἔφη;

Agitur iam de verborum *πατρῷ' ἐποπτεύων κράτη* interpretatione. Qua de re uberius disseruit Fritzschius ad v. 1138. Quaeritur autem, utrum *πατρῷος* adiectivum pertineat ad Orestis patrem, Agamemnonem, an ad Mercurii

patrem, Jovem. Ambigua igitur sine dubio sunt ea verba, cf. schol. ad v. 1126 (1157 ed. Dind.): *Τὸ πατρῷα κεκίνηκε τὴν ἀμφιβολίαν. ἤτοι γὰρ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς Ὀρέστης φησίν, ἢ τὰ καθ' Ἅιδου λέγει πατρῷα κράτη τοῦ Ἑρμοῦ, καθ' ὃ καὶ χθόνιος ὁ Ἑρμῆς, ὁ ἐκ πατρὸς ἔχων τὰς ἐν τῷ κόσμῳ βασιλείας ἐπιτηρεῖν. δέον δὲ εἰπεῖν πατρόθεν, πατρῷα εἶπε πρὸς τὸ κράτη. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ „πατρῷον τοῦτο κέκτηται γέρας."*

Aeschylus quidem Aristophaneus alteram statuit interpretationem his verbis v. 1144—46:

> *οὐ δῆτ' ἐκεῖνος, ἀλλὰ τὸν ἐριούνιον*
> *Ἑρμῆν χθόνιον προσεῖπε κἀδήλου λέγων,*
> *ὁτιὴ πατρῷον τοῦτο κέκτηται γέρας.*

Quae verba in Invernizii editione — vol. 13 p. 130 — sic vertuntur: 'Non illum inquam dolosum sed Eriunium (Hom. Il. 20, 72. 24, 360. 457. 679.) Mercurium vocavit terrestrem, quod et addito declaravit verbo, quia paternum illud munus obtinet.' *Ἐριούνιος* autem, valde iuvans s. opitulans, Mercurius ideo potissimum appellatur, quod *χθόνιος* i. e. infernus est deus et *ψυχοπομπός*. Qua ex interpretatione versus 1126, qui repetitur 1138, sic est vertendus: Mercuri inferne, qui potestatem habes a Jove patre acceptam. Orestes autem, ut Fritzschius interpretatur, hoc modo Mercurium, qui ipse paternum imperium obtinebat, implorat, quod et ipse illo tempore regnum repetebat paternum. Quae tamen comparatio Mercurii condicionis et Orestis nimis quaesita mihi videtur atque longius arcessita. Locus autem quem Fritzschius affert similem, Eur. Iphig. Taur. v. 1401 s.:

> *φιλεῖς δὲ καὶ σὺ σὸν κασίγνητον,*
> *φιλεῖν δὲ κἀμὲ τοὺς ὁμαίμονας δόκει. —*

verbis *καὶ σύ* et *κἀμέ* et appositis et alterum alteri oppositis haud leviter differt ab hoc loco. Itaque eius interpretationis habita ratione ea tantum de causa verba *πατρῷ' ἐποπτεύων κράτη* ab Aeschylo apposita esse censeo, ut hoc epitheto

ornanti Mercurii, qui ipsius Jovis, summi deorum, appellatur filius, augeretur auctoritas et gravitas.

Priori autem interpretationi patrocinatum esse Aristarchum scholiasta adnotavit ad v. 1144 (1175 ed. Dind.) sub verbis *οὐ δῆτ' ἐκεῖνον* (sic!): *Τὸν δόλιον δηλονότι, ἀλλὰ τὸν Ἐριούνιον. πρὸς τὴν ἐκδοχὴν τοῦ Ἐριουνίου, ὅτι οὐκ ὀρθῶς. Ἀρίσταρχος δέ φησι τῶν ἐξηγήσεων τοῦ στίχου τὴν προτέραν κατὰ τὸν ποιητὴν* (Aeschylum) *εἶναι, ἣν ὁ Εὐριπίδης ἔφη. τὰ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς κράτη ἐποπτεύων, ὃς κρατηθεὶς ὑπὸ τῶν περὶ Αἴγισθον ἀπώλετο.*

Aristarchi sententiam Schuetzius et Fritzschius, quibus assentior, sunt secuti iique exempli causa attulerunt Choeph. 117 s. ed. Herm. (124) ex Stanleii scriptura:

> *τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς*
> *εὐχάς, πατρῴων δωμάτων ἐπισκόπους.*

V. 118 pro *δωμάτων* libri tradunt: *δ' ὀμμάτων* M. G. Ald. Rob. Vict., *ὀμμάτων* Turn., Hermannus cum Ahrensio legit *αἱμάτων*. Qua de scripturae differentia hic disserere et iudicare a re alienum est. Praeter illud autem haud certum exemplum comparari potest Choeph. v. 473 s., ubi Orestes haec ait:

> *πάτερ, τρόποισιν οὐ τυραννικοῖς θανών,*
> *αἰτουμένῳ μοι δὸς κράτος τῶν σῶν δόμων.*

Verum etiamsi hic de quo agitur locus duas admittit interpretationes, tamen ideo non recte vituperabitur Aeschylus. Multis enim aliorum quoque scriptorum praestantissimorum locis pulcherrimis, utra rectior sit interpretatio, quaeritur, neque hanc ob rem vituperantur scriptores.

Universos Aeschyli prologos et ab Atheniensibus Aeschyli aequalibus facillime potuisse perspici neque nobis difficiles esse ad intellegendum censuerim. Quod si nonnunquam exstant loci difficiliores, malae textus condicioni magis quam poetae id imputandum est.

Deinde Choephororum initio inesse tautologias contendit Euripides Aristophaneus, quam ad rem cf. Bernh. litt. gr.

2, 263 s. (249). Ac primum quidem reprehendit elocutionem "ἥκω καὶ κατέρχομαι his verbis v. 1154 ss.:

δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.
Διόνυσος.
πῶς δίς;
Εὐριπίδης.
σκόπει τὸ ῥῆμ'· ἐγὼ δέ σοι φράσω.
ἥκω γὰρ ἐς γῆν, φησί, καὶ κατέρχομαι·
ἥκω δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι.

Quam criminationem Aeschylus his potissimum repellit verbis v. 1163—65:

ἐλθεῖν μὲν εἰς γῆν ἔσθ', ὅτῳ μετῇ πάτρας,
χωρὶς γὰρ ἄλλης συμφορᾶς ἐλήλυθεν·
φεύγων δ' ἀνὴρ ἥκει τε καὶ κατέρχεται.

Insequenti versu 1166 Bacchus Aeschylum recte disputasse sic affirmat:

εὖ νὴ τὸν Ἀπόλλω. τί σὺ λέγεις Εὐριπίδη;

Cum ita Bacchus qui populi repraesentat vocem assentiatur Aeschylo, res est diiudicata, ut verbis nil addi opus sit.

Altera tautologia Aeschylo opprobrio datur v. 1174, ubi Euripides haec loquitur:

κλύειν, ἀκοῦσαι, ταὐτὸν ὂν σαφέστατα.

Verum Euripides ipse et eadem et simillimis utitur tautologiis his locis: Phoen. 919, ubi Creon haec dicit:

οὐκ ἔκλυον, οὐκ ἤκουσα· χαιρέτω πόλις.

Hippol. 362—364:

ἄιες ὤ, ἔκλυες ὢ
ἀνάκουστα τᾶς
τυράννου πάθεα μέλεα θρεομένας.

Ionis v. 1446 s.:

τίν' αὐδὰν ἀύσω
βοάσω; κτλ.

Itaque Aristophanem prolatis his tautologiis minus Aeschylum quam Euripidis ipsius doctrinam sophisticam perstringere voluisse apparet ac potissimum quidem ex eo,

quod de Euripidis cavillatione — v. 1167 s. — Bacchus facit, iudicio v. 1169:

εὖ νὴ τὸν Ἑρμῆν· ὅτι λέγεις δ' οὐ μανθάνω.

et ex verbis lepidissimis, quibus Bacchus Aeschylum suo iure audiendi verbum repetiisse confirmat v. 1175 s.:

τεθνηκόσιν γὰρ ἔλεγεν, ὦ μοχθηρὲ σύ,
οἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα.

Caput III.

§. 5. De Aeschyli melica poesi iudicia.

Aristophanis de Aeschyli melica poesi iudicia quam accuratissime componere et examinare studui, sed vereor, ne satis accurate hunc locum non pertractaverim, nam primus eam rem difficillimam tractavi, et minus quam optabam mihi adhuc fuit otii. Huc accedit illud etiam, quod de melica Aeschyli poesi iudicia Aristophanis pars tantum sunt huius libelli, de qua uberius disputare hic per angustias spatii non licebat. Itaque tantum abest, ut eam materiam me exhausisse putem, ut contentus futurus sim, si iudicabor parvum initium fecisse et fundamentum posuisse, quo aut ego ipse posterius, si satis mihi erit otii, aut alii niti possint. Quibus praemissis ad propositum revertamur.

De Aeschyli et Euripidis carminibus choricis iudicia continentur Ranarum episodio septimo v. 1261—1369. Aeschyli quidem chori cantica seorsim tractantur inde a versu 1261 usque ad 1300. Introducitur autem id certamen episodii sexti versibus extremis, ubi Euripides haec affirmat v. 1249 s.:

καὶ μὴν ἔχω γ' ὡς αὐτὸν ἀποδείξω κακὸν
μελοποιὸν ὄντα καὶ ποιοῦντα ταὔτ' ἀεί.

Contra chorus quomodo fieri possit, ut Euripides principem canticorum poetam vituperet, his miratur verbis v. 1251—56:

τί ποτε πρᾶγμα γενήσεται;
φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω,
τίν' ἄρα μέμψιν ἐποίσει
ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖστα δὴ
καὶ κάλλιστα μέλη ποιή-
σαντι τῶν ἔτι νυνί.

Euripides eam chori exclamationem sic excipit v. 1261 s.:

πάνυ γε μέλη θαυμαστά· δείξει δὴ τάχα.
εἰς ἓν γὰρ αὐτοῦ πάντα τὰ μέλη ξυντεμῶ.

Quem ad locum conferas v. 1200, quo prorsus eadem ratione Aeschylus de Euripidis prologis sic iudicat:

ἀπὸ ληκυθίου τοὺς προλόγους διαφθερῶ.

Euripides igitur iam ulcisci vult iniuriam verbis *ληκύθιον ἀπώλεσεν* supra illatam.

Quinque autem potissimum ob causas Aeschyli cantica Euripides irridet, quae sunt hae: dictionis obscuritas armorumque in Aeschyli fabulis strepitus, versus epiphthegmatici in Aeschyli fabulis usitatissimi — cf. Schneider, Theoph. Car. Guil., De epiphthegmaticis versibus Aeschyli. Gymn. Vimar. progr. 8. Jenae 1829 —, longa illa et graviora metra dactylica et dactylico-logaoedica, quibus Aeschylus Aeolicos lyricos imitatus est, pes orthius (4 8) ac trochaeus semantus (8 4) saepius adhibiti, musica vetustior, cf. Plutarch. Moral. p. 1133 F. 1140 F. — Herm. El. doctr. m. p. 260 ss. 660 ss. Opusc. p. 120 ss. — Gaisfordus ad Heph. p. 275. Fritzschius Ar. Ran. p. 378 s.

Perstringuntur autem Aeschyli cantica versibus Aeschyleis nulla ratione et iudicio compositis et versu intercalari singulis versibus Aeschyleis subiecto hoc modo v. 1264—1277:

Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ, τί ποτ' ἀνδροδάικτον ἀκούων 1264
ἰὴ κόπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;
Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον τίομεν γένος οἱ περὶ λίμναν. 1266
ἰὴ κόπον κτλ.
κύδιστ' Ἀχαιῶν Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ μου παῖ. 1270
ἰὴ κόπον κτλ.

εὐφαμεῖτε· μελισσονόμοι δόμον Ἀρτέμιδος πέλας οἴγειν. 1274
ἰὴ κόπον κτλ.
κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν. 1276
ἰὴ κόπον κτλ.

Verum alteram quoque e citharoedicis modis concinnatam apponit Euripides canticorum imitationem hanc v. 1285—1295:

ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας
φλαττοθραττο φλαττοθράτ
Σφίγγα, δυσαμεριᾶν πρύτανιν κύνα, πέμπει
φλαττοθραττο φλαττοθράτ
σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι θούριος ὄρνις
φλαττοθραττο φλαττοθράτ 1290
κυρεῖν παρασχὼν ἰταμαῖς κυσὶν ἀεροφοίτοις
φλαττοθραττο φλαττοθράτ
τὸ συγκλινὲς ἐπ' Αἴαντι
φλαττοθραττο φλαττοθράτ.

Priusquam de his Euripidis Aristophanei versibus iudicare poterimus, videndum est, unde sit depromptus et quomodo compositus hic perturbatus et indispositus versuum acervus. Versus quidem 1264 s. *Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ κτλ.* scholiasta — cf. schol. in Ar. Ran. 1295 ed. Dind. — ex Aeschyli fabula fluxisse docet, quae inscribebatur Myrmidones, et haec addit: *προφέρει καὶ Εὐριπίδης εἰς γέλωτα ἄλλα ἐξ ἄλλων δραμάτων συναγαγών· διὸ καὶ ἀσαφῆ, μίαν ἁρμονίαν οὐκ ἔχοντα. οὐκ ἄρα τὰ μὴ ξυνετὰ ζητητέον.* — Deinde ad v. 1266 (1297 ed. Dind.) scholiasta haec adnotat: *Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον: Ἐκ τῶν Αἰσχύλου Ψυχαγωγῶν. προφέρεται δὲ οὐκ ἐφεξῆς τὰ αὐτὰ μέλη αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς ἔτυχεν ἄλλο ἄλλοθεν, καὶ ἐπιλέγει τὸ ἰήκοπον, κυρίως ἐκείνων τῶν στίχων ὄν, τοῦ, Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ.* — Tum Versus 1270 *κύδιστ' Ἀχαιῶν κτλ.* Timachida iudice — cf. schol. ad 1270 (1301) — ex Aeschyli Telepho fluxit. — — — Optime autem quanta comici sit licentia perspici potest in versibus ex Aeschyli Agamemnone depromptis (1276. 1285. 1287

verbum extremum *πέμπει*. 1289.), quorum conexus hic est Ag. 104 ss.:

κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν
ἐντελέων· ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
πειθὼ μολπᾶν (M. a pr. m. Dind.)
ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών·
ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας
ξύμφρονα τάγαν, (codd. G. Herm.)
πέμπει σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι
θούριος ὄρνις Τευκρίδ᾽ ἐπ᾽ αἶαν, κτλ.

De eorum versuum scriptura, quae minime constat — veluti Dindorfius v. 111 propter numeros contra hunc Aristophanis locum scribit *πράκτωρ* —, hic multa disserere longum est.

De extremo verbo Ranarum versus 1287 differunt sententiae: *Σφίγγα, δυςαμεριᾶν πρύτανιν κύνα, πέμπει.* Ac primum quidem scholiasta ad v. 1287 (1319 Dind.) nihil nisi haec adnotat: *Σφίγγα δὲ δυςαμερίαν, τὴν ἐπὶ κακῷ χρόνῳ Θηβαίοις φανεῖσαν, πάροχον θανάτου. ταῦτα δὲ ἐκ Σφιγγὸς Αἰσχύλου. θούριος δὲ ὄρνις* (Ran. 1289), *ἡ πολεμοῦσα Θηβαίοις τύχη. τὸ δὲ ξὺν δορὶ καὶ χειρὶ πράκτορι* (v. 1289 s. 1321), *ἐξ Ἀγαμέμνονος, ἐκ τῆς συνεπείας τοῦ 'κύριός εἰμι θροεῖν κτλ.'* Itaque ex silentio scholiastae tantum, qui verbum '*πέμπει*' aut inter '*ταῦτα*' comprehendit aut omnino omisit, idem ex Sphinge manasse concludi potest. Brunckius quidem ad h. l. et Dindorfius, cf. Aesch. fragm. 234, verbum *πέμπει* tribuerunt Aeschyli Sphingi. Contra Fritzschius et Kockius ad h. l. (Ran. v. 1287) id verbum cum Ranarum versu 1289 ex Aeschyli Agamemnone depromptum esse censent. Quam alteram Fritzschii sententiam ego probo. Ignoramus enim, utrum in Sphinge post verba *πρύτανιν κύνα* scriptum fuerit '*πέμπει*' necne, idem verbum in Agamemnone antecedere verbis '*σὺν δορί*' etiamnunc oculis nostris videmus. Certa autem res sine dubio praeferenda est incertae.

Tum versum 1291 *κυρεῖν παρασχὼν κτλ.* ex Agamemnone fluxisse censet scholiasta verbis '*καὶ τοῦτο ἐξ Ἀγαμέμνονος*' allatis. Grammatici autem eum versum rettulerunt aut ad v. 1289 aut ad v. 1294 i. e. aut Sphingi aut Thressis, e quibus v. 1294 est depromptus, attribuerunt. Fritzschius et Kockius eum versum e Sphinge manasse censent. Sed Fritzschii explicatio — l. l. p. 390 — mihi nihil videtur probare et evincere. Sequor igitur testem antiquissimum, scholiastam, cuius temporibus idem Agamemnonis locus fortasse integer erat servatus. Probo autem Kockii interpretationem, qui censet verbis *κυσὶν ἀεροφοίτοις* aquilas significari, cf. Hom. Il. 1, 4. 5.

Iam de duobus illis versibus epiphthegmaticis, quibus in hoc centone lyrico usus est Euripides Aristophaneus, verba sunt facienda. Ac prior quidem eorum versuum:

ἰὴ κόπον οὐ πελάθεις ἐπ᾽ ἀρωγάν;

id quod supra commemoravi, in Aeschyli Myrmidonibus quoque secutus est Ranarum versum 1264 *Φθιῶτ᾽ Ἀχιλλεῦ κτλ.* Quaeritur quo modo recte scribatur et explanetur is versus intercalaris. Scholiasta enim ad v. 1264 (1297) et 1273 (1307) scribit *ἰήκοπος* uno tenore, ac Fritzschius, qui scholiastam sequitur, *ἰήκοπον* verbum esse putat plane Aeschyleum idemque significare quod *ἰήιος κόπος* i. e. lamentabilis planctus. Tum verbis '*ἀνδροδάϊκτος ἰήκοπος*' proprie 'virorum interfector planctus lamentabilis' significari eiulationem eorum, qui in proelio cadunt, censet. Verum — omissis etiam verbis, quae Fritzschii sententiae obstare videntur, v. 1269 *δύο κόπω* et 1272 *τρίτος... κόπος* — substantivum *ἰήκοπος* nullo alio loco reperitur. Itaque cum Bergkio, Kockio, aliis scribo *ἰὴ κόπον* ita quidem, ut habeam pro duabus vocibus, et *ἰή* vocabulum interiectionem esse censeo. — Perstringit autem is versus quinquies repetitus, qui ad tibiam videlicet canebatur, armorum strepitum virorumque pugnantium exclamationes, quae res saepius in Aeschyli fabulis describuntur, versuum intercalarium usum

frequentiorem, musicae genus vetustius. Nam ad epiphthegmaticos tantum versus tibicen videtur cecinisse.

Alter quidem versus intercalaris item quinquies repetitus continet verba

φλαττοθράττο φλαττοθράτ.

Qua de mira syllabarum coniunctione scholiasta ad v. 1286 (1319) haec censet: *Τοῦτο λέγει χλευάζων ὡς ἀσυνετοποιόν. τινὲς δὲ καὶ σημειοῦνται αὐτὸ, ὅτι τῶν διορθωτῶν τινὲς περιεῖλον τὰς τοιαύτας ἐν τοῖς μέλεσι προσθέσεις.* Tribuit igitur scholiasta huic versui intercalari eam fere vim, quam apud nos habet verbum bis positum 'papperlapapp papperlapapp.' Minus apte me iudice sed similiter Welckerus vertit 'die plapperrappelplapperdat.' Simul scholiasta aliorum, qui obsoletas esse eiusmodi additiones censent, affert sententiam.

Recentiores inter quos Droysenus, Fritzschius, Kockius, qui lyrae sonos melius intellegere sibi videntur quam ipse Bacchus *Μελπόμενος*, musarum amicus, cf. versum quem infra afferam 1296, ex versibus 1281 s., qui continent Euripidis verba haec:

μή, πρὶν γ' ἀκούσῃς χἀτέραν στάσιν μελῶν
ἐκ τῶν κιθαρῳδικῶν νόμων εἰργασμένην.

concludunt, hoc de quo agimus versu citharae sonos imitatione exprimi. Itaque Droysenus vertit tubae sonum 'schnedderengdeng dangdeng.'

Verum veterum testimonia prorsus alium significant citharae sive lyrae sonum. Dicit enim apud Aristophanem — Plut. 290 — Carion haec:

καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι θρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα
μιμούμενος καὶ τοῖν ποδοῖν ὡδὶ παρενσαλεύων
ὑμᾶς ἄγειν. κτλ.

Quae ad verba chorus versu 296 s. sic respondet:

ἡμεῖς δέ γ' αὖ ζητήσομεν θρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα
βληχώμενοι, κτλ.

Scholiasta quidem ad Plut. 290 inter alia haec adnotat:

ἔστι δὲ τὸ θρεττανελὸ τῆς λύρας ἀπήχημα, καὶ οὐ συνάπτεται πρὸς τὴν σύνταξιν· ἀλλὰ διότι καὶ αὐτὸς ᾖδε, τούτου χάριν ἐνέθηκεν. . . . τοῦτο δὲ ἐκ Κύκλωπος Φιλοξένου ἐστί· πεποίηκε γὰρ οὗτος τὸν Κύκλωπα κιθαρίζοντα.

Hac quoque in re videtur errasse Fritzschius, quod ad Ran. v. 1286 adnotat, similiter Archilochum *τήνελλα* verbo citharae sonum esse imitatum. Nam scholiasta ad Aristophanis Acharnensium v. 1228 *τήνελλα* verbum tibiae sonum imitatum esse narrat his verbis: *Μίμημα ἐπιφθέγματος αὐλοῦ τὸ τήνελλα.* Attamen *θρεττανελό* et *τήνελλα* facilius inter se poterant commutari. Vix autem crediderim Aristophanem et *θρεττανελό* et *φλαττοθράττο* verbis, quorum alterum longe differt ab altero, eundem sonum imitari et voluisse et potuisse. Itaque cum Berglero et Brunckio sequor scholiastam, qui quod supra demonstravi inanem Aeschyli verborum strepitum sonis istis significari tradidit. Item Guil. Schneiderus in commentatione, quam scripsit 'de epiphthegmaticis versibus Aeschyli' Jenae 1829, p. 22 cum hoc loco comparat Schilleri Dudeldumdei, Eiapopeia, Tralirumlarum, alia. Cui alteri interpretationi minime obstat versus 1282, quo nihil dicitur nisi carmen sequens e citharoedicis modis esse concinnatum.

Baccho quoque, quod supra leviter significavi, sicuti nobis nunc philologis, non satis perspicuum fuit, quid sibi velit *τὸ φλαττοθράττο.* Qua re haec quaerit v. 1296 s.:

τί τὸ φλαττοθρὰτ τοῦτ' ἐστίν; ἐκ Μαραθῶνος ἢ
πόθεν συνέλεξας ἱμονιοστρόφου μέλη;

Cui interroganti Aeschylus sic respondet v. 1298—1300:

ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν ἐς τὸ καλὸν ἐκ τοῦ καλοῦ
ἤνεγκον αὔθ', ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων κ.τ.λ.

Quod si Aristophanis spectamus iudicium, apparet eum v. 1264—1295 tam mira et perversa Aeschyleorum locorum compositione primo loco ipsum Euripidem, quem eos versus

eligentem fingit, perstringere voluisse ut ineptum sophistam. Vituperat tamen leniter idem etiam Aeschyli carmina ac non modo eis quinque quas supra commemoravi de causis, verum etiam (v. 1297), quod sunt iusto longiora. Quod concedendum est Aristophani, neque vero oblivisci debemus illius dicti quod legitur apud vitae scriptorem: Aeschylum cum antiquioribus poetis comparatum maxime esse praedicandum, aliquanto inferiorem esse posterioribus. Huc accedit — quod rectissime Bernhardyus l. l. 2, p. 255 (242) commemorat — Aeschylum naturam secutum esse propriam eaque de causa ut hominem ingeniosum et sublimem a posterioribus saepius minime esse intellectum nec plane perspectum. Denique non omittendum est, Aeschylum ideo quoque, quia e priscae antiquitatis indole sublimiora nonnulla et duriora effinxit, quae ampliore litteratura minus sunt aperta, nobis videri esse obscurum cum omnino, tum in chori canticis suis, cf. Philol. 30 p. 732 s., ubi Heimsoethius de Aeschyli dictione verba facit.

Primam earum, quas modo significavi, causarum, cum iusto iudicio ponderaret Aristophanes, Aeschylum aptissime comparat cum Phrynicho, poeta antiquiore, postquam iam initio huius de chori canticis certaminis laudibus extulit carmina Aeschyli pulcherrima. Ceterum hic conferas Ed. Mülleri l. l. 1, p. 163–165.

Caput IV.

§. 6. De Aeschyli re scaenica iudicia.

Duo tantum vel tria de Aeschyli re scaenica repperi Aristophanis iudicia, quae indicant Aeschylum apparatum scaenicum splendidiorem amasse, introduxisse, auxisse. — Ac primum quidem Euripides, qui Aeschylum nihil perspicuum narrasse censuit, sic pergit Ran. v. 928 ss.:

ἀλλ' ἢ Σκαμάνδρους ἢ τάφρους ἢ 'π' ἀσπίδων ἐπόντας
γρυπαιέτους χαλκηλάτους καὶ ῥήματ' ἱππόκρημνα κτλ.

Tum chorus Aeschylum sic appellat v. 1004 s.:

ἀλλ', ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ
καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον, κτλ.

Quem alterum locum hic attuli, quod Aeschyli biographus et Sommerbrodtius versum 1005 ad rem scaenicam pertinere censent. Equidem cum Bernhardyo l. l. 2, 206 (196) et Frid. Schoellio — cf. Ritschelii Aeschyli Septem p. 41 fr. 155 — eas tragicas nugas — 'schwall' — potius referri ad dictionem censeo.

Tertio loco Aeschylus, postquam magniloquentiam in tragoediis suis necessariam fuisse demonstravit, haec ait verba v. 1060 ss.:

κἄλλως εἰκὸς τοὺς ἡμιθέους τοῖς ῥήμασι μείζοσι χρῆσθαι·
καὶ γὰρ τοῖς ἱματίοις ἡμῶν χρῶνται πολὺ σεμνοτέροισιν
ἁμοῦ χρηστῶς καταδείξαντος διελυμήνω σύ.

Priusquam iam ea Aristophanis recenseo iudicia, nonnulla veterum affero de Aeschyli re scaenica testimonia. Ac primo quidem loco Vita Aeschyli, — p. 1 ed. Dind. Poet. scaen. — haec tradidit: *νέος δὲ ἤρξατο τῶν τραγῳδιῶν, καὶ πολὺ τοὺς πρὸ ἑαυτοῦ ὑπερῆρε κατά τε τὴν ποίησιν καὶ τὴν διάθεσιν τῆς σκηνῆς, τήν τε λαμπρότητα τῆς χορηγίας καὶ τὴν σκευὴν τῶν ὑποκριτῶν, τήν τε τοῦ χοροῦ σεμνότητα, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης* (Ran. 1004 s.).

Ibidem p. 2 s. ed. Dind. singula de scaenae exornatione atque de histrionum habitu Aeschyli merita haec enumerantur: *Πρῶτος Αἰσχύλος πάθεσι γεννικωτέροις τὴν τραγῳδίαν ηὔξησε, τὴν δὲ σκηνὴν ἐκόσμησε καὶ τὴν ὄψιν τῶν θεωμένων κατέπληξε τῇ λαμπρότητι, γραφαῖς καὶ μηχαναῖς, βωμοῖς τε καὶ τάφοις, σάλπιγξιν, εἰδώλοις, Ἐρινύσι, τούς τε ὑποκριτὰς χειρῖσι σκεπάσας καὶ τῷ σύρματι ἐξογκώσας, μείζοσί τε τοῖς κοθόρνοις μετεωρίσας.*

Deinde Dioscorides (c. 200 a. Chr.), qui tragoediam

Thespidis esse inventionem censet, haec scripsit, cf. Anthol. Gr. ex rec. Brunckii (1772—76) ed. Fr. Jacobs. (1794—1814) 1, p. 248. A. Gr. ad fid. Palatini 1, 428 (7, 411):

Θέσπιδος εὕρεμα τοῦτο, τὰ δ' ἀγροιώτην ἀν' ὕλην
παίγνια καὶ κώμους τούςδε τελειοτέρους
Αἰσχύλος ἐξύψωσεν, ὁ μὴ σμιλευτὰ χαράξας
γράμματα, χειμάρρῳ δ' οἷα καταρδόμενα,
καὶ τὰ κατὰ σκηνὴν μετεκαίνισεν. ὦ στόμα πάντων
δεξιόν, ἀρχαίων ἦσθά τις ἡμιθέων.

Tum Horatius Epist. ad. Pis. v. 278 ss., postquam de Thespide verba fecit, haec narrat:

Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis,
et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

Denique Vitruvius praef. lib. 7. (p. 154 ed. Rodius, Berol. 1800) de Aeschyleae scaenae picturis haec refert: Primum Agatharchus Athenis Aeschylo docente tragoediam scaenam fecit et de ea commentarium reliquit. — Plura etiam testimonia composuit Sommerbrodtius, De Aeschyli re scaenica, Liegnitii 1848, 51. Tanglimi 1858. 4. p. 14.

Contra ea Aristoteles Poet. 4., postquam quod supra commemoravi Aeschylum alterum histrionem introduxisse narravit, sic pergit: *τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς κτλ.* Aristoteles igitur Sophoclem censet invenisse scaenographiam, Vitruvius Aeschylum. — Qua in scriptorum contradictione erit iudicandum, eas quoque Aeschyli fabulas, quae ante Sophoclem in scaenam sint productae, non indiguisse scaenographia, Sophoclem autem scaenographiam etiam amplius exornasse, ut alter Aeschylum alter Sophoclem introduxisse scaenographiam tradere potuerit. Quibus aliorum veterum scriptorum testimoniis allatis redeamus iam ad Aristophanis iudicia.

Ac primo quidem eorum, quos supra attuli, Aristophanis loco (Ran. 928 s.) de miris agitur figuris Asiaticis

veluti grypho-aquilis similibusque clypeorum insignibus, quae et descripsit Aeschylus et ipsa oculis repraesentavit. Quod eum fecisse minime mirum est, cum mobiles ad omniaque imaginatione concipienda propensi Graecorum animi temporibus illis bellorum Persicorum quam maxime sine dubio moverentur novis, quascumque nuper in Persis viderant rebus, cf. Bernh. l. l. 2, 261. Fere idem status eademque rerum condicio medio quoque fuit aevo apud Germanos bellorum illorum, quae rei Christianae defendendae causa in Orientem sunt suscepta, temporibus. — — Tragoediae autem incrementa, quorum auctor et inventor appellatur Aeschylus, pleraque debebantur ei ipsi, quam modo significavi, temporum illorum condicioni. Devictis enim Persis cum omnium rerum Athenis fuit prosperitas tum rei scaenicae. Cum autem Aeschylus illis temporibus tragoedia floreret praeter ceteros, quaecunque scaenae ornamenta aut ab ipso Aeschylo aut ab alio tragico minus claro tunc sunt inventa, tributa esse Aeschylo verisimillimum est.

Suo iure Aeschylum apparatum scaenicum auxisse his et veterum scriptorum et Goethii nostri apparet locis: Aristot. Poet. cap. 6 § 4:

ἐπεὶ δὲ πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίμησιν, πρῶτον μὲν ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τι μόριον τραγῳδίας ὁ τῆς ὄψεως κόσμος, εἶτα μελοποιία καὶ λέξις· ἐν τούτοις γὰρ ποιοῦνται τὴν μίμησιν.

Hor. Ep. 2, 1, 203:

Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
divitiaeque peregrinae: quibus oblitus actor
cum stetit in scaena, concurrit dextera laevae,
dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.

Denique Goethius noster in Fausti praefatione ei, qui praeest scaenicis spectaculis edendis, haec tribuit verba:

Man kommt zu schauen, man will am liebsten sehen.
Wird vieles vor den augen abgesponnen,
so dasz die menge staunend gaffen kann,
da habt ir in die breite gleich gewonnen,
ir seid ein vielgeliebter mann.

Sed haec hactenus. Videamus iam, quid contulerit Aeschylus ex Aristophanis sententia ad cives educandos.

Caput V.

§. 7. De vi et effectu Aeschyli fabularum sive de Aeschylo civium suorum praeceptore.

Multo arctius quam apud alium ullum populum apud Athenienses ars et vita inter se erant conexae. Longe plurimum igitur poetae valebant ad rei publicae augendam vel imminuendam salutem. Qua re Euripides, cuius fabulae rei publicae perniciosae etiam post auctoris mortem quam maxime florebant neque, quod falso Aristophanes Ran. v. 869 censet, cum poeta perierunt, etiam mortuus irridetur in Ranis acerbissime, summis passim effertur laudibus Aeschylus ut reipublicae conservator. Quod quo modo instituerit comicus, eius ipsius iam videamus verbis.

Ac primum quidem in universum loquitur Aristophanes de poetarum officio et condicione locis tribus, quibuscum comparari possunt Acharn. v. 626–664, ubi in parabasi ipse de sua poesi verba facit Aristophanes.

Quorum locorum primo Euripides ad Aeschyli interrogationem v. 1008:

ἀπόκριναί μοι, τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

haec respondet v. 1009 s.:

δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.

Altero loco Aeschylus ipse sic disputat v. 1030 s.:

ταῦτα γὰρ χρὴ ποιητὰς ἀσκεῖν. σκέψαι γὰρ ἀπ' ἀρχῆς,
ὡς ὠφέλιμοι τῶν ποιητῶν οἱ γενναῖοι γεγένηνται.

Extremo autem loco Aeschylus haec loquitur v. 1053—1056:

. . . ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητὴν
καὶ μὴ παράγειν μηδὲ διδάσκειν. τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί.
πάνυ δὴ δεῖ χρηστὰ λέγειν ἡμᾶς.

Quibus locis dilucide significatur, quantopere ea in re dissenserint Graeci antiqui a nobis. Primum enim a poesi nos non tam exigimus, ut utilitati sit quam voluptati. Deinde poetae recentiores: Shakespearus, Lessingius, Goethius, Schillerus, alii quaelibet flagitia minime tegenda esse putabant immo fecunda oratione describenda, verum ita ut vincantur postremo mali a bonis. — Qua in re antiquorum disciplinam secutus est Sophocles, Euripides est quasi praecursor recentiorum, quod demonstratur Sophoclis dicto hoc Aristot. Poet. 25: *Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσίν.*

Deinde verbis apertis comicus Aeschylum prudentissimum significat allatis duobus eiusdem consiliis. Quorum prius notissimum illud est dictum Ran. v. 1431. 33:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Alterum consilium hoc est v. 1463—65:

τὴν γῆν ὅταν νομίσωσι τὴν τῶν πολεμίων
εἶναι σφετέραν, τὴν δὲ σφετέραν τῶν πολεμίων,
πόρον δὲ τὰς ναῦς, ἀπορίαν δὲ τὸν πόρον.

Quae quidem consilia universa non contradicunt Aeschyli ingenio, sed versus 1463—1465 Euripidis olent doctrinam sophisticam. Versum autem 1465 Ed. Müllerus l. l. 1, p. 177 haud recte vertisse videtur cum interpretatur: 'und ertrag sei schiffart, jeder andere ertrag sonst miszertrag.'

Neque enim pecuniae, quae capiuntur ex navibus, opponuntur aliis pecuniis, sed opes rei publicae privatorum opibus, quas unumquemque patriae deceat devovere. Itaque sic verto: opes esse naves, inopiam autem opes.

Denique quomodo educaverit Aeschylus cives suos Ranarum locis demonstratur octo. Quorum duobus Aeschylus reprehenditur. Ac priore quidem loco Euripides haec loquitur v. 964—967:

γνώσει δὲ τοὺς τούτου τε κἀμοὺς ἑκατέρου μαθητάς.
τουτουμενὶ Φορμίσιος Μεγαίνετός θ' ὁ Μανῆς,
σαλπιγγολογχυπηνάδαι, σαρκασμοπιτυοκάμπται.

Altero autem loco Bacchus, postquam quomodo Euripides educaverit Athenienses enarravit, de Aeschyli temporibus haec censet v. 989—991:

τέως δ' ἀβελτερώτατοι,
κεχηνότες μαμμάκυθοι,
μελιττίδαι καθῆντο.

Phormisius quidem idem est, cuius mentio fit apud Athenaeum 1. p. 501 ed. Dind. (229) hoc modo: *Πλάτων δ' ἐν Πρέσβεσι:*

κατέλαβον Ἐπικράτης τε καὶ Φορμίσιος
παρὰ τοῦ βασιλέως πλεῖστα δωροδοκήματα,
ὀξύβαφα χρυσᾶ καὶ πινακίσκους ἀργυροῦς.

Deinde de eodem in Dionysii Halicarnassensis Iudicio de Lysia c. 32 haec narrantur: *Φορμίσιός τις τῶν συγκατελθόντων μετὰ τοῦ δήμου* (triginta tyrannis expulsis) *γνώμην εἰσηγήσατο τοὺς φεύγοντας κατιέναι.*

Tum Schweighaeuserus ad hunc Phormisium rettulit Philetaeri e comoedia *Κυνηγίς* locum apud Athenaeum 13, 570 s.

Παῦσαι γέρων ὢν τοῖς τρόποις. οὐκ οἶσθ' ὅτι
ἥδιστόν ἐστιν ἀποθανεῖν βινοῦνθ' ἅμα;
ὥσπερ λέγουσιν ἀποθανεῖν Φορμίσιον.

Denique scholiasta ad Aristoph. Ran. v. 965 (996 ap. Dind.) haec adnotat de moribus Phormisii et facie: *Δίδυμός φησιν ὅτι Φορμίσιος δραστικὸς ἦν καὶ τὴν κόμην τρίχων καὶ φοβερὸς δοκῶν εἶναι. διὸ καὶ Αἰσχύλου μαθητὴν αὐτόν φησιν εἶναι. βαθὺς* [*δασὺς* dicit scholiasta Eccles. 91 (97 ap. Dind.) et hic coniecit Kusterus] *δὲ ἦν καὶ καθίει τὸν πώγωνα. κωμῳδεῖται δὲ καὶ εἰς δωροδοκίαν.*

Quibus cum testimoniis extremis: — et hirsutum fuisse Phormisium cunnoque deditum — optime congruunt Arist. Eccles. v. 89 ss. (95 ss.), ubi Praxagora hoc loquitur:

οὐκοῦν καλά γ' ἂν πάθοιμεν, εἰ πλήρης τύχοι
ὁ δῆμος ὤν, κἄπειθ' ὑπερβαίνουσά τις
ἀναβαλλομένη δείξειε τὸν φορμίσιον.

Bene hic scribit Meinekius *φορμίσιον* littera minuta, cum ex nomine proprio factum sit nomen appellativum. Scholiasta ad h. l. adnotat hoc: *καὶ οὗτος* (*Φορμίσιος*) *δασὺς ἦν. αἰνίττεται τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον.* — — Eundem Phormisii nominis usum affirmat Hesychius s. v. *Ἀριστόδημος*, quo teste comici *φορμισίους* (*ἔλεγον*) *τὰ γυναικεῖα αἰδοῖα.*

De Megaeneto autem scholia ad h. l. explicant haec: *ὁ Μεγαίνετος, ὅτι οὐ πάντως βάρβαρος ἀλλ' ἀναίσθητος καὶ οὐκ ἀστεῖος. αὐθάδης δὲ οὗτος καὶ τῶν στρατηγιώντων ἐστὶ καὶ ἄλλως θρασύς.* Fere idem tradit Suidas s. v. *Μεγαίνετος.* Si quaeris de cognomine Megaeneti, Fritzschius et Kockius censent Megaenetum *τὸν Μανῆν* appellari infelicem aleatorem et opponi Therameni semper felici (v. 970). Neque tamen certi quidquam de hoc nomine est traditum. Utcunque res sese habet, comicum hic homines tubis, hastis, barbis horridos, qui amarulento risu Sinnin referunt — cf. Ov. Met. 7, 441. Plut. Thes. 8. — et stupidissimi stolidissimique sedent, obicere Aeschylo discipulos constat. Minime igitur Aristophanes ex omni parte patrocinatur temporibus vetustioribus, sed hactenus tantum, quatenus ea minus quam postea corrupta fuisse comico videbantur, praeponit ea tempora posterioribus et Aeschylum omnino

praedicat laudibusque effert, cf. E. Haenisch, Wie erscheint die athenische erziehung bei Aristophanes? Ratibor. 1829. 4. Ed. Muelleri l. l. 1, 183. Ad has laudes Aeschylo ab Aristophane tributas iam transeamus.

Ac primum quidem Aeschylus ipse de se haec loquitur Ran. v. 1013—17:

σκέψαι τοίνυν, οἵους αὐτοὺς παρ᾽ ἐμοῦ παρεδέξατο πρῶτον,
εἰ γενναίους καὶ τετραπήχεις καὶ μὴ διαδρασιπολίτας,
μηδ᾽ ἀγοραίους μηδὲ κοβάλους, ὥσπερ νῦν, μηδὲ πανούργους,
ἀλλὰ πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας
καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους.

Euripidi autem, quomodo hoc effecerit Aeschylus, interroganti hic sic respondet v. 1021 s.:

δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεστόν.
Διόν.
ποῖον;
Αἰσχ.
τοὺς Ἑπτ᾽ ἐπὶ Θήβας·
ὃ θεασάμενος πᾶς ἄν τις ἀνὴρ ἠράσθη δάιος εἶναι.

Et paululum infra sic pergit Aeschylus 1026 s.:

εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ᾽ ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα
νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους κοσμήσας ἔργον ἄριστον.

Tum Aeschylus, ubi de Homero disseruit, haec narrat v. 1040-45:

ὅθεν ἡμὴ φρὴν ἀπομαξαμένη πολλὰς ἀρετὰς ἐποίησεν
Πατρόκλων, Τεύκρων θυμολεόντων, ἵν᾽ ἐπαίροιμ᾽ ἄνδρα πολίτην
ἀντεκτείνειν αὐτὸν τούτοις, ὁπόταν σάλπιγγος ἀκούσῃ.
ἀλλ᾽ οὐ μὰ Δί᾽ οὐ Φαίδρας ἐποίουν, πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας,
οὐδ᾽ οἶδ᾽ οὐδεὶς ἥντιν᾽ ἐρῶσαν πώποτ᾽ ἐποίησα γυναῖκα.

Εὐρ.
μὰ Δί᾽, οὐδὲ γὰρ ἦν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι.
Αἰσχ.
μηδέ γ᾽ ἐπείη.

Quibus locis omnibus praedicatur Aeschylus, quod virtute bellica civium animos impleverit, non ibidem laudatur, quod cultum quoque antiquum servaverit atque quam maxime foverit, quamquam hoc quoque alterum hic afferre poterat comicus. Aeschylus enim maxime commendat fortitudinem, amorem patriae, cultum patriorum deorum, Euripides amoris delicias, vitae privatae luxuriam, numinis cultum philosophicum. Inde poterant sane videri conservasse Aeschyli doctrina fortitudinem, virtutem, religionem, vitae integritatem, contra fabulae Euripideae cum moribus et cultu deorum corrupisse rem publicam (v. 1014 s.).

Itaque fieri non poterat, quin apud Aristophanem Aeschylus postremo discederet superior et reverteretur cum Baccho ad superos. Chorus autem mystarum poetam discedentem hoc praedicat modo 1482—90:

μακάριός γ᾽ ἀνὴρ ἔχων
ξύνεσιν ἠκριβωμένην.
πάρα δὲ πολλοῖσιν μαθεῖν.
ὅδε γὰρ εὖ φρονεῖν δοκήσας
πάλιν ἄπεισιν οἴκαδ᾽ αὖ,
ἐπ᾽ ἀγαθῷ μὲν τοῖς πολίταις,
ἐπ᾽ ἀγαθῷ δὲ τοῖς ἑαυτοῦ
ξυγγενέσι τε καὶ φίλοισι,
διὰ τὸ συνετὸς εἶναι κτλ.

Denique Pluto multam Aeschylo dicit salutem his verbis v. 1500—1503:

ἄγε δή, χαίρων, Αἰσχύλε, χώρει
καὶ σῶζε πόλιν τὴν ἡμετέραν
γνώμαις ἀγαθαῖς καὶ παίδευσον
τοὺς ἀνοήτους· πολλοὶ δ᾽ εἰσίν· κτλ.

Pulcherrima sane his verbis laus poetae dilecto tribuitur ab inferis. Idem sensisse etiam vivos Aristophani aequales inde apparet, quod maximo plausu et clamore Athenienses prosecuti sunt Ranarum comoediam ipsumque Aristophanem, quippe qui optime certamen poetarum tragicorum et instituisset et diiudicavisset, summo affecerunt praemio.

VITA.

Natus sum Paulus Hennig anno MDCCCIL a. d. IV. Kal. Maias Frankenbergae Saxonûm patre Maxio, qui apud Frankenbergenses et Saxenburgenses vicinos verbi divini fuit interpres, matre Theresia e gente Grieshammer. Fidei sum addictus evangelicae. Infanti duodeviginti fere menses nato ereptus mihi est pater morte praematura. Nullum ille reliquit patrimonium. Inde omnem adulescentiam peregi in summa egestate, quae interdum tanta erat, ut saepe paene me vitam sustentare posse desperarem.

Primis quidem litterarum elementis institutus sum Frankenbergae a Roberto Schmeilio potissimum, ludi litterarii rectore. Per quattuor fere annos inde a decimo vitae meae anno usque ad decimum quartum, adeo infirmus eram valetudine, ut publicis scholis interesse non possem. Postquam ex eo morbo aliquatenus convalui, Grimae a Carolo Schieckio amitino, scholae publicae rectore, aliquamdiu artium liberalium elementis eruditus sum. Tum per triennium Altenburgi Eduardo Fossio rectore frequentavi gymnasium Friedericianum. Sperans, me sic celerius gymnasii cursum esse absoluturum, relicta ea schola in regnum Saxonum reversus gymnasii Fribergensis factus sum alumnus. Cui gymnasio clarissimo per septem adscriptus fui semestria Aemilio Muellero — nunc Grimensi — rectore, Roberto Brausio et Maxio Erlero — nunc Cycneensi — professoribus.

Maturitatis examine absoluto belli illius tam gloriosi quam periculosi, quod annis MDCCCLXX et MDCCCXXI

cum Francogallis nostrates gesserunt, interfui. Bello iam dudum finito Quintili mense anno h. s. septuagesimo primo ex Gallia redii in patriam ibique per tres menses Dresdae in praesidio eram, donec missionem accepi.

Tum demum Lipsiam me conferre potui ad studia absolvenda. Ibi per quadriennium et sex menses ad philologiae et theologiae studia incubui. Ac prius quidem ad studium colendum interfui potissimum scholis virorum doctissimorum Ahrens, Curtius, Eckstein, Lange, Lipsius, Ritschl, Voigt, Zarncke. Deinde exercitationibus antiquariis, quas Langius et historicis, quas Voigtius habere solet, per senos usus sum menses. Tum seminarium paedagogicum, quod Ecksteinio gubernante floret, et seminarium Germanicum, quod Zarnckii regitur auspiciis, frequentavi per singulos annos, et per idem tempus societatis philologae Ritschelianae et regii philologorum seminarii socius eram ordinarius, quod tunc moderabantur viri doctissimi Curtius et Langius et is, qui anno superiore cum summo omnium discipulorum suorum dolore senectute confectus diem obiit supremum, Ritschelius.

Examine quod subeundum est candidatis muneris scholastici superioris in academia Lipsiensi Februario mense anni h. s. septuagesimi sexti probatus a ministerio regio delegatus sum ad gymnasium Chemnitiense, in qua schola initio candidatus probandus deinde praeceptor ordinarius docui rectore Theodoro Vogelio nunc Lipsiensi.

Superest ut hoc loco qua par est pietate voveam, me cum aliis fautoribus benevolentissimis tum praeceptoribus meis doctissimis, qui non solum tironem auxerunt scientia, sed etiam beneficiis pauperem adiuverunt, gratiam maximam semper esse habiturum.

QUAESTIONES ARISTOPHANEAE HISTORICAE.

SCRIPSIT

OTTO KECK HOLSATUS
DR. PHIL.

HALIS SAXONUM
SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI.
1876.

EDUARDO LUEBBERTO

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO

SACRUM.

CAPUT PRIMUM.

De comoediae Atheniensis licentia octavo saeculi a. Chr. V. decennio legibus coercita.

Operae pretium mihi visum est, quamquam de legibus, quibus nimia comicorum licentia in angustiores compulsa esset fines, complures viri docti disputarunt, iterum eandem materiem tractare, sed ita ut ea tractata in comoediis Aristophanis prioribus quinque explicandis quam maxime adiuvarer. Cum enim non tam argumentis aliunde petitis quam ipsis Aristophanis fabulis enucleandum esset, quid valuissent illae leges, dissertationis fines ita circumscripsi, ut ad Acharnensium Equitum Nubium Vesparum Pacis tantum fabulas spectarem. Quas ad illustrandas ea quoque pertinent, quae capitibus sequentibus sunt tractata. *Primo* enim *capite* cum perfecero, ut ii qui legant sibi habeant persuasum, usque ad hoc tempus viros doctos quid lege prohibitum fuisset, non recte iudicasse, simulque demonstravero, eam maxime ad magistratus Athenienses a comicorum ludibrio defendendos spectare, opus erit de muneribus publicis sive magistratibus nonnullorum Atheniensium verba facere. *Altero* igitur *capite* de *Lamachi* in Acharnensium fabula persona dicturus paucis verbis Thucydidis libros attingam, mox autem ad Acharnensium fabulae versus quosdam illustrandos accedam; neque non in *capitis tertii* parte priore et posteriore de *Cleonis* muneribus publicis disputanti mihi maxime comoediae illae erunt tractandae; itaque eae quoque quaestiones, quae in capite altero tertioque moventur et quam maxime



fieri potest profligantur, suo iure quaestiones vocantur Aristophaneae. Eo modo fundamentis prudenter cauteque iactis *capite quarto* denique oratio unde exorta est revertetur, ut personis quinque comoediarum ad novam legis explicationem examinandis quae primo capite refelli prorsus refutentur, defendantur confirmenturque quae ibi posui.

Quibus praemissis iam ad primi capitis propositum accedam. Disputarunt autem de eadem re post Meinekium (Hist. cr. com. p. 39—43. 1839) imprimis Bergkius (Schmidtii annal. hist. II. p. 193—219. 1844) et Leo (dissertationis Bonnensis a. 1873 editae altera parte p. 11—44); qui cum multis in rebus consentiant, in eo maxime dissentiunt, quod ille v. d. eo tempore, quo Acharnensium fabula docta sit, nullam eius modi legem valuisse contendit, hic intra annos 437 et 416 quoque eandem legem quae antea fuerit repetitam esse dicit. Leonem quidem de fontibus p. 11—18 recte disputasse omniaque, quae argumenta esse possunt, accurate in unum locum congessisse, non negarim; attamen quaestio illa non ad eum finem perducta esse videtur, ut nihil dubitationis relinquatur.[1] Quare iterum eandem rem tractanti mihi proposui, ut ad eos maxime annos spectarem quibus quinque priores Aristophanis fabulae, quibus servatis gaudemus, doctae sunt, i. e. ad saeculi a. Chr. V. decennium octavum.

Libenter et Bergkio et Leoni concedo, cum anno c. 450 a. Chr. comoediae quoque curae publicae tutelaeque traderentur, nullo modo licentiam nimiumque exagitandi studium

1) Haec dissertatio ab anonymo quodam in Zarnckii „Liter. Contr.-Bl." 1874 p. 426 sq. tractatur; qui cum nonnulla recte reprehendat, nullo verbo quod summum erat attingit; summum autem erat, ut disertis verbis primum diceret, num Leo ostendisset, intra annos 437 et 416 legem exstitisse, quae ad comoediae licentiam spectaret, tum, Leonis ratio legis interpretandae utrum recta videretur necne.

repressum coercitumque esse; postea demum, cum viris rei publicae praefectis, qui aut optimatium partes foverent aut auram captarent popularem, cum iis inquam comici essent graves molestique, nimiam eorum audaciam lege quadam circumscriptam esse. Et ni fallor de lege Morychide archonte lata, quae inde ab anno 440 usque ad 437 valuisset, nemo dubitavit; omnes potius viri docti scholiastae ad Ach. 67, quippe qui accurate nomina archontum indicet proferatque quae ex ipso fabulae loco sumpta haustaque esse nequeunt, fidem habuerunt. Neque minus constat, Syracosium haud ita multo ante Avium fabulam doctam legem tulisse de licentia coercenda, cuius legis schol. Av. 1297 optimum est testimonium. Droyseni autem eius legis explicationem, quam Bergkius l. s. probavit, falsam esse non cum Leone (p. 25) dixerim; neque enim causam video, cur p. 39 „plebiscita, de quibus traditur, redintegrandae legi.. consuluisse" coniciat, cum prorsus nesciamus, num omnes illae leges vel plebiscita idem constituerint. Sed quae partes Alcibiadi in hac lege ferenda tribuendae sint, omittamus; examinemus potius, num intra annos 437 et 416 ad libertatem in angustiores fines compellendam aliquid lege constitutum sit; quod cum Bergkius neget, Roscherus (Klio I, p. 532) indicat usque ad annum 424 quemvis civem exagitare inque scenam producere comicis licuisse.

Ac primum quidem quod schol. Ach. 1150 haec profert:.. *ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος*, nemo hac de lege dubitavit et recte quidem; hoc enim aliunde haustum videtur sed ita ut scholiasta hac re perverse ad locum Aristophanis explicandum uteretur;[1] neque verbo *ἐδόκει* movemur, ut

1) Scholiasta lege Antimachi multis choreutis victum esse demptum censet; sed choreutas qui dicunt anno quoque priore occupatos fuisse ex ipsis versibus apparet; neque enim queruntur, se vel alios occupatione victuque carere, sed choregum se in fabula docenda occupatos miserrime tractasse.



scholiastam rem finxisse dicamus, cum eodem modo in schol. Av. 1297 verba *δοκεῖ δέ* legantur re minime dubia. Cum autem anno 425 poetis comicis summa illudendi exagitandique libertas fuisse videretur, et Boeckhius (Oec. Ath. I.² p. 437.) et Bergkius (l. s. p. 201) hanc legem eandem esse voluerunt atque legem Morychide archonte latam. At quoniam eorum causam veram esse non concedo (neque enim anno 425 summa erat libertas), Leonem suo iure leges illas secernere dixerim; tempus autem legis Antimacheae accurate definire nequimus, cum neque contendere liceat, hanc legem anno eius choregiae i. e. 426 latam esse, neque negare, ullam rationem inter legem et choregiam intercedere potuisse; choregi enim cum rebus scenicis interessent nescio an facillime adducti sint, ut de institutis mutandis legem ferrent.

Contra certi aliquid teneremus, si recte se haberet quod Roscherus (l. s. p. 532) protulit: „424 erfolgte das Gesetz des reichen Kallias *τὸν ἄρχοντα μὴ φανερῶς κωμῳδεῖν* (Schol. Nub. 31).“ Sed schol. illud perlustranti . . . . *τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμεινίας τοῦ Προνάπους υἱός· ἐπεὶ οὖν τοὺς Ἀθηναίους πρότερον κωμῳδεῖν τὸν ἄρχοντα ὁ νόμος ἐκώλυεν, ἀφαιρέσει μὲν τοῦ ι, προστεθέντος δὲ τοῦ υ, παρατρέψας ὀλίγον Ἀμυνίαν αὐτὸν εἶπεν ἀντὶ τοῦ Ἀμεινίαν*, hoc igitur perlustranti omnino Calliae nomen mihi non occurrit; quamquam autem ne hic quidem legem certo tempore ab homine noto latam reperimus, tamen hoc scholion, quippe quod ex libro optimo profectum esse videatur, si non demonstrat, Nubium f. loco revera poetam Ameiniam significasse, nos certe docet, grammaticos saepius tales cognovisse literarum mutationes, qualis est Ameiniae nominis in Amyniae, quibus tecte archontem vel alium magistratum exagitare licuerit. Neque vero Roscheri sententia schol. Ran. 501[1]

1) Cum Callias, qui significatur, non nomine proprio vocetur, sed *ὁ ἐκ Μελίτης*, scholiasta dicit: *Ἀπολλώνιος δὲ οὐ κακῶς ὑπονενοῆσθαί φησι τὸ κωμῳδεῖσθαί τινα. Ἴσως δὲ ὅτι ἦρχε, διὰ τοῦτο οὐκ ὠνο-*

probatur, ubi non lex aliqua Calliae significatur, sed scholiasta Calliam esse censet, quem tecte cavilletur poeta.

Quoniam haec iterum perlustravimus, quae infirma tantum vestigia esse non ignoro, paulo accuratius de loco quodam disseramus, qui exstat in [Xenoph.] de rep. Ath. II, 18: *κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς· ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν, εἴ τίς τινα βούλεται κ. τ. λ.* Cum Roscherus (l. s. p. 526 sqq.), nuperrime autem Kirchhoffius („Abhandl. d. Berl. Ak. 1874. Phil. hist. Kl.“ p. 1 sqq.) argumentis luculentissimis demonstrarint, hunc libellum anno 425 vel 424 scriptum esse, hoc maxime ex loco nos aliquid certi effecturos esse sperare licet; cum autem iam accurate tractarunt Roscherus (l. s. p. 531 sq.), Bergkius (l. s. p. 209 sq. ann.), Boeckhiusque (oec. Ath. I.² p. 436 ann.) Quorum primus ex verbis illis effecit, libellum illum ante Equitum fabulam doctam esse scriptum; illa enim fabula aperte populum perstringi. Quibus haec addit: „es ist etwas himmelweit verschiedenes, den ganzen Staat anzugreifen und den Souverän selbst, unverhüllt, in eigener Person aufs Theater zu bringen.“ Itane vero? populum, qui ut homo loquens agensque in scenam producitur, principem sui iuris, qui repraesentet civitatem, nominabis? Quid? si nos actorem aliquem personam „Germaniae“ vel eiusmodi personam quasi allegoricam[1] agentem videremus, num maiestatem populi laesam esse diceremus? Nostro cum imperatore ni fallor non populum allegorice in scenam productum possumus comparare, (quamquam ex doctrina philosophorum et iurisconsultorum maiestas penes populum Atheniensem erat,) sed magistratus, quibus populus suam commisit potestatem, quorumque proprium munus Cicero esse

μάσθη.. Quibus conferas velim Argum. II. Ar. Av. *καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις δράμασι διὰ τῆς κωμῳδικῆς ἀδείας ἤλεγχεν Ἀ. τοὺς κακῶς πολιτευομένους, φανερῶς μὲν οὐδαμῶς, οὐ γὰρ ἐπὶ τούτου ἦν* [*παρρησίᾳ* (Dübner pro *ἐκκλησίᾳ*)], *λεληθότως δὲ, ὅσον ἀνῆκεν* [*ἡ ἐκκλησία* (coniectura hoc loco inserui)] *ἀπὸ κωμῳδίας προσκρούειν.*

1) comparare licet quem vocamus „den deutschen Michel.“

dicit (Off. I, 34) intellegere se gerere personam civitatis. — Eadem ex causa Bergkii sententia contraria reicienda videtur, qui conclusit, post Equitum fabulam demum doctam populum vel viros populares Aristophanem accusare potuisse itaque eo demum tempore verba illa scripta esse. Rectius autem Boeckhius utraque concludendi ratione refutata, Pseudoxenophontis verba ad litem illam revocat, quam Aristophani Babyloniorum fabula docta intentam esse Acharnensium fabula constat, verbaque affert Aristophanis: *μέμνησθε τοῦθ' ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω* (Acharn. 516). Cumque Boeckhio concedam, Roscherum hac in re tractanda falso voluisse discrimen esse inter *πόλιν* et *δῆμον*, non dubito cum Boeckhio contendere, ea quae post Babyloniorum fabulam doctam facta sunt, satis esse causae, cur haec verba a Pseudoxenophonte prolata sint. Itaque sic fere locum illum interpretor i. e. sic fere auctorem scripturum fuisse iudico, si quae brevissime absolvit ampliore sermone tractasset: „populus Atheniensis non concedit, ut ratio reipublicae administrandae — praesertim cum adsunt peregrini — comoediis exagitetur; quod ne fiat,[1] vetat magistratus in scenam produci; homines contra privatos perstringere poetae non vetantur.“ Itaque haec est summa: ex loco illo effici non potest, quo tempore libellus sit scriptus, utrum post Equitum fabulam an ante eam; quod cum aliis rebus constet, ex eodem colligere licet, saeculi quinti decennio octavo licentiam comicorum quodam modo coercitam fuisse; sed quonam modo, hoc solum ex loco non collegerim.

1) Non alienum videtur verba dilucida Laskeri afferre, quae a. d. V. Calendas Februar. h. a. in consilio legatorum a Germanorum populo electorum protulit: .. zudem aber ist der Staat so sehr umgeben und getragen von lebendigen Organen, welche ihn, seine Gesetze und seine Verwaltung überall repraesentiren, dass es ein wahres Kunststück ist, den Staat zu beleidigen, ohne das Ministerium oder sonst eine lebendige Person, die hier betheiligt ist, mit in die Beleidigung hineinzuziehen.

Sed pergamus ad aliud argumentum: non incommode ex causa illa, quae Aristophani cum Cleone intercessit, Leo p. 27—36 argumenta suae sententiae promere studebat; qua in re nihil differt, quod cum Droysenio et Müller-Strübingio Callistrato non Aristophani causam intentam esse censeo. Omni enim dubitationi exemptum est et multis Acharnensium fabulae locis bonisque scholiis (inprimis ad Ach. 378) demonstratur, Cleonem poetae vel ei qui eius vice fungeretur, litem intendisse, quia peregrinis praesentibus magistratus exagitarit populumque laeserit (*ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα παρόντων τῶν ξένων*). — Quamquam ex Acharnensium v. 381

ὥστ' ὀλίγου πάνυ | ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

recte colligitur, poetam non esse damnatum, tamen Cleo non prorsus frustra egisse videtur. Qui cum certe non omni spe vincendi destitutus litem intenderit, id effecisse videtur, ne postea eodem modo reipublicae administrandae ratio perstringeretur. Poeta enim saepius dicit, se non contra legem vel instituta peccare; et si aliter res se haberet i. e. si Cleo frustra causam egisset, acerrimis conviciis eum insectatus esset. Accedit quod Leo p. 31 recte contendit „maximam licentiam in fabulis quae Lenaeorum ludis actae sunt apparere: Ach. Eq. Vesp. Lys. Ran.“ Sed maxime dolendum est, quod Babyloniorum fabulam non satis cognovimus; neque enim fragmentis apparet, utrum praeter chorum barbarorum, qui vices sociorum susceperunt, praeterque Dionysum magistratus quoque in scenam producti sint necne.[1] Si quidem haec erat scholiastae sententia: „magistratus et Cleonem demagogum in scenam produxit, non solum aliorum verbis castigavit“, nescio an res recte explicentur in

1) cf. Bergk. in Meinek. F. C. II, 2. p. 979: „Bacchum igitur induxit poeta, quem viri populares in ius vocaverant . . . quinam autem viri illi populares fuerint, qui vexabant Bacchum, facile possumus coniectura assequi: Cleon eiusque socii erant, quorum protervitatem saepissime castigat Aristophanes.“

hunc modum: primum decretum est, si sociorum legati adessent, vetari poetas rempublicam eiusque instituta palam perstringere; tum non dico novam quandam legem esse latam de magistratibus non laedendis, sed vetus quaedam lex, quae magistratus a laedendo impugnando castigando defendebat, interpretando ita est definita, ut poetae comici eos palam (*ὀνομαστί*) in scenam producere vetarentur. Quibus in rebus decernendis Antimachum choregum interfuisse licet suspicari.

Iam vides quamquam cum Leone aliquo modo summam libertatem circumscriptam fuisse eis quoque annis quos dixi audacter contendo, me in legis illius vi explicanda ab eo dissentire. Recte quidem eodem modo atque legem Syracosii ceteras leges vel psephismata ad certos quosdam homines spectasse censet, neque minus recte imprimis ad magistratus, quorum sanctitatem Leo compluribus argumentis satis confirmat, leges pertinuisse, id quod schol. Ach. 378 et [Xen.] de rep. Ath. II, 18 illustratur. Attamen quae summa est disputationis, mihi non arridet; est autem haec (p. 39): „lege illa cautum erat ne nomen magistratus aperte et contumeliose nominaretur.“ Quae explicatio esset evidens, si certis locis demonstrari posset, poetam qui iamiam iniurias in magistratum quendam dicturus esset, lege coactum contumelias omisisse aut poetam propter nomen magistratus aperte et contumeliose nominatum esse punitum. Sed utrumque cum demonstrari nequeat, contenti essemus, si legem, qualem Leo sibi fingit, videremus nullo loco a poeta esse laesam. At saepius laeditur ipseque Aristophanes saepius propter legem violatam Leoni est excusandus, quin etiam auctor sub finem pronuntiat, exstitisse quidem legem, sed non multum valuisse. (p. 44 . . . „legum igitur naturam si ducibus indagare studueris eis, qui ipsis observandis quantum possent supersederent, nec legibus nec poetis satisfecisse videbere.“ et p. 39 . . „redintegrandae legi, violatae totiens ut obsoluisse videretur.“) Itaque quod Av. 363 haec verba leguntur „*ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς*“, „modesta mentio Niciae et quasi honorifica“ dicitur; v. 650

μελλονικιᾶν „non offendit.“ Quod autem verba, quae Eq. 358 inveniuntur, *λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω* legem illam non laesisse dicuntur, non mirari non possum. Cum enim poeta illius diei aperte faciat mentionem, quo Nicias praetor a Cleone improviso opprimitur itaque turbatur, ut tantum non mentem sanam amisisse videatur (Thuc. IV. 27 sq.), haec verba nonne contumeliosa potius quam honorifica sunt dicenda? — Nihilo magis autem quae ad Cleonem exagitatum spectant, satisfacere videntur. An in hisce verbis (p. 42) „Cleoni siquidem Ol. 89, 2 imperium gerebat, ut proprio inimico non pepercit.“ et „Cleo autem quamvis per totam comoediam [Equitum] male tractatus cur non ipse producatur et *fere nusquam* nominetur (nominatur autem 973 sq.) non oportet pluribus exponatur“, his inquam in verbis acquiesces? Si enim nomen magistratus contumeliose afferre poeta vetitus est, quid interest, utrum semel afferat an saepius? Exemplum autem luculentissimum, *quod Leo omisit*, in Nubium fabula exstat: v. 581—94 Cleo nominatur, quin etiam ut fur pecuniaque corruptus exagitatur, idque eo ipso anno, quo praetor est. Nam hos Nubium versus ipso praeturae anno compositos et recitatos esse satis apparet, id quod infra demonstrabimus. Leonis igitur explicatio illius legis falsa esse mihi videtur, quamvis p. 40 adhortetur, ne nimis accurate legem observatam esse putemus. Neque intelligitur, quid sibi velint verba grammaticorum *μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν, μὴ φανερῶς λεληθότως δὲ κωμῳδεῖν*.

Leo cum recte legem non ad omnes Athenienses, sed ad magistratus tantum spectasse dicat, equidem paulo longius progredior, cum non ad magistratus omnino calumniose perstringendos, sed ad magistratus in scenam producendos pertinuisse ratus. Itaque illum virum d. optimam viam, quam iam ingressurus erat, falso reliquisse dixerim. Quae enim verba p. 27 protulit: „at dicat aliquis nominari semper homines permissum fuisse, dum ne ipsi in scaenam producerentur“, recti aliquid continent, siquidem non de lege Syracosii tantum dicuntur, magistratusque significari puta-

mus. Mea quidem sententia haec fere vis legi inerat: „*ut nominarent magistratus semper erat poetis comicis permissum, dum ne ipsos in scenam producerent* — sed addas velim: *nominatim producerent.*“ Quodsi Meineckius (Hist. cr. p. 40 ann. 20) lego, quae ab anno 440 usque ad a. 437 valuit, cautum fuisse censet „ne poetae comici si quem lacdere vellent, eum nominatim et ignominiosas partes agentem in scaenam producerent“, nescio an eadem lex, quae nostro decennio magistratus tantum defendebat, eo tempore omnes Athenienses eodem modo defenderit. — Itaque nihil obstitisse crediderim, quominus actores vel choreutae occasione oblata magistratus aperte sive laudarent sive vituperarent; qui cum magistratus absentes exagitabant, id paucis tantum verbis plerumque absolvebant; et talia qualia Av. 650 (*οὐδὲ μελλονικιᾶν*) et Vesp. 596 (*Κλέων ὁ κεκραξιδάμας*) inveniuntur, omnino non in numero eorum fuisse censeo, quae lege Athenienses vetuerint. Sed cum Socrates in Nubium fabula, Lamachus, quippe quem praetorem eius anni non fuisse capite sequenti demonstraturus sim, Euripidesque in Acharnensium fabula aperte perstringantur et in scenam producantur, non item permissum erat, ut magistratus nominibus appositis poetae in scenam producerent. Ii enim, qui legem tulerunt vel veterem de magistratuum sanctitate legem post Babylon. fabulam doctam interpretati sunt, ii inquam non ignorabant, facillime factum iri, ut actor quis partes magistratus susciperet nomine celato vel mutato. Nescio autem utrum Athenienses crediderint hac lege se multum veteri licentiae extorsisse, an ex doctrina iurisconsultorum eius rei causa sumpta fuerit, qui recte contenderent, poetam vix capi convincique posse, si *αἰνιγματωδῶς* magistratus dicentes faceret, eique semper facultatem tergiversandi esse relictam. Ceterum censeo, legem *μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί* vetuisse magistratus, qui eodem anno munere publico fungerentur, nominibus appositis poetas nulla simulatione usos eodem modo atque Euripidem poetam Socratemque philosophum in scenam producere.

Qua de explicatione non dubitamus, quamquam Leonem p. 39 haec videmus proferentem: „eodem sensu *τὸ κωμῳδεῖν* grammatici acceperunt: *ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν· ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχάς* (schol. Ach. 378); quas ignominiosas partes agentes in scenam producere non licuisse apparet.“ Ex eis, quae supra de Babyloniorum fabula dixi, potius efficitur, fortasse discrimen aliquod inter verba *κακῶς εἰπεῖν* et *κωμῳδεῖν* interesse. Prioribus certe temporibus *ὁ κωμῳδῶν* nihil significabat nisi poetam comicum, *ὁ κωμῳδούμενος* eum, qui a comico tractatur (Prol. Dübner. I, 12). Neque semper verbo *κωμῳδεῖν* inest notio illudendi,[1] quamvis plerumque, cum veteris fuerit comoediae illudere et exagitare. Sed utrum *ὁ κωμῳδούμενος* ipse in scenam producatur necne, verbo ipso non apparet; itaque multis locis *κωμῳδεῖσθαι* dicitur, qui aliorum actorum verbis carpitur, multis vero, qui ipse in scenam prodit.[2]

Hoc igitur argumento minime perturbati quoniam videmus, legis eius modi vestigia exstare, Leonis autem explicationem ipsis comoediis refelli, nostrum est accurate comoedias illas quinque Aristophanis perlustrare, utrum in nostram explicationem quadrent necne (ceterae autem comoediae multo post doctae nescio an eidem legi, cui aliae addi poterant, fuerint subiectae). Sed antequam hac de re diiudicemus, capitibus quae sequuntur duobus de nonnullorum civium Atheniensium magistratibus est dicendum.

---

1) Arist. Ach. 655 *ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια* i. e. in comoedia de iustitia disseret, eam tractabit; neque enim video, cur cum Steph. Thes. hoc loco verbum „sensu praegnanti“ usurpatum esse idemque valere dicamus quod *κωμῳδοῦντα εἰπεῖν τὰ δίκαια*.

2) Poll. IV, 143. *τὰ κωμικὰ πρόσωπα τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ὡς τὸ πολὺ τοῖς προσώποις ὧν ἐκωμῴδουν ἀπεικάζετο.* Proleg. in Ar. Dübn. I, 80 sqq.: *ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ εἴκαζον τὰ προσωπεῖα τοῖς κωμῳδουμένοις, ἵνα πρίν τι καὶ τοὺς ὑποκριτὰς εἰπεῖν, ὁ κωμῳδούμενος ἐκ τῆς ὁμοιότητος τῆς ὄψεως κατάδηλος ᾖ κ. τ. λ.*

CAPUT ALTERUM.

Quaeritur, utrum Lamachus, qui in Acharnensium fabula in scenam prodit, praetor eiusdem anni fuerit necne.

Antequam accuratius inquiram, num viri docti Lamachum fabulae Aristophaneae praetorem esse recte indicarint, pauca sunt praefanda. Ac primum quidem me iis assentiri confiteor, qui comitia praetorum aestate habita esse praetoresque munera initio anni Attici iniisse censent (quibus autem causis commotus iis assentiar, infra paulo amplius exponam); itaque si Lamachus revera ut praetor in scenam prodit, cum initio Ol. 88, 3 i. e. aestate anni 426 praeturam suscepisse dixerim. Tum non incommodum videtur esse ante Aristophanis comoediam perlustrandam examinare, quid aliis ex fontibus haurire possimus. Atque inscriptionibus quidem haec eius praetura ni fallor non comprobatur; Thucydides autem, quippe qui non omnium praetorum uniuscuiusque anni nomina nobis tradat, in numero praetorum anni Ol. 88, 3 Lamachum non habet. Is enim in libri quarti c. 75 demum eum praetorem tertium *τῶν ἀργυρολόγων νεῶν Ἀθηναίων* esse dicit; haec autem praetura Lamachi et Aristidis Demodocique, qui eius erant collegae, in annum Ol. 89, 1 (424/3) cadere videtur; ea enim, quae cap. 66—74 et 76 sqq. narrantur, novo Olympiad. anno gesta esse cum Classenio puto. Eundem Lamachum anno priore quoque eodem munere functum esse fuerunt qui contenderent. Velut Müller-Strübingius, cuius librum „Aristo-

phanes und die historische Kritik. Leipzig 1873“ saepius commemorabo, eum fortasse collegam Niciae in expeditione in Corinthios facta fuisse dicit (p. 522); id quod fieri potuisse non prorsus negarim, cum Thucydides IV, 42 duos Niciae collegas non nominet; tamen coniectura est valde incerta nescioque an maiore iure de Nicostrato et Autocle cogitemus, qui non solum eodem anno cum Nicia expeditioni in Cytheram faciendae praesunt (IV, 53), sed anno sequenti quoque cum eo indutias iure iurando sanciunt (IV, 119); Nicostratus autem et Nicias etiam anno Ol. 89, 2 sunt collegae (IV, 129). Quodsi idem M.-Strübingius eodem loco sic fere argumentatur: „anno priore Aristides eodem munere pecunias exigendi functus est (Thuc. IV, 50); qui cum collegas habuisse dicatur, nescio an in eorum numero Lamachus fuerit, qui paulo post eum comitetur;“ iam concedo, hanc coniecturam speciem veritatis praebere. At Aristidem anno Ol. 88, 4 solum eis navibus praefuisse contendo. Quod enim Thucydides dicit: *Ἀριστείδης ..., εἷς τῶν ἀργυρολόγων νεῶν Ἀθηναίων στρατηγός*, falso viri docti idem esse voluerunt atque *εἷς .. τῶν στρατηγῶν* (cum interpretes taceant, in Steph. Thes. haec verba exstant: „dixit *στρατηγός* ne insuavius diceret *στρατηγῶν*“); neque enim crediderim, auctorem pro gen. plur. nominativum posuisse, cuius usus exempla inveniuntur nulla, cum *εἷς ἀνήρ* (un homme), *εἷς κάπηλος* (Ar. Av. 1292) aliaque exempla, ubi *εἷς* idem fere est atque *τίς*, omnino non comparari possint cum nostro loco, quo *unus certo* praetorum numero opponitur. Accedit quod Thucydides semper si non nomina tamen numerum praetorum emissorum indicat neque non ubi de *ναυσί ἀργυρολόγοις* agitur (III, 19 quinque (?), IV, 75 tres — II, 69 per se apparet praetorem esse unum). Itaque cum *εἷς* respondere videatur vocibus *τρίτος αὐτός*, *πέμπτος αὐτός*, Aristides non erat unus ex praetoribus, sed unus praetor i. e. solus praeerat. Summa autem est haec: Thucydidis libris Lamachum ante annum Ol. 89, 1 praetorem fuisse non scimus; iisdem ne id quidem demonstrari potest, *verisimile*



esse, Lamachum praetura functum esse anno Ol. 88, 4 (425/4).

Quae praefatus iam ad propositum accedam. Cum antea viri docti fere omnes in eo consenserint, quod Lamachum post versum 566 sqq. ut praetorem in scenam prodire censebant, Müller-Strübingius, qui p. 498 sqq. multa accuratiore cognitione digna de nostra fabula protulit, is inquam primus tota fabula eum praetorem esse negavit, potius in versibus 593—618 tantum eum hoc munere fungi videri. Quam rem ita explicare studuit, ut poetam paulo ante fabulam doctam, cum Lamachus paucis diebus ante praetor factus esset, hanc partem in fabulam iam omnibus numeris absolutam repugnantiis prorsus neglectis inseruisse diceret. Qui M.-Strübingii librum tractarunt, anonymus quidam („Lit. Centr. Bl." 1874 p. 1195 sq.) Adolfus Schmidt („Jenaer Lit. Zeit." 1875 Nr. 5), Lipsius (Bursiani „Jahresber." 1873, 10. 1875), hi omnes consensu inter philologos prorsus inaudito illius viri d. argumenta quidquam valere negarunt. Multum quidem abest, ut mihi persuaserint; neque tamen M.-Strübingio utique assentior, quippe qui illam partem ad proxima praetorum comitia exagitanda insertam esse contendat. Meam igitur sententiam, ex qua *Lamachus totam per fabulam, quatenus vera est germanaque, non praetor est*, sed belli amantissimus munerisque praetorii cupidissimus, probare et confirmare pro viribus studebo.

Ac primum quidem v. 569 tractandus est. Codices atque imprimis codex optimus Ravennas praebent haec: *εἴτε τις ἔστι ταξίαρχος ἢ στρατηγὸς ἤ*, quae scholiasta legisse videtur et W. Ribbeckius tamquam genuina recepit, ut dochmium dimeter iambicus sequatur. Quae codicum verba Elmsleius Dind. Mein. Albertus Müller ita mutarunt, ut legant: *εἴτε τις ἔστι ταξίαρχός τις ἤ*. M.-Strübingius contra versum trimetrum restituit (p. 502): *εἴτ' ἔστι ταξίαρχος ἢ στρατηγὸς ἤ*. Anonymus denique ille sic legi vult: *εἴ γέ τις ἐστιν ἢ στρατηγός τις ἤ*. Alii aliter mutarunt codicum ratione vix habita; neque ea quaestio esse videtur, quae certum ad finem perduci possit; attamen quae ferri nequeant, quae praebeant veritatis speciem, iam dicam.

Cum semichorium v. 564 sq. alteram partem aggredi idemque v. 569 a militum ducibus opem petere nequeat, itaque Hotibius de stropha et antistropha duorum semichoriorum falso cogitarit; particula quadam, quae v. 568 et 569 coniungat, opus est; quare anonymi illius *εἴγε* minus arridet; neque intelligitur, cur particula *γέ* apposita sit. Elmsleii autem versus, quem multi interpretes receperunt, vocem *τίς* molestissime repetitam praebet, quam ferri posse concedo, si primam vocem *τίς* particula *ἤ* sequatur; id quod anonymus ille Eurip. Orest. 1218 confirmat:

φύλασσε δ', ἤν τις, πρὶν τελευτηθῇ φόνος,
ἢ ξύμμαχός τις ἢ κασίγνητος πατρὸς κ. τ. λ.

Duarum autem lectionum utra sit verisimilior, non diiudicarim. Aut statuendum erit, recte scholiastam de pedibus iambicis systemati dochmiaco admixtis verba facere adoptandamque esse codicum lectionem; aut versus dochmiaci meri sunt restituendi, voce *ταξίαρχος* eiecta, ut priore particula *ἤ* alterum *τίς*, ab anonymo illo insertum, defendatur; nescio autem an librarius, cum ante primam particulam *ἤ* aliquid desideraret, vocem *ταξίαρχος* inseruerit. Itaque legi volo aut *εἴτε τις ἔστι ταξίαρχος ἢ στρατηγὸς ἤ*, aut *εἴτε τις ἔστιν* (. . .) *ἢ στρατηγός* [*τις*] *ἤ*. Qua lectione accepta primum intelligimus, quomodo vitium ortum sit; tum non idem verbum ad duos dochmios pertinet, ut vox *ταξίαρχος* apud Meinekium; aptissimum denique est, quod post Lamachum et summus dux i. e. praetor et miles gregarius (*τειχομάχας ἀνήρ*) advocatur.

Si igitur recte de verbis *εἴτε* retinendis disputavi, cum anonymo illo negare nequeo, Lamachum non esse praetorem. Nam minus arrident quae protulit W. Ribbeckius: „Die Gründe gegen *στρατηγός* finden in der Aufregung des Chores hinreichende Widerlegung"; ii enim qui poetam in fabulae partibus perturbatione animorum plenis perverse cogitare perverseque dicere censent, talibus in partibus ullam emen-

dandi artem quamvis sanam cautamque adhiberi posse negant. Lipsius contra omnia recte se habere ratus eodem iure e verbis Homeri *Ἕκτορι μὲν καὶ Τρωσί* offici posse dicit, Hectorem non esse Troianum. At aliquid interesse sentient, qui nostra vernacula lingua utentur; nam nos quoque recte dicimus: „Prinz Albert und die Sachsen", minus recte: „komm herbei, gewaltiger Bismarck, und wenn irgend ein Diplomat und Staatskünstler da ist, nahe er." — Sed audiamus, quae Ad. Schmidt protulit: „Die Verse 566 ff. sind vollkommen unanstössig, auch wenn zuerst in Lamachos ein abwesender Strateg zu Hülfe gerufen wird, und die Düfteleien pedantischer Commentatoren können doch wahrlich nicht ein Richtmass für unbefangene Auslegung sein." Doleo quidem me „commentatorem" rerum minutarum nimis diligentem vocari, tamen mihi persuasum habeo, accuratam uniuscuiusque loci explicationem non dico egregium esse florem sed solidum fundamentum. Sed haec hactenus: videmus M.-Strübingium de munere praetorio recte indicasse, quamquam ei in versu trimetro restituendo non assentimur.

Tum versus 572—9 nulla coniectura tentandos esse idem suo iure contendit; versusque 577 *οὗτος σὺ τολμᾷς πτωχὸς ὢν λέγειν τάδε;* omnino deesse non potest, cum Dicaeopolis respondeat . . *συγγνώμην ἔχε,* | *εἰ πτωχὸς ὢν εἶπόν τι κἀστωμυλάμην.* Sed una in re ille v. d. errat, quamquam A. Müllerus iam antea recte de eadem re verba fecit: versus 576 sq. priori semichorio sunt tribuendi, quippe quod belli amantissimum v. 566 sqq. Lamachi auxilium petat; versus autem 575 *ὦ Λάμαχ' ἥρως τῶν λόφων καὶ τῶν λόχων* alterius est semichorii, quod et antea et nunc a parte Dicaeopolis stat, et ipsum Lamachi aspectu perterritum. Quodsi v. 566. 8. 575. 6. 8 Lamachi nomen repetitur, minime in eo offendendum est: poeta comicus consulto repetiit. Voces autem *λόφος* et *λόχος* (575. 586. 1074) ambiguitatem quandam Aristophane dignissimam praebere M.-Strübingius censet, Demosthenisque cladem Aetolicam veris 426, quam Thuc. III,

97 sq. describit, his versibus tecte significari Adolfus Schmidt quoque concedit. Itaque si fingimus, Lamachum illius exercitus lochagum fuisse aestateque anni 426 revertisse (cf. Thuc. III, 97), fortasse ex versibus 1218. 26. 1174 sqq. concludere licet, cum revera vulneratum esse. Iam vides, cum comparari posse cum Nicomachide illo, qui apud Xenophontem (Memor. III, 4), haec profert: „*ὅς ἐκ καταλόγου στρατευόμενος κατατέτριμμαι καὶ λοχαγῶν καὶ ταξιαρχῶν καὶ τραύματα ὑπὸ τῶν πολεμίων τοσαῦτα ἔχω,* praetor non sum factus." Quodsi anonymus ille lochagum uni tantum *λόχῳ* praefuisse dicit, tale argumentum nihil valet, ubi poeta verborum ambiguitate usus iocatur.

Alterum autem argumentum, quo M.-Strübingius nititur nullo eorum qui eius librum tractarunt assentiente, est quod in v. 964 sq. Lamachus non disertis verbis praetor appellatur; neque ego huic versui multum tribuerim, attamen hoc tenendum est: in omnibus versibus ceteris neque nomen neque munus praetoris vel tecte significatur.

Cum de primo argumento propter codicum interpretumque discrepantiam dubitari possit, alterum argumentum ex silentio petitum minus valeat, tertius locus contra certam praebet ansam. Versus enim 1073 *ἰέναι σ' ἐκέλευον οἱ στρατηγοὶ τήμερον* et 1078 *ἰὼ στρατηγοὶ πλείονες ἢ βελτίονες* M.-Strübingius rectissime censet docere, Lamachum non esse praetorem. Quodsi Lipsius haec opponit: „Der Verfasser musste erst beweisen, dass der Komiker nicht berechtigt war, das Collegium der Strategen über einen einzelnen aus ihrer Zahl disponiren zu lassen"; mehercle, difficile est, talia argumenta refellere; attamen respondebo. Certe concedendum est, fieri potuisse, ut unus ex praetoribus ceterorum suffragiis vinceretur invitusque iuberetur proficisci. Sed ipse erat consilii particeps neque nuntius eum docebat, quid collegium praetorum, in quorum ipse erat numero, fieri vellet. Quarum rerum condicionem mutare et detorquere ne comici quidem est, cum nullae insint facetiae. Si Lamachus praetor erat, cur non poeta nuntium praetorem

ad consilium vocantem, ipsum autem praetorem paulo post redeuntem calamitatemque suam pronuntiantem fecit aut praetorem e consilio domum revertentem statimque expeditionem apparantem induxit? Sin lochagus erat, omnia recte se habent: nuntius eum certiorem facit, quid praetorum collegium ei gerendum esse decreverit. — Gaudeo autem, Leonem idem sensisse, quippe qui p. 41 versus 1073. 8 fidem facere dicat „Lamachum illo anno ipsum ducem non fuisse."

Quoniam de tribus illis argumentis diximus, restat ut de v. 590—625 disseramus, id quod difficilius erit, cum neque M.-Strübingio concedam hanc partem postea ad comitia praetorum perstringenda insertam esse, neque eius adversariis, omnia esse vera incorruptaque. Quominus M.-Strübingio assentiar, hoc ipsum prohibet, quod falso de comitiorum tempore disputavit. Sed parumper statuamus, eum recte de tempore praetorum creandorum hiberno dixisse et videamus, num eius sententia accepta omnia quadrent. Pag. 517 sqq. longiore sermone examinat, quas expeditiones nondum factas sed ipso eo anno faciendas poeta versibus 602 sqq. alludens significet. Ac primum quidem vix dubitari potest, quin v. 606 de Atheniensibus aut praetoribus aut legatis in Siciliam missis agatur; sed potest dubitari, num de praetoribus vel legatis eadem aestate mittendis. Cum enim poeta nusquam forma temporis futuri utatur, nonne eodem iure de legatis praetoribusque cogitabimus, quos annis qui antecedebant quoque in Siciliam missos esse constat? Neque minus apparet, verbis *ἐν Χαόσιν* (v. 604) res Corcyraeas significari; sed non concedo expeditionem futuram, non concedo expeditionem significari militarem. Thucydides libri III. c. 70—85 enarrat, quomodo exortus sit ille Corcyraeorum tumultus, neque non III, 70, 2 de legatis Atheniensium dicit. Hanc ipsam vel similem legationem perstringi, mihi constat; quamquam enim Chaones non in Corcyra insula, sed in continente finitimo habitabant, tamen illam regionem remotam nomine barbarorum illorum, quos saepius nominat, significare potuit

nobisque sic interpretari licet: dahinten bei den Chaonen. De rebus futuris non agi, eam quoque ob rem iterum atque iterum contendo, quod idem vir d. hoc in loco falso explicato nisus p. 456 dicit comitiis ante ludos Lenaeos habitis populum de rebus aestate auctumnoque gerendis decrevisse.

Sed aliud M.-Strübingio maxime opposuerim: his versibus omnino de rebus militaribus non agitur neque ullum verbum ad praetores qui exercitum male ducant aut ad clades acceptas spectat; id quod probabimus singulis partibus perlustrandis. Ac primum quidem v. 608—19 non de praetoribus, sed de legatis poetam dicere, quis est qui neget? An Ecbatana (v. 613) exercitus Atheniensis missus vel mittendus erat? Quid? quod Dicaeopolis v. 610 choreutas sic interrogat: *ἤδη πεπρέσβευκας σὺ πολιὸς ὤν?* Quod autem qui non legati munere functus est et qui magnam aufert mercedem inter se opponuntur (v. 608), memineris velim, v. 66 sq. et 137 de pecunia in legationibus nimia profusa Aristophanem dicere; eandemque initio fabulae nostrae legationem Persicam Thracicamque perstringere, v. 133 denique Dicaeopolim haec facere dicentem: *ὑμεῖς δὲ πρεσβεύεσθε καὶ κεχήνατε.* Constat quidem praetoris maiorem fuisse mercedem; sed his versibus minime milites gregarii, qui tenuem mercedem accipiunt, opponuntur ducibus singularum partium, qui duplicem, vel praetoribus, qui quadruplicem mercedem auferunt. Cum igitur v. 608 de nimia legatorum mercede agatur, Lamachus autem v. 614 legati munere functus esse dicatur; v. 619 Dicaeopolis haec fere ironice ut ita dicam profert: „concedo rempublicam esse miserrimam, si Lamacho legati munus magnaque pecunia non tradatur."

Tum prorsus eadem sententia versibus 599—607 subiecta est; v. 600 et 601 enim M.-Strübingius falso interpretatur, quamquam p. 506 se primum hos versus recte intellexisse gloriatur; neque satis accurate v. 601 sic vertit: „wie dagegen junge Leute gleich Dir, die davongelaufen sind, angestellt werden", cum partic. *διαδεδρακότας* praedi-

cative quod dicunt positum sit. Quodsi senibus qui in acie manserint iuvenes, qui maxime in clade illa Aetolica fugerint, opponi censet; si Thuc. III, 98 audimus, nonne totus exercitus acie perversa miserrime aufugit? et quod in Thracia, in Chaonia, in Sicilia mercedem auferunt, quomodo cum fuga illa cohaeret? num omnibus illis locis milites ordines servarunt, fugerunt praetores? At poeta non de iis qui in acie maneant ordinesque servent verba facit, sed de iis, qui intra ordines militum stipendia mereantur; neque verbum *διαδιδράσκειν* prorsus idem est atque *ἀποδιδράσκειν*; hoc enim significat „cursu aufugere", illud „evitare", quod nos dicimus „davonlaufen", et „entschlüpfen, ausweichen, sich drücken" (cf. Herod. 8, 75 et de voce *διαδρασιπολῖται* Kockii annot. ad Ran. 1014, 1066 maximeque Bekkeri anecd. 34, 20). Itaque nulla alia explicandi via relinquitur nisi ea quam A. Müllerus aliique iam dudum inierunt: militibus qui belli laboribus senescunt (v. 610) iuvenes nobiles opponuntur, qui eos evitant, legatorumque munere functi magnam accipiunt mercedem (v. 601. 2). Hac enim explicatione accepta satis apparet, quae ratio intercedat inter verba *διαδρᾶναι* et *μισθοφορεῖν*; apparet etiam, hoc verbum idem significare atque in v. 608 et 619. Munus autem legatorum Athenienses suffragiis latis tradidisse, non sorte usos, satis constat (v. 607 *ἐχειροτονήθησαν γάρ*); qua de re conferas velim C. F. Hermann. Antiq. Gr. I^5, 148, 10.

Versus 595—8 denique ad idem munus legatorum perstringendum pertinere persuasum mihi habeo; et ipsa particula *οὖν* (v. 599) docet, poetam iis, quae sequuntur, eandem sententiam continuare, non hac re absoluta ad illam transire. Cum autem de homine, qui munera petit (*σπουδαρχίδης*) et illa quidem quaestuosa (*μισθαρχίδης*), Aristophanes dicat, de eodem munere legatorum quaestuoso cogitare tantum non cogimur, M.-Strübingii versione (Offiziersgehaltempfängerer) prorsus reiecta; *σπουδαρχίδης* enim vocatur qui munera petit et maxime quidem munera praetoria, qua de re Droysenius (Hermes IX, 1. p. 15 ann.) et C. F. Her-

mannus (Ant. gr. I^6. 153, 10 et 164, 4) disseruerunt; at ne Xen. Symp. I, 4 quidem apparet, hanc vocem non latius patuisse neque dubito quin alia quoque munera ambitum excitarint. Homini autem cives ambienti *ὁ στρατιωτίδης* opponitur, qua voce non miles gregarius, sed omnino qui stipendia mereatur sive locum inferiorem sive superiorem tenens significatur; nam equidem plane ignoro, quomodo minores et majores militantium gradus hic secernantur. Verba igitur, quae v. 598 leguntur *ἐχειροτόνησαν γάρ με* ad eadem suffragia comitiaque legatorum atque v. 607 pertinent. Ita tandem intelligimus, quid sibi velint verba *κόκκυγές γε τρεῖς*; cum enim A. Müllerus sic interpretetur: „pauci stulti, qui reliquis persuaserunt ut te crearent", hoc potius significare videntur: pauci qui magna voce usi numerum quasi duplicant, et cuculorum instar in suffragiis ferendis sua ipsorum nomina proferunt (cf. Hesych. *ἐπὶ ἐπονομασθέντων πλειόνων εἶναι καὶ ὀλίγων ὄντων*). Comitia quidem solemnia, quibus quotannis praetores creati sunt, frequentissima fuisse indico; nescio autem an comitia, quibus legatus quilibet creandus erat, nonnumquam paucos tantum Athenienses allexerint. Poeta comicus autem, quippe qui omnia in maius tollat, dicturus est: nondum ad id honoris fastigium ascendisti, ut a toto Atheniensium populo creareris, quamquam ea re vehementer gloriaris (v. 598). — Qui contra versum 598 ad Lamachum praetorem creatum spectare dicunt, nescio quomodo v. 599 (*ταῦτ' οὖν κ. τ. λ.*) interpretaturi sint.

Optime hos versus (595—619) inter se cohaerere, nemo est qui neget. Accedit quod alii versus eiusdem fabulae ad eandem rem spectant aliique scriptores nos docent, saepissime legatos missos esse. Velut [Xenoph.] de rep. Ath. I, 18 satis apparet, quid valuerint legationes. Sed videamus quomodo haec pars et in totius fabulae argumentum et in nostrae scenae connexum quadret. Hoc argumento eum, qui bellum prorsus aspernatur pacisque amore flagrat, contra belli fautores uti posse, non negarim; nam belli temporibus

multo plures legati emittendi erant quam in pace, id quod v. 130 sqq. confirmatur: *ἐμοὶ .. σπονδὰς ποίησον πρὸς Λακεδαιμονίους μόνῳ . . .*, *ὑμεῖς δὲ πρεσβεύεσθε καὶ κεχήνατε.* Et ipsum Lamachum, qui a semichorio belli amanti advocatus est, legati munere functum esse idque adamasse v. 614—9 docemur. — Quomodo autem haec pars cum iis, quae sequuntur quaeque antecedunt, sit coniungenda, equidem non video. Quid? quod posteaquam Lamachus Dicaeopolim sic interrogavit (593) *ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν στρατηγὸν πτωχὸς ὤν*; non de praetoribus, sed de legatis agitur, quippe quos eodem tempore praetorum munere functos esse putare non liceat? Age porro; qui versum 620 cum eo, qui antecedit, cohaerere censes? Cum nostro iure haec fere exspectemus: „quamquam belli temporibus magna pecunia multumque tempus in legationibus profunditur, attamen, siquidem creatus ero, hoc munere libenter fungar“, cum illa inquam exspectemus, haec exstant „... attamen pro viribus hostes aggrediar“.

Itaque summa capitis est haec: nostra in parte Acharnensium fabulae nonnulla excidisse videntur, cum v. 595—619 recte se habeant, haec autem pars cum v. 594 et 620 non arte cohaereat. Accedit quod M.-Strübingius nullo versu nos doceri recte dicit, quomodo semichorium primum, quod v. 566 sqq. belli amorem prae se ferebat et v. 576 sq. Dicaeopolim accusabat, sententiam mutarit, nisi forte in v. 626 acquiescendum esse censes. Qua in re non neglegendum est, quod nostra fabula multo pauciores versus quam ceterae Aristophanis fabulae complectitur; Leonis autem sententia, ex qua pars aliqua ante Dicaeopolis verba in foro prolata i. e. ante versum primum exciderit, mihi non probatur.

Versus vero 593, quo solo Lamachus praetor nominatur, pro spurio habendus est, qui aliis versibus repugnet et eo ipso loco legatur, ubi aliis de causis rimam vel lacunam exstare demonstravi. Quam lacunam librarius qui expleturus erat, fortasse hunc versum, versui 578 non dissimilem,

inseruit, sed ita ut de munere praetorio falso cogitaret. Neque mihi persuadere possum, ut v. 594 verum germanumque esse putem, cum v. 579 Dicaeopolis ipse dicat: *εἰ πτωχὸς ὤν κ. τ. λ.*; id quod M.-Strübingius quoque contendit, anonymus ille negat. — Ei contra, qui versum 593, qua ratione nunc explicatur, cum aliis fabulae locis non congruere censet, neque autem in iis, quae de vitio explicando protuli, prorsus acquiescit, nescio an alia via relinquatur, ut poetam comicum Lamachum, qui nondum praetor erat, mox autem se praetorem creatum iri sperabat, gloriose loquentem fecisse iudicet, quasi esset praetor. At haec ratio explicandi, quae per se poeta comico non est indigna, iis quae sequuntur non probatur; si enim vera esset, Dicaeopolis certe haec fere responderet: o tuam insolentiam! te praetorem esse dicis, qui locum multo minorem tenes.

Aristophane igitur teste Lamachus anno 426/5 praeturam non gessit; ea autem, quae Thucydidis libris de Lamacho compertum habemus, non repugnare, supra vidimus; neque repugnant, quae in Plut. V. Alcib. 18 legimus: .. *καὶ γὰρ ὁ τρίτος στρατηγὸς Λάμαχος ἡλικίᾳ προήκων ὅμως ἐδόκει μηδὲν ἧττον εἶναι τοῦ Ἀλκιβιάδου διάπυρος καὶ φιλοκίνδυνος ἐν τοῖς ἀγῶσι.* Quo loco versione editionis Reiskianae („etsi vergentem annis“) non accepta Lamachum senem dici nego tantumque eius Alcibiadisque aetatem comparari censeo. Quamquam igitur anno expeditionis Siciliensis nescio an plus quadraginta annos natus fuerit, tamen fieri potuit ut anno 425 nondum praeturam adeptus esset. Quodsi Köhlerus („Urkunden und Untersuch. z. Gesch. des delisch-attisch. Bundes“ p. 115) Lamachum, quem Plutarchus in V. Per. c. 20 Periclem in Pontum secutum esse dicit, fortasse eundem esse suspicatur atque nostrum, id sola nominum aequalitate mihi non persuadetur.

Iam vides, quomodo haec de Lamachi praetura quaestio cum argumento capitis primi cohaereat. Quod enim Adolfus Schmidt haec verba profert: „.. zudem ist es sehr begreiflich, wenn Aristophanes einen Strategen zum Helden seines

Stückes machte; aber es ist schwer anzunehmen, dass er einen so untergeordneten Officier wie es ein Lochage war, soviel Ehre erwiesen haben sollte"; eorum memor sis, quae supra de licentia comoediae lege coercita dixi: cum ipsos praetores palam in scenam producere vetitus esset poeta, Lamachum produxit, qui nondum ad illud munus accesserat, sed tantum erat lochagus, fuerat ni fallor legatus ad „Chaones" missus (v. 613). Dicat quispiam: „siquidem eo anno Lamachus lochagus erat, in numero erat magistratuum tuaque ipsius sententia in scenam produci non poterat". At aliud est munus magistratuum, qui sortiuntur vel suffragiis totius populi creantur, aliud lochagorum, qui a praetoribus designantur; qua de re conferas C. F. Hermanni Antiq. Gr. I⁵. § 152, Polyaen. Strat. III, 9. 10.

Restat ut disertis verbis dicam, si cum M.-Strübingio et Leone in Lamachi praetura neganda errarem, fore ut tota legis illius explicatio corrueret. Itaque ii qui hanc dissertationem legent, ignoscant velim nimiae verborum explicandorum diligentiae. Id autem simul mihi erat propositum, ut quae Müller-Strübingius de Acharnensium fabula recta portulisset quae falsa quam maxime secernerem neque non ostenderem, argumenta ad tempus comitiorum praetoriorum definiendum nostra ex fabula non posse hauriri.

CAPUT TERTIUM.

De Cleonis muneribus publicis.

Pars prior.

Quaeritur, utrum Cleo aerarii summus praefectus per quattuor annos fuerit necne.

De Cleone iterum disserere nescio an paene ineptum videatur, cum tam multis libris multisque dissertationibus de homine famoso illo Atheniensi agatur. At hic non diiudicabo, quo iure et Aristophanem et Thucydidem in eius moribus describendis sequamur, quoniam hanc rem ab Onckenio („Hellas u. Athen" II. 1866) optime tractatam esse mihi persuasum habeo. Sed de eius muneribus publicis cum non recte iudicarit, locus inquirendi rectiusque investigandi datus est. Neque enim P. Schwiegerus (de Cleone Athen., diss. inaugur. Gott. 1873) Philippus esse videtur, qui Alexandro nihil laboris relinquat. Cuius in dissertatione, si Droysenium et Onckenium perlegeris, frustra novi quidquam quaeres; falsi non nihil invenies, siquidem M.-Strübingium inspexeris. Recte quidem minus quam interpretes priores auctor iis, quae poeta comicus protulit, fidem habet; sed non est qui iusto modo facetias leporesque metiatur iocoseque accipiat; an cum p. 34 profert: „quod dicitur Eq. 447 sqq. Cleonis avus fuisse *τῶν δορυφόρων τῶν Βυρσίνης τῆς Ἱππίου*, nullius est momenti ut falsa criminatio", nonne melius de iocoso lepore quam de falsa criminatione dixisset? De muneribus autem publicis, quibus Cleo functus sit, pau-

eis verbis disseruit, sed ita ut Droysenium secutus eum *ταμίαν* fuisse conseat, de praeturis contra nihil fere proferat, quin etiam ne afferat quidem Nub. 575 sqq.[1] — Cum igitur operae pretium videatur esse de Cleone magistratu accuratius disputare, iam huius capitis priore parte examinemus, quo iure eum aerarii praefectum per quadriennium fuisse iudicent; quae quaestio quanti sit momenti demonstraturus de eo Atheniensium munere pauca praefabor.

Summus magistratus diu omnibus iis, qui historiam graecam tractarunt, *ὁ ταμίας τῆς κοινῆς προσόδου* fuisse visus est, quippe qui inde ab Aristidis temporibus sine collega quattuor in annos pecuniis publicis administrandis praefectus esset. Sed de viris, qui eo magistratu saeculo a. Chr. quinto functi essent, nihil fere constabat; velut Boeckhius, qui Oecon. Ath. I² p. 222 sqq. de hoc munere accurate disputavit, unum nominat Aristidem idque Plutarchi vel Idomenei auctoritate nisus. Quamquam quae ille vir doctus protulit, mox multorum libri pervulgarant, tamen nova inquisitione magnopere opus erat. Atque Müller-Strübingius, qui de quaestionibus movendis optime est meritus, minus de illis profligandis, hunc laborem p. 249 sqq. suscepit;

1) Ne falsum iudicium me ferre putes de Schwiegeri dissertatione, hanc velim inspicias errorum tabulam, quae facillime augeri potest: p. 28: „Brasidam ducem, qui . . . tandem anno 423 indutias cum Athoniensibus annuas fecit". — p. 38 „constat mercedem contionis ab illo [Agyrrhio] ad tres obolos auctam esse, certe vivo adhuc Cleone et nescio an eius consensu; namque iam anno 422 triobolum datum esse ex Vesp. 690 apparet". At de mercede contionali omnino non cogitandum est, cum v. 689 *δικάσοντα* legamus. — p. 42 sq. „ex Vesp. 242 sqq. apparere videtur, demagogum aliquo modo *contionis* populi convocandae potestatem habuisse". Ubinam de contione agitur? — p. 43 „Delios anno 422 Cleone auctore expulsos esse . . . testatur Thuc. V, 1". At verba Thucydidis *Κλέων δὲ Ἀθηναίους πείσας* ad rem prorsus aliam spectare luce est clarius.

neque negari potest, ad quaestionem illustrandam magistratusque illius, si exstabat, auctoritatem potestatemque demonstrandam eius operam multum valere. Equidem certe haec concedo: si huic soli magistratui non collegae erant, et hic solus in quadriennium creabatur — eo quoque M.-Strübingius auctoritatem praefecti aerarii augere, praetorum imminuere studet, quod illum solum totius populi, hos tribuum suffragiis creatos esse falso contendit — summa ei potestas non fuisse nequit; si vero penes hunc magistratum summa erat potestas, eo functos esse viros nobilissimos ingenio virtutibusque maxime excelsos facile conicimus.

Haec igitur omnia recte se habere concedo et si magistratus ille saeculo V exstabat, M.-Strübingium optime id egisse censeo, ut inveniret demonstraretque, quinam virorum saeculo V clarissimorum hoc munus gessissent. Sed exstitisse ipsum magistratum minime effecisse mihi videtur, quamquam p. 174 ann. Koehleri sententia reiecta auctor hoc maxime sibi persuasum habet. Koehlerus enim (l. s. p. 151) occasione oblata num hunc magistratum ante Euclidis annum Athenienses crearint admodum dubium esse contendit, cum testimonium Idomenei (Plut. V. Arist. 4) minimae sit auctoritatis. Cui Ern. Curtius assentitur (hist. gr. II⁴ p. 814 ann. 118); quin etiam, cum Koehlerus dubitet, pro certo habet, non aerarii illum praefectum saeculo quinto Athenis exstitisse. Idem denique sentiunt Classenius (Thuc. V. ed. 1875 p. 12 sq.) et Lipsius (Bursiani „Jahresberichte" 1873, 10. p. 1360 sqq.); neque non Gelzerus (ibid. 1873, 8. p. 1021 sqq.) totam M.-Strübingii de Aristidis Ephialtis Periclis ceterorum munere quaestorio disputationem argumentis infirmissimis niti censet demonstratque.

Iam ut ad quaestionem profligandam aliquantulum conferamus, primum omnibus veterum testimoniis parumper omissis examinemus, utrum statui urbis Atheniensis saeculo quinto, quo tempore ad merum atque sincerum genus reipublicae populare inclinabat, magis aptum esse videatur. Ac M.-Strübingius quidem nonnulla protulit, quibus perpensis



illo munere opus esse videatur; cum enim cetera collegia, quae pecuniis administrandis praefecta erant, *annua* tantum fuerint, neque iidem homines duos per annos continuos tali munere potuerint fungi, viro aliquo opus fuisse censet, qui per *longius temporis spatium* vectigalium ceterorumque fructuum publicorum administrationem cognosceret rectiusque de pecuniis et exigendis et consumendis iudicaret; tum quoniam ii, qui collegiorum variorum participes erant, non creabantur, sed munera *sortiebantur* et plerumque in numero divitum optimatiumque erant, populum ipsum unum *creasse* putat comitiisque indicasse, qua ratione pecunias publicas administrari vellet. Quae argumenta speciem veritatis praebere libenter concedo; attamen a civitate, in qua omnia per populum geruntur, videntur aliena esse. Quid? quod idem de praetoribus creandis iudicare licet? An magis consentaneum fuisse negas, praetores vel unum, qui omnibus rebus militaribus praeesset, in longius quoddam tempus destinare? aerarii praefectum, si quis erat, nonne eodem modo atque praetores belli Peloponnesiaci temporibus iterum atque iterum comitiis annuis creare licebat? — Age porro: cum decem exstarent poletae, decem apodectae, decem aerarii sacri praefecti, decem hellenotamiae, quin etiam decem praetores; illius temporis non fuisse videtur, omnem potestatem lege suffragiisque uni tradere. Hellenotamiae autem aliique cum senatui rationem redderent, cuius erat omnia observare custodireque et contionibus convocatis ad populum referre, cum unusquisque civium de aerario publicis rationibus satis esset certior factus, cum denique praetores pecuniis administrandis operam darent; qua tandem auctoritate potestateque ταμίαν illum fuisse censebimus? in civitate, quae multos magistratus collegiaque ad hoc munus suscipiendum et sorte et suffragiis creabat, quid summo praefecto relictum erat? — Sed hac via res diiudicari nequit; cum enim postea illum magistratum Athenienses creaverint, non prorsus negandum est, saeculo quinto quoque eum creari potuisse; hoc solum contendo, minime apparere, hoc

munere ea quoque aetate certe opus fuisse. Itaque nil relinquitur nisi ut testimonia veterum accurate inspiciamus; quibus in tractandis statim in eo offendimus, quod saepius cives Athenienses praetores fuisse constat eodem tempore, quo aerarii praefecti fuisse a viris doctis nostrae aetatis dicuntur, ut Periclem, Cleonem.

Ac primum quidem qui inscriptionum Atticarum admodum gnarus est, Ulr. Koehlerus se illius magistratus nomen ante Euclidis annum non invenisse dicit. Cum ne hoc quidem casui tribuendum sit, nescio an multo magis Thucydidis silentio adiuvemur. Dicat quispiam, ex silentio scriptoris numquam nos certi quidquam efficere posse. Iam concedo, summam modestiam hac in re esse adhibendam; tamen quam maxime verisimile videtur, siquidem Thucydides, qui historiam graecam componit, nusquam eius mentionem facit, qui summus magistratus esse dicitur, eius aetate eum ne exstitisse quidem. Thucydidem, quem ira et studio nonnumquam commotum esse, ut causas subiceret, quae non verae erant causae, non negarim, cum humanum sit errare partiumque studio occaecari; Thucydidem, quem de sua praetura dicentem nonnulla fortasse omisisse, quae erant dicenda, quamvis invitus concesserim, si argumentis firmissimis probatur; eundem sibi proposuisse, cum res militares tractaret, ne de summo magistratu et de comitiis, quibus quinto quoque anno respublica quam maxime turbata esse dicitur, quidquam diceret, vel casu quodam cum de munere quaestorio et Periclis et Cleonis siluisse, nullo modo adduci possum ut credam. Itaque vix operae pretium videtur, locos quosdam afferre, ubi mentionem illius muneris amplissimi nostro iure exspectaremus; velut I, 96 cum de foedere cum sociis Deliacis facto, quin etiam de collegio quaestorum dicat (καὶ Ἑλληνοταμίαι τότε πρῶτον Ἀθηναίοις κατέστη ἀρχή, οἳ ἐδέχοντο τὸν φόρον), nullo verbo illud munus quattuor annorum attingit. Porro inspicias velim II, 13, ex quo capite viri docti (Baehrius et Starkius in C. F. Hermanni Antiq. Gr. ed. V. § 159, 8) Periclem ταμίαν

fuisse efficere studebant. At Pericles, qui de aerario pecuniarumque fontibus et sumptibus accurate cives docet contione convocata, disertis verbis initio capitis praetor nominatur.

Deinde non neglegendum videtur, quod [Xen.] de rep. Athen. I, 3 haec legimus: *οὔτε τῶν στρατηγιῶν οἴονταί σφισι χρῆναι μετεῖναι οὔτε τῶν ἱππαρχιῶν;* cum enim ea munera nominentur, quae non ipse populus suscipere, sed divitibus tradere soleat, mentionem *ταμίου* desideraremus, si exstaret.

Tum ad eundem finem perducetur, qui Plut. V. Periclis perleget; multis quidem capitibus accuratiorem potestatis definitionem frustra quaerimus (ut VI, 2 *τοῦ μὲν Θουκυδίδου καταλυθέντος, τῶν δὲ τοῦ δήμου πραγμάτων ὁμαλῶς ἁπάντων ὑπὸ τῷ Περικλεῖ γενομένων κ. τ. λ.* cf. VII, 2. X, 3. XV, 3 et 4); uno autem loco satis apparet, Plutarchum de eo munere nihil scivisse neque, si Blassius (ed. 1872 praef. p. 61) eum locum ex Theopompo sumptum esse recte suspicatur, hunc quidquam tradidisse: verba quae cap. 16, 2 exstant, Gelzerus quoque (l. s. p. 1033) attulit.

Quae autem Plutarchus V. Arist. cap. 4. teste Idomeneo levi illo scriptore nobis tradit, ea non prorsus recte se habere, viri docti concedunt omnes; sed quid falsum sit, quid rectum, inter se dissentiunt. Idomeneus vix de magistratu quattuor annorum cogitabat; et si quid veri inest in illa narratione, nescio an Aristides inter primos hellenotamias fuerit; quos statim munera sortitos esse, non primo creatos postcaque demum ut ceteros magistratus Athenienses sortitos esse, cum nullis veterum testimoniis tradatur tum ne verisimile quidem est.

Quo loco cum Aristides *τῶν δημοσίων προσόδων αἱρεθεὶς ἐπιμελητής* disertis verbis dicatur, quamquam Gelzerus l. s. p. 1025 umquam aerarii summum praefectum ea voce nominatum esse suo iure negat, multo obscurius est, quod Diodorus XII, 38 de Pericle pecunias publicas administrante profert: „ex Delo insula aerarium *μετήνεγκαν εἰς τὰς Ἀθή-*

νας καὶ παρέδωκαν φυλάττειν Περικλεῖ .... μετὰ δέ τινα χρόνον [i. e. viginti circiter annis post] *ἀνηλωκὼς ἀπ' αὐτῶν ἰδίᾳ πλῆθος ἱκανὸν χρημάτων*, cum Alcibiades ei suasisset, ut rationem reddendam evitaret, bellum Peloponnesiacum incepit.“ Quod fabulose enarratum esse apparet; neque dubito quin Diodorus vel quem excerpsit, cum de Pericle rationem pecuniae publicae reddente nescio quid audisset, ipse addiderit, quod de aerario foederis Deliaci Periclisque munere quaestorio profert; neque autem Gelzero assentior, qui Ephorum de aerarii sacri praefecto cogitasse censet (l. s. p. 1033).

Quodsi viri docti alios locos nullo modo explicari posse dicunt, nisi de comitiis rationeque quaestoris agi putemus; praetores quoque pecuniarum publicarum nonnumquam rationem reddidisse, non est cur Plutarcho non credam (V. Pericl. 23: *τοῦ δὲ Περικλέους ἐν τῷ τῆς στρατηγίας ἀπολογισμῷ δέκα ταλάντων ἀνάλωμα γράψαντος ἀνηλωμένων εἰς τὸ δέον κ. τ. λ.*); atque anno 430 Pericles ab Atheniensibus mulctatus est, quia res militares non recte administrasse videbatur, qua de re omnes consentiunt testes (Plut. Per. 35. Diod. XII, 45. Thuc. II, 65).

Quod denique Onckenius („Staatslehre des Aristot.“ II p. 515 1875) a Diodoro (XII, 39) Periclem bis *ἐπιμελητήν* vocatum esse dicit, et ei et Gelzero (p. 1032 sq.) opposuerim, hoc ipso loco de figura Minervae agi, constare autem eos quibus singularia officia tradebantur velut aedium curandarum artificumque observandorum, *ἐπιμελητάς* vocatos esse (cf. C. F. Herm. Ant. gr. ed. V § 147 et Plut. Per. 13, 4: *ἐπιστατοῦντος καὶ τούτῳ [τῷ Ὠιδείῳ] Περικλέους*).

Quibus perpensis ut iam summam conficiamus: M.-Strübingius cum efficere studuit, summum magistratum saeculo a. Chr. quinto Athenis fuisse aerarii praefectum, et aliis viris doctis et mihi persuasit, eo saeculo omnino illud munus non exstitisse. At argumenta, quae ille ex Aristophanis comoediis sumpsit, nondum tractavi, quippe quae Gelzerum adeo commovisse videantur, ut p. 1033 eius

fuisse efficere studebant. At Pericles, qui de aerario pecuniarumque fontibus et sumptibus accurate cives docet contione convocata, disertis verbis initio capitis praetor nominatur.

Deinde non neglegendum videtur, quod [Xen.] de rep. Athen. I, 3 haec legimus: *οὔτε τῶν στρατηγιῶν οἴονταί σφισι χρῆναι μετεῖναι οὔτε τῶν ἱππαρχιῶν*; cum enim ea munera nominentur, quae non ipse populus suscipere, sed divitibus tradere soleat, mentionem *ταμίου* desideraremus, si exstaret.

Tum ad eundem finem perducetur, qui Plut. V. Periclis perleget; multis quidem capitibus accuratiorem potestatis definitionem frustra quaerimus (ut VI, 2 *τοῦ μὲν Θουκυδίδου καταλυθέντος, τῶν δὲ τοῦ δήμου πραγμάτων ὁμαλῶς ἁπάντων ὑπὸ τῷ Περικλεῖ γενομένων* κ. τ. λ. cf. VII, 2. X, 3. XV, 3 et 4); uno autem loco satis apparet, Plutarchum de eo munere nihil scivisse neque, si Blassius (ed. 1872 praef. p. 61) cum locum ex Theopompo sumptum esse recte suspicatur, hunc quidquam tradidisse: verba quae cap. 16, 2 exstant, Gelzerus quoque (l. s. p. 1033) attulit.

Quae autem Plutarchus V. Arist. cap. 4. teste Idomeneo levi illo scriptore nobis tradit, ea non prorsus recte se habere, viri docti concedunt omnes; sed quid falsum sit, quid rectum, inter se dissentiunt. Idomeneus vix de magistratu quattuor annorum cogitabat; et si quid veri inest in illa narratione, nescio an Aristides inter primos hellenotamias fuerit; quos statim munera sortitos esse, non primo creatos posteaque demum ut ceteros magistratus Athenienses sortitos esse, cum nullis veterum testimoniis tradatur tum ne verisimile quidem est.

Quo loco cum Aristides *τῶν δημοσίων προσόδων αἱρεθεὶς ἐπιμελητής* disertis verbis dicatur, quamquam Gelzerus l. s. p. 1025 umquam aerarii summum praefectum ea voce nominatum esse suo iure negat, multo obscurius est, quod Diodorus XII, 38 de Pericle pecunias publicas administrante profert: „ex Delo insula aerarium *μετήνεγκαν εἰς τὰς Ἀθή-*

νας καὶ παρέδωκαν φυλάττειν Περικλεῖ .... μετὰ δέ τινα χρόνον [i. e. viginti circiter annis post] *ἀνηλωκὼς ἀπ' αὐτῶν ἰδίᾳ πλῆθος ἱκανὸν χρημάτων*, cum Alcibiades ei suasisset, ut rationem reddendam evitaret, bellum Peloponnesiacum incepit.“ Quod fabulose enarratum esse apparet; neque dubito quin Diodorus vel quem excerpsit, cum de Pericle rationem pecuniae publicae reddente nescio quid audisset, ipse addiderit, quod de aerario foederis Deliaci Periclisque munere quaestorio profert; neque autem Gelzero assentior, qui Ephorum de aerarii sacri praefecto cogitasse censet (l. s. p. 1033).

Quodsi viri docti alios locos nullo modo explicari posse dicunt, nisi de comitiis rationeque quaestoris agi putemus; praetores quoque pecuniarum publicarum nonnumquam rationem reddidisse, non est cur Plutarcho non credam (V. Pericl. 23: *τοῦ δὲ Περικλέους ἐν τῷ τῆς στρατηγίας ἀπολογισμῷ δέκα ταλάντων ἀνάλωμα γράψαντος ἀνηλωμένων εἰς τὸ δέον* κ. τ. λ.); atque anno 430 Pericles ab Atheniensibus multatus est, quia res militares non recte administrasse videbatur, qua de re omnes consentiunt testes (Plut. Per. 35. Diod. XII, 45. Thuc. II, 65).

Quod denique Onckenius („Staatslehre des Aristot.“ II p. 515 1875) a Diodoro (XII, 39) Periclem bis *ἐπιμελητὴν* vocatum esse dicit, et ei et Gelzero (p. 1032 sq.) opposuerim, hoc ipso loco de figura Minervae agi, constare autem eos quibus singularia officia tradebantur velut aedium curandarum artificumque observandorum, *ἐπιμελητὰς* vocatos esse (cf. C. F. Herm. Ant. gr. ed. V § 147 et Plut. Per. 13, 4: *ἐπιστατοῦντος καὶ τούτῳ* [*τῷ Ὠιδείῳ*] *Περικλέους*).

Quibus perpensis ut iam summam conficiamus: M.-Strübingius cum efficere studuit, summum magistratum saeculo a. Chr. quinto Athenis fuisse aerarii praefectum, et aliis viris doctis et mihi persuasit, eo saeculo omnino illud munus non exstitisse. At argumenta, quae ille ex Aristophanis comoediis sumpsit, nondum tractavi, quippe quae Gelzerum adeo commovisse videantur, ut p. 1033 eius

odissent (p. 582); Aristophanes contra, qui a parte optimatium iuvenum stabat cum hominibus quam maxime popularibus coniunctorum, Aristophanes igitur in Vesparum fabula id egit, ut tributa augerentur, *εἰσφορά* autem tolleretur (p. 177).

Sed haec omnia M.-Strübingius scripsit antequam librum Koehleri cognovit; quo cognito facere non potest quin concedat tributa iam anno 425 aucta esse (p. 174—7 annot.). Mihi quidem dolendum esse videtur, quod ille vir d. hanc libri partem non prorsus mutarit neque Koehleri inventis cognitis apertius dixerit, se errasse. Cum enim Cleone non mortuo, immo vero summis honoribus cumulato tributa aucta sint, *aut* Cleo iis augendis favebat, M.-Strübingius autem falsum tulit iudicium de Cleone obsistente, Aristophane optimatibusque faventibus; *aut* Cleo obsistebat, sed frustra obsistebat, M.-Strübingius autem falso iudicavit eum per quattuor annos totam rationem aerarii administrandi rexisse. Is contra hunc tantum in modum, quae in ipso disputationis contextu posuit, annotatione mutavit, ut factionem Aristophanis tributis anno 425 auctis non contentam fuisse dicat, novum potius censum maioremque tributorum copiam efficere voluisse; quod ut perficeret, tributo civili sublato, eos novo cuidam aerarii praefecto favisse. Cum haec igitur eius sententiae sit summa: „Cleo qui magis quam optimates sociis parcebat, Athenienses quoque pecuniam solvere volebat, optimatium factione resistente“; ne eam quidem recte se habere contendo.

Ac primum quidem Thucydide teste Cleo non minus quam Pericles potentiam Atheniensium in sociorum tributis positam esse sibi persuasum habebat; Thucydides enim eum sic facit loquentem: *καὶ τυχόντες μὲν πόλιν ἐφθαρμένην παραλαβόντες τῆς ἔπειτα προσόδου, δι' ἣν ἰσχύομεν, τὸ λοιπὸν στερήσεσθε* (III, 39). Neque quod apud Aristophanem Paphlago *ἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπεῖν* dicitur (Eq. 313) et secundum v. 1071 *ναῦς ἑκάστοτε*

αἰτεῖ ταχείας ἀργυρολόγους οὑτοσί, quibus locis similes nescio an inveniantur, in eorum numero Cleo fuisse videtur, qui parcebant sociis, Athenienses ipsos premere vexareque malebant.

Tum tributo illo civili M.-Strübingius maxime opus fuisse dicit, quia heliastarum merces aucta esset. Concedo quidem Cleone auctore triobolum illum institutum esse, cuius rei Equitum et Vesparum fabulae firmissima praebent argumenta, concedo quoque de caritate rei frumentariae, de belli incommodis deque mercede a Cleone summo iure aucta virum doctum rectissime disputasse; at hanc mercedem auctam inter causas fuisse, cur tributa *sociorum* augerentur, non minore veritatis specie mihi contendere licet. Sed quibus tandem locis nitantur, quae M.-Strübingius p. 163 sqq. de tributo civili profert, iam videamus. Primum Eq. versibus 923 sqq.:

δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην
ἰπούμενος ταῖς ἐσφοραῖς·
ἐγὼ γὰρ ἐς τοὺς πλουσίους
σπεύσω σ' ὅπως ἂν ἐγγραφῇς.

Quo ex loco recte efficitur, anno 424 Athenienses ipsos hoc tributum pependisse itaque quod anno 428 primum institutum erat (Thuc. III, 19), nondum sublatum esse. Sed Cleonem id instituisse vel Cleonem imprimis ei retinendo favisse, minime apparet; siquidem praetorum erat, hoc tributum exigere[1], Cleo praetor minitatur, se potestate legitima abusurum esse; de auctore autem tributi illius nil comperimus, nisi forte eodem modo e v. 912 sqq. colligis, Cleonem *τριηραρχίαν* instituisse vel *λειτουργίαις* magis quam alios oppressisse Athenienses.

Alterum M.-Strübingii argumentum est fragmentum quoddam fabulae Eupolideae (Meinek. Fragm. C. II, 1 p. 539):

1) Cf. Boeckh. oecon. Ath. I², 620: „Jenem Zwecke gemäss [dem kriegerischen] hatten die Feldherrn die Besorgung dieser Steuer [der *εἰσφορά*].“

verba: „Diese Betrachtung bestätigt von Neuem, dass das Amt des ταμίας τῆς κοινῆς προσόδου vor Eukleides nicht nachzuweisen ist. Mit der jetzt erkannten Machtstellung des Strategen und der aus unverdächtigen Zeugnissen hervorgehenden Bedeutung des Kriegsamtes ist die Tamiashypothese schlechterdings unvereinbar," ut ea inquam verba statim haec sequantur, prioribus repugnantia: „sicher bekleideten das Schatzamt weder Aristeides noch Ephialtes, noch Pericles, höchst wahrscheinlich auch Kleon nicht." Si igitur Cleo illo munere functus esset, id quod prorsus negare Gelzerus non ausus est, nobis statuendum esset, initio fere belli Peloponnesiaci illud munus ab Atheniensibus institutum esse. Quod si recte se haberet, difficultas non tolleretur, augeretur potius; nam multo magis esset mirandum, quod de munere amplissimo temporibus practer cetera dilucidis instituto nihil traditum esset. Itaque nunc ad propositum reversi de Cleonis munere quaestorio accuratius disseramus.

Ni fallor primus Droysenius (praef. vers. p. II. p. 291. 1837) Cleonem inde ab anno 426 usque ad 422 ταμίαν τῆς κοινῆς προσόδου fuisse confidenter contendit; cui cum Kockius (ed. 1853 p. 22) non sine dubitatione assentiatur, W. Ribbeckius (ed. 1867), Boeckhius, Onckenius alii obstiterunt. Quorum argumentis M.-Strübingius ut Droyseni sententiam relinqueret minime adductus p. 149 sqq. et ex Equitum fabula et ex aliis rebus efficere studuit, eum recte iudicasse. Et profecto, non sine aliqua veritatis specie suam sententiam argumentis fulsit; mihi quidem primum paginas illas perlegenti persuasit. Sed qui accuratius argumenta prolata perlustrabit locosque comoediarum inspiciet, nescio an ea omnia totamque disputationem vanam falsamque esse iudicaturus sit. Iam ut eos, qui legent hanc dissertationem, ad idem iudicium adducamus, primum quae

non ex Equitum fabula solum hausta sunt, tractemus, tum ipsam illam fabulam.

Tributa, quae socii Atheniensibus solvebant, tempore belli Peloponnesiaci non paulum aucta esse diu constabat; quo autem anno factum esset et quo viro maxime auctore, viri docti nesciebant, donec Koehlerus a. 1869 (l. s. p. 63 sqq.) tabulam illam novi census, quam non integram esse valde dolemus, edidit et p. 142 sqq. luculenter docuit, initio anni Ol. 88, 4 i. e. 425/4 tributa omnium sociorum ita aucta esse, ut aerarii reditus annui duplicarentur; rationem autem novi census instituendi hanc fuisse, ut cum populus tributa augenda esse decrevisset, primum decem τάκται crearentur, qui rogationes promulgarent, tum senatus deliberaret, quingenti denique heliastae tributa definirent. Quae cum nulli dubitationi subiecta sint, quaerendum est, quisnam Atheniensium et quaenam factio haec maxime perfecerit. Atque Koehlerus quidem (p. 151) de factione populari, cui Cleonem praefuisse constat, suo iure cogitat; primum enim eorum, qui extrema belli persequenda esse censebant, cum pecunia summa ad res graviter strenueque gerendas reipublicae opus esset, non plurimum interesse non poterat, ut tributa augerentur; tum Cleo eo ipso tempore, quo lex illa constituta est, quo senatus heliastaeque deliberabant, summum honoris fastigium assecutus est, cum paulo ante rebus Pyliacis ad optimum finem perductis victor Athenas revertisset. Itaque quamquam in C. F. Hermanni Antiq. gr. I[5], 157, 15 recte haec opponuntur: „besonders Kleon zum Urheber zu machen ist immerhin nur Hypothese," ea est coniectura quae tantam veritatis speciem prae se ferat, ut eam non reiciamus nisi aliis rebus eam vanam esse demonstratur. Id quod M.-Strübingius se effecisse ratus haec fere profert: Cleo semper quam maxime tributis augendis obsistebat (p. 163), cumque sociis parcere studeret, attamen pecunia ei opus esset, εἰσφοράν per totum belli tempus manere voluit (p. 165); quin etiam quod hoc civium tributum instituerat, summa erat causa, cur optimates eum

odissent (p. 582); Aristophanes contra, qui a parte optimatium iuvenum stabat cum hominibus quam maxime popularibus coniunctorum, Aristophanes igitur in Vesparum fabula id egit, ut tributa augerentur, *εἰσφορά* autem tolleretur (p. 177).

Sed haec omnia M.-Strübingius scripsit antequam librum Koehleri cognovit; quo cognito facere non potest quin concedat tributa iam anno 425 aucta esse (p. 174—7 annot.). Mihi quidem dolendum esse videtur, quod ille vir d. hanc libri partem non prorsus mutarit neque Koehleri inventis cognitis apertius dixerit, se errasse. Cum enim Cleone non mortuo, immo vero summis honoribus cumulato tributa aucta sint, *aut* Cleo iis augendis favebat, M.-Strübingius autem falsum tulit iudicium de Cleone obsistente, Aristophane optimatibusque faventibus; *aut* Cleo obsistebat, sed frustra obsistebat, M.-Strübingius autem falso iudicavit eum per quattuor annos totam rationem aerarii administrandi rexisse. Is contra hunc tantum in modum, quae in ipso disputationis contextu posuit, annotatione mutavit, ut factionem Aristophanis tributis anno 425 auctis non contentam fuisse dicat, novum potius censum maioremque tributorum copiam efficere voluisse; quod ut perficeret, tributo civili sublato, eos novo cuidam aerarii praefecto favisse. Cum haec igitur eius sententiae sit summa: „Cleo qui magis quam optimates sociis parcebat, Athenienses quoque pecuniam solvere volebat, optimatium factione resistente“, ne eam quidem recte se habere contendo.

Ac primum quidem Thucydide teste Cleo non minus quam Pericles potentiam Atheniensium in sociorum tributis positam esse sibi persuasum habebat; Thucydides enim eum sic facit loquentem: *καὶ τυχόντες μὲν πόλιν ἐφθαρμένην παραλαβόντες τῆς ἔπειτα προσόδου, δι' ἣν ἰσχύομεν, τὸ λοιπὸν στερήσεσθε* (III, 39). Neque quod apud Aristophanem Paphlago *ἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπεῖν* dicitur (Eq. 313) et secundum v. 1071 *ναῦς ἑκάστοτε*

αἰτεῖ ταχείας ἀργυρολόγους οὑτοσί, quibus locis similes nescio an inveniantur, in eorum numero Cleo fuisse videtur, qui parcebant sociis, Athenienses ipsos premere vexareque malebant.

Tum tributo illo civili M.-Strübingius maxime opus fuisse dicit, quia heliastarum merces aucta esset. Concedo quidem Cleone auctore triobolum illum institutum esse, cuius rei Equitum et Vesparum fabulae firmissima praebent argumenta, concedo quoque de caritate rei frumentariae, de belli incommodis deque mercede a Cleone summo iure aucta virum doctum rectissime disputasse; at hanc mercedem auctam inter causas fuisse, cur tributa *sociorum* augerentur, non minore veritatis specie mihi contendere licet. Sed quibus tandem locis nitantur, quae M.-Strübingius p. 163 sqq. de tributo civili profert, iam videamus. Primum Eq. versibus 923 sqq.:

δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην
ἰπούμενος ταῖς ἐσφοραῖς·
ἐγὼ γὰρ ἐς τοὺς πλουσίους
σπεύσω σ' ὅπως ἂν ἐγγραφῇς.

Quo ex loco recte efficitur, anno 424 Athenienses ipsos hoc tributum pependisse itaque quod anno 428 primum institutum erat (Thuc. III, 19), nondum sublatum esse. Sed Cleonem id instituisse vel Cleonem imprimis ei retinendo favisse, minime apparet; siquidem praetorum erat, hoc tributum exigere [1], Cleo praetor minitatur, se potestate legitima abusurum esse; de auctore autem tributi illius nil comperimus, nisi forte eodem modo e v. 912 sqq. colligis, Cleonem *τριηραρχίαν* instituisse vel *λειτουργίαις* magis quam alios oppressisse Athenienses.

Alterum M.-Strübingii argumentum est fragmentum quoddam fabulae Eupolideae (Meinek. Fragm. C. II, 1 p. 539):

---

1) Cf. Boeckh. oecon. Ath. I², 620: „Jenem Zwecke gemäss [dem kriegerischen] hatten die Feldherrn die Besorgung dieser Steuer [der *εἰσφορά*].“

ἔπειθ᾽ ὁ κουρεὺς τὰς μαχαιρίδας λαβὼν
ὑπὸ τῆς ὑπήνης κατακερεῖ τὴν εἰσφοράν.

Quamquam ille vir doctus nullo comicorum loco demonstravit, saepius Cleonem ut tonsorem exagitari[1], tamen ei concedo, hoc loco certum quendam hominem Atheniensibus omnibus notum, fortasse Cleonem perstringi. At hic omnino de tributo civili instituendo non agitur, sed de tollendo, nisi vero poeta imagine prorsus perversa usus est. An tonsor resecare demereque solet, quae ipse habere cupit, ut Cleo cupere dicitur, pecuniam a civibus exactam habere manibusque tenere? Tonsor nonne potius recidit, quibus homines liberari levarique student, ut Athenienses tributo civili se levatum iri sperant? Nescio igitur an poeta eodem modo ut in primo eiusdem fabulae fragmento (*ὦ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ, ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ᾽ ἦσθα νῦν τε μᾶλλον ἔσει*) urbem Atheniensium praedicaverit, quod tonsor, quem Cleonem esse tibi fingas, ipsam urbem tributo illo liberaturus i. e. *εἰσφοράν* sublaturus sit. Itaque ne hoc quidem loco demonstrari potest, Cleonem civium tributum retinere voluisse; neque hanc disputationis partem cum Gelzero (l. s. p. 1009) nimis laudarim.

Vesparum autem fabulae v. 39 sqq. ad eandem *εἰσφοράν* spectare nego (cf. M.-Strüb. p. 168 sq.); cum enim inde ab anno 428 tributum civile solutum esset, partes populi iam exstabant neque eo anno (422) ad illud exigendum Cleoni populus in classes distribuendus erat. Quam ad rem autem illi versus pertineant, nos prorsus nescimus; neque enim satis apparet, de opera quadam quaestoria poetam agere, sed hoc solum verisimile est, Cleonem ali-

1) Arist. Eq. 908 de adulatione Cleonis agitur; cui quid sit commune cum tonsore non video. — Verba autem *τὰ σκύτη βλέπειν* ad artem tonsoriam non spectant; quae cum nesciam an nonnumquam Cleonis quaestum respiciant (cf. Eq. 315 sqq.), plerumque nihil significant nisi „flagella timere“; cf. Vesp. 643 et rectam scholiastae explicationem.

qua ratione multitudinem laetitia affecturum, optimates pressurum fuisse.

Quod denique ad Acharn. v. 5 sqq. attinet (quos versus tractarunt M.-Strübingius p. 119 sqq., 162; C. F. Hermann. Antiq. gr. I[5], 157, 16; Gelzerus l. s. p. 1005 sqq.); neque M.-Strübingio, neque Gelzero prorsus assentior. Primum enim verbum *ἐξεμεῖν* idem significare atque „quod in tabula tributorum deletum erat, iterum in ea inscribere“, non quod Eq. 1148 (*ἔπειτ᾽ ἀναγκάζω πάλιν ἐξεμεῖν ἅττ᾽ ἂν κεκλόφωσί μοι*) quis est qui M.-Strübingio credat? Tum de scholiastae fontibus non recte disputasse videtur; quae enim de insularum tributo minuendo scholiasta profert, certe ex Theopompo hausit, cum insularum tributique poeta non mentionem faciat. Sed ex verbis *μέμνηται Θεόπομπος* ne incaute collegeris, illum scriptorem de Cleone pecunia corrupto verba fecisse. — Quamquam non Cleonis erat, tributis minuendis favere, tamen fieri poterat, ut insulae nescio cuius tributum minuendum esse censeret, eamque rem impugnarent prohiberentque equites. Hanc igitur altercationem Theopompus „*μέμνηται*“. Nescio autem an in hac re tractanda equites cum multorum hominum plausu Cleoni opprobrarint, quod corruptus sit, eique pecuniam sociis re infecta reddendam esse dixerint. Itaque hoc loco non maiore iure Cleo pecuniae acceptae accusatur quam multis Equitum fabulae locis; quem a iudicibus damnatum esse, neque comico poetae crediderim neque Theopompum tradidisse pro certo habuerim. Sed ut finem faciamus huius loci explicandi, eadem veritatis specie efficere possumus ex his verbis, quemvis ordinis equitum aerarii praefectum fuisse, qua M.-Strübingius collegit, Cleonem aerario administrando praefuisse.

Restat ut de Arist. Vesp. v. 665 sqq. et 1097 sqq. verba faciamus; M.-Strübingius enim p. 172 sqq. his maximo versibus convincere studet, Cleonem sociis favisse, iisdem obtrectasse Aristophanem et qui ab eius parte steterint; hos contra Atheniensium multitudinem oneribus levaturos, illum

pressurum fuisse. Sed ubinam huius rei vestigia inveniantur, frustra quaeres; quo enim versu de tributis sociorum augendis, quo versu de Atheniensibus liberandis agitur? Ni fallor, quod ad aerarium administrandum attinet, haec est eorum versuum summa: „vos, inquit, cives Athenienses, fortuna summa beati estis; socii enim vobis pecuniam ingentem mittere coguntur mittuntque; sed quominus fortuna fruamini ii, quos regere gubernareque vultis, vos impediunt (v. 664. 679. 684. 701 sq. 1099); nam divitiarum paululum vobis tradunt, plerumque ipsi devorant; neque ea solum quae socii legitime solvunt, sibi acquirunt, sed etiam dona accipiunt. Si vero me sequemini, divitiae vestrae multo magis unumquemque civium delectabunt".

Hanc esse summam eorum versuum mihi persuasum habere non desinam antequam M.-Strübingius primum demonstraverit, aliquo versu Aristophanem de nimio tributorum onere dicere, quo Athenienses premantur, tum aliquo versu poetam id agere, ut tributa sociorum augeantur. Poetae potius solum interest, *qua ratione pecuniae quae exstant i. e. tributa, quae iam diu solvuntur, recte consumantur.* Quodsi v. 707 sqq. poeta comicus suadet, ne tributa, quae magistratus surripiant, in posterum Athenas mittantur, ut potius singulis urbibus viceni cives nutriendi tradantur, aliorum arbitrio permitto, ut accurate computent, num socii, quibus viceni cives Athenienses in sua ipsorum urbe alendi essent, multo maius onus sustenturi fuerint quam socii, quibus singula milia ducena talenta quotannis solvenda essent. Quas pecuniarum summas poetam computasse non puto; itaque talis computatio etiamsi non in bonum sociis verteret, tamen poetae opprobrium non faciendum esset tamquam cives Athenienses levaturo, vexaturo socios. — Quibus locos nonnullos Pacis fabulae addo, quibus satis appareat, quid de sociis eorumque tributis poeta cogitarit:

v. 935/6 *ὥστ' ἐσόμεθ' ἀλλήλοισιν ἀμνοὶ τοὺς τρόπους*
καὶ τοῖσι συμμάχοισι πρᾳότεροι πολύ.

v. 996 sqq. *μῖξον δ' ἡμᾶς τοὺς Ἕλληνας*
πάλιν ἐξ ἀρχῆς
φιλίας χυλῷ καὶ συγγνώμῃ
τινὶ πρᾳοτέρᾳ κέρασον τὸν νοῦν.

Quibus addas velim v. 621, 760.

Omnibus his locis tractatis (Eq. 923 sqq., fragmentis Eupolideis, Vesp. 39 sqq., Ach. 5 sqq., Vesp. 665 sqq. et 1097 sqq.) minime commovemur, ut sententiam de Cleone tributorum augendorum auctore a Koehlero prolatam relinquamus, adoptemus M.-Strübingii; qui de Cleonis et de poetae ipsius in socios aut in multitudinem Atheniensem benevolentia multa protulit falsa neque his argumentis Cleonem aerarii praefectum fuisse recte demonstravit.

Iam ad ipsam Equitum fabulam accedamus primumque v. 947 sqq. tractemus, quo loco Populus altercatione Paphlagonis et Agoracriti audita servum dimittit his verbis:

καὶ νῦν ἀπόδος τὸν δακτύλιον, ὡς οὐκ ἔτι
ἐμοὶ ταμιεύσεις. (— *ἔχε· τοσοῦτον δ' ἴσθ' ὅτι,*
εἰ μή μ' ἐάσεις ἐπιτροπεύειν κ. τ. λ.)

Omnia haec verba in rationem, quae inter dominum et servum intercedit, optime quadrare et satis apparet neque viros doctos fugit, velut Kockius (ann. ad. 947 sq. ed. 1853) recte de voce *ταμίας* et de anuli usu verba facit. Quod cum etiam atque etiam neglegatur, liceat mihi iterum de eadem re disputare nonnullaque Kockii verbis addere. — Athenis servos ratione prorsus diversa a dominis tractatos esse constat itaque apud Aristotelem haec inveniuntur: *δούλων εἴδη δύο ἐπίτροπος καὶ ἐργάτης* (Oecon. c. 5, cf. C. F. Herm. Antiq. priv. ed. 2. p. 84). Nonnullis domini totam domum pecuniamque administrandam tradebant; quam ad rem illustrandam commemorecerim Euangeli illius, servi Periclis, de quo Plut. V. Per. 16 dicit: *οἰκέτης . . ὡς ἕτερος οὐδεὶς εὖ πεφυκὼς ἢ κατεσκευασμένος ὑπὸ τοῦ Περικλέους πρὸς οἰκονομίαν.* Tales igitur servi *ἐπίτροποι* vocantur, a qua voce verbum *ἐπιτροπεύειν* est derivatum. Velut Ischomachus quidam apud Xenophontem (Oecon. XII, 2) dicit:

ἔχω γὰρ ἐπιτρόπους ἐν τοῖς ἀγροῖς, quos servos esse sequentibus apparet; et ut dominus ἱκανὸς τῶν ἔργων προστατεύειν dicitur (4), ita servus ἱκανὸς ἐπιτροπεύειν (8). Quibus locis alii addi possunt ut Aristot. Pol. I, 7 et eiusd. Oecon. 5. Idem autem verbum tribus nostrae fabulae locis invenitur: 212 τὸν δῆμον οἷός τ' ἐπιτροπεύειν εἴμ' ἐγώ, quocum versu et v. 426 et noster sunt comparandi. — Neque minus verbum ταμιεύειν de praedio vel domo administranda usurpabatur, ut in Arist. Eccl. v. 599 εἶτ' ἀπὸ τούτων κοινῶν ὄντων ἡμεῖς βοσκήσομεν ὑμᾶς | ταμιευόμεναι, et Thesm. 418 sq. ἃ δ' ἦν ἡμῖν πρὸ τοῦ | αὐταῖς ταμιεῦσαι. Alio denique loco duae illa voces coniunguntur (Eccl. 210 sqq.):

ταῖς γὰρ γυναιξὶ φημὶ χρῆναι τὴν πόλιν
ἡμᾶς παραδοῦναι· καὶ γὰρ ἐν ταῖς οἰκίαις
ταύταις ἐπιτρόποις καὶ ταμίαισι χρώμεθα.

Itaque nihil est apertius quam Cleonem hoc loco eodem modo atque initio fabulae partes ἐπιτρόπου vel ταμίου gerere, qui servos in domo domini regit; qua dignitate munereque nunc deicitur, cum anulum reddere iubetur. Eius vero anuli ad usum illustrandum recte Kockius Lys. 1198 sq. et Thesm. 424 sqq. attulit (πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν ἀλλ' ὑποῖξαι τὴν θύραν | ποιησαμέναισι δακτύλιον τριωβόλου); et si quidem dominus, qui ipse res suas administrabat, ipse[1] anulum gerebat, per se apparet dominum, qui servo alicui ut Pericles Euangelo agros colendos domumque custodiendam tradebat, ei anulum signatorium quoque tradidisse.

Hoc modo poetam servorum condicionem respexisse, vix negari potest; sed potest ambigi, quid poeta imagine

1) cf. Guhl. et Koner. „Das Leben der Griechen u. R.“ 3. ed. p. 211: „Fingerringe, theils als Pettschaft, theils als Schmuck zu tragen, war ein alter Brauch, und galt zugleich als Zeichen eines freien Mannes. Mit dem Siegelringe (σφραγίς) untersiegelte der Mann die von ihm ausgestellten Urkunden [cf. Vesp. 585], versiegelte er sein Hab und Gut.“

finxerit, quatenus condiciones veras descripserit. Hoc certe contendo, nos ex ipsis his versibus colligere posse, Cleoni summam potentiam a plebe concessam fuisse, sed ita ut eadem plebs eam prorsus demere posset. Qualis autem illa potentia fuerit, ex his versibus non apparet, cum verba ταμιεύειν, ἐπιτροπεύειν, ἀποδοῦναι τὸ δακτύλιον necessitudini respondeant, qua dominus servusque sunt coniuncti. Itaque minus caute M.-Strübingius p. 139 sqq. totam fabulam et hos maxime versus ineptos esse dicit, nisi ipse Cleo anulum habuerit, qui adimi possit, i. e. nisi ipse Cleo quattuor per annos aerarii praefectus fuerit. Quae si recta essent, ambiguitas quaedam in verbis ταμιεύειν et ceteris inesset, quam, cum minime ab Aristophanis ratione dicendi abhorreat, non statim negarim, quamquam de anulo magistratuum nihil fere compertum habemus. Iam vides, M.-Strübingii explicationem rectam esse ex hoc loco non effici, fieri autem posse ut quadret, si toti fabulae eandem sententiam subiectam esse viderimus. Cum igitur hic solus locus nos ad finem non perduxerit, tota ex fabula diiudicandum est, utrum poeta, cum dicit „nolo te in posterum sigillum meum gestare domumque totam administrare“, haec velit: „doleo te aerario in quattuor annos praefectum esse; aut statim te magistratu remoturus aut effecturus sum, ne anno 422 iterum creeris“; an haec eius sit sententia: „vehementer doleo, te tantam potentiam populi regendi adeptum esse; cum adhuc te optimum consiliorum socium et adiutorem esse crediderim, quin etiam magistratu te fungi passus sim, postea nihili te aestimabo nullaque in re tuum iudicium sequar.“

Sed antea audiamus, quae alii viri docti, quorum in numero scholiasta non est habendus, de his versibus protulerint. Atque Büchelerus quidem („Jahrbb. f. class. Phil.“ 1861. p. 662) recte censet, hic eandem exstare similitudinem, qua tota fabula nitatur; num autem ambiguitatem illam inesse iure negarit, infra videbimus. Contra de aerarii praefecto agi statuerunt Schwiegerus (l. s. p. 41.), Onckenius



(„Hellas u. Athen“ II. p. 286), Gelzerus (l. s. p. 1011). Quorum primus eam ταμίαν quattuor annorum fuisse censet; „nam, inquit, si hoc non statuimus, verba illa Aristophanis omni sensu atque lepore carent atque in narrandis eius modi rebus, quibus de inimico honesta dicantur, semper poetae fidem habendam esse supra vidimus“; supra autem (p. 4 sq.) haec protulit: „ubicunque de rebus politicis vel domesticis, de contionibus, de iudiciis, de vita et moribus Atheniensium dicit, nemo est, cui maiorem in talibus rebus tribuere possimus auctoritatem. Contra ubi in singulos invehitur, numquam ei fides habenda est.“ Quo in praecepto nihil veri inesse non dico; attamen falso contendit auctor, res publicas condicionesque communes poetam ut historicum describere i. e. tales res non comici ratione in maius extollere. Quid autem talis doctrina ad hanc de Cleonis munere quaestionem profligandam valeat, non video; hic enim nihil interest, utrum „honesta“ dicantur an inhonesta. — Onckenius quoque in numero eorum est, qui nostrum locum explicari posse negant, nisi poetam de Cleone aerarii praefecto cogitasse indicemus. Qui cum hoc quoque poetam finxisse dicit, confidenter cum M.-Strübingio respondeo: aut poeta de Cleone aerarii praefecto magistratu movendo cogitabat; quod si recte se habet, Cleo erat aerarii praefectus; aut de magistratu quaestorio omnino non agebat, id quod equidem contendo. — Gelzerus denique Cleonem aerario praefuisse putat, sed non praefectum quattuor annorum; dicit enim se nescire an hoc ipso anno in numero τῶν ταμιῶν τῆς θεοῦ fuerit. At illud munus Athenienses sortiebantur; neque magistratus annuus, cuius alii erant participes, satis respondet dignitati et honori, quo servus comoediae a domino cumulatus est. Accedit quod anno finito sua sponte tale munus quaestorium finem habuit, neque causa erat, cur hic magistratus a poeta comico ei abrogaretur. Sed mihi persuasum habeo, Gelzerum hanc rationem versuum explicandorum non initurum neque ullam anuli illius illustrandi difficultatem exstare indica-

turum fuisse, si totam fabulam, non hos tantum versus respexisset.

Iam ad M.-Strübingii sententiam revertamur, quae nondum refutata nondum convicta utrum vera sit necne tota fabula diiudicandum esse vidimus; examinemus igitur ceteros comoediae versus partesque. — Demosthenes quod v. 2. Cleonem Παφλαγόνα τὸν νεώνητον κακόν vocat idemque v. 43 haec profert: οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ | ἐπρίατο δοῦλον, mihi non constat, poetam de magistratu nuper ei permisso cogitasse; certe autem voces illae προτέρᾳ νουμηνίᾳ non ita sunt premendae, ut Leutschius voluit (Philol. I. p. 479), qui cum comoedia Lenaeis docta sit, Cleonem uno fere mense ante praetorem factum esse censet; neque de munere quaestorio cogitare cogimur, quippe quod duobus annis ante susceptisse dicatur. Quamquam voces νεώνητος et πρότερος non prorsus sunt neglegendae et cum iam complures per annos Cleo orator apud plebem multum valuerit, poeta hoc loco ad res anno 425 gestas spectasse videtur (cf. Büchler l. s. p. 662), quo anno primo non solum oratione, sed munere publico gloriam adeptus ad summum honoris fastigium ascendit. Quod poeta respicere potuit, quamvis cetera in fabula Cleo ut orator τῷ πλήθει παρὰ πολὺ πιθανώτατος servus Populi vocetur. Quod ita se habere iam videbimus. Si enim de aerarii praefecto magistratu removendo alioque creando ageretur, nostro iure postularemus, ut in ea scena, qua Agoracritus de novo munere instruitur (v. 150—233), deinde in ea, qua Paphlago ipsum se defendit (v. 730—972), tum in ea, qua servus dimittitur (v. 1098 sqq.), in ea denique, qua Cleone remoto eius successor de nova Atheniensium rei publicae administrandae ratione disserit (v. 1316 sqq.), postularemus inquam ut his in scenis imprimis de pecuniis male administratis meliusque administrandis, de tributo civium sociorumque, de vectigalibus ceterisque rebus eiusmodi poeta verba faceret.

Ac primum quidem versibus 150—233 Agoracritus docetur, quem in locum Cleoni successurus sit. Summam

profecto vim tenebit; fiet enim Athenarum gubernator (159), multorum hominum dominus, regetque et nundinas et portus et forum (164 sq.), senatum vexabit, insultabit praetoribus (166), totum denique imperium cauponabitur (176) eritque ἀνὴρ μέγιστος. Poetae comico de oratore, cuius iudicium populus sequi solet, hoc modo loqui licere, ita ut omnia extollat in maius, vix negabis; neque muneris quaestorii nobis hoc loco in mentem veniet, praesertim cum v. 191 legamus (ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ | ἔτ' ἐστὶν ἀνδρός) et v. 217 (τὰ δ' ἄλλα σοι πρόσεστι δημαγωγικά) et Agoracritus v. 213 sqq. doceatur, quomodo orationes rectissime instituat.

Altera autem scena, de qua diximus, Cleo ipsum se defensurus multa dicit de suo erga Populum amore, multa de rebus ad Pylum gestis, adversarius autem de belli incommodis vitaeque commoditate; neque vero magistratum quattuor annorum quaestorium audire nobis videmur, qui sua de aerario merita praedicet, non candidatum quaesturae, qui quid in pecuniis administrandis perfecturus sit, magna voce ostendat; tantum enim v. 774 ad aerarium spectat (ὃς πρῶτα μὲν ἡνίκ' ἐβούλευον σοὶ χρήματα πλεῖστ' ἀπέδειξα | ἐν τῷ κοινῷ). Quem versum quod M.-Strübingius quoque p. 145 affert, prorsus verba ἡνίκ' ἐβούλευον neglexisse videtur; cum enim Cleonem senatorem de pecuniis augendis bene meritum esse audiamus, hic locus ad M.-Strübingii sententiam confirmandam nihil valet.

Porro videas, quibus verbis novo reipublicae gubernatori Populus se tradat; legimus

v. 1098 sq. καὶ νῦν ἐμαυτὸν ἐπιτρέπω σοι τουτονὶ
γεροντάγωγεῖν κἀναπαιδεύειν πάλιν.

et v. 1109 τούτῳ παραδώσω τῆς πυκνὸς τὰς ἡνίας.

i. e. nunc illo Cleone prorsus remoto apud plebem plurimum valebit. Si contra M.-Strübingius recte iudicaret, poeta Populum hunc in modum loquentem fecisset: „omnes arcas nummarias totumque aerarium tibi trado“, non: „fori habenas tibi permitto.“ Eodem fere spectant v. 1128 (κλέπτοντα

τε βούλομαι | τρέφειν ἕνα προστάτην) et v. 1135 (τούσδ' .. ὥσπερ δημοσίους τρέφεις | ἐν τῇ πυκνί); comparandusque est Pacis fabulae v. 680, quo Hyperbolus eo tempore rostrorum princeps esse dicitur.

Sub finem denique fabulae Agoracritus victor mores prorsus mutavit, ut non amplius homo nequissimus sed vir omnibus virtutibus ornatus esse videatur, et Populus quoque recoctus novam quandam cutem vestemque induit, ut vetere iudicandi furore abiecto (v. 1332) homines aspernetur, qui suae imbecillitati assententur mollitudinique indulgeant (v. 1340 sqq.), ut omnem pecuniam in mercede comitiali et iudiciali consumi nolit (v. 1350 sqq.); idemque sibi proponit, ut recte iudicet (v. 1358 sqq.), nautis mercedem solvat (v. 1366 sqq.), oratores denique delicatos audire desinat (v. 1375 sqq.); neque minus Cleone superato bello finem imponit (v. 1388 sqq.). Haec omnia num ullo modo cum magistratu quaestorio cohaerere dixeris? Quae cum audio, Cleonem oratorem popularem, quippe qui contionibus populi animos permoveat suoque arbitrio regat, ante oculos habere videor; quo e populi gratia remoto omnia mala sanatum iri, poeta comicus non dico sibi persuasum habet, sed in comoedia fingit.

Nonnulli autem sunt loci, quibus aperte de oratorum auctoritate dicatur. Velut v. 322 sq. choreutae haec proferunt:

ἆρα δῆτ' οὐκ ἀπ' ἀρχῆς ἐδήλους ἀναί-
δειαν, ἥπερ μόνη προστατεῖ ῥητόρων;

Item v. 344 sqq. Cleo aliorum in orationibus habendis inscitiam perstringit; ad eiusdem facundiam studiumque loquendi quin v. 59 sq. spectent, non dubito; scilicet ut orator notissimus corona myrtea ornatus est, quam v. 1227 deponere iubetur (recte enim Leutschio, qui Philol. I. p. 477 sec. schol. eum ut praetorem coronam gestare vult, Büchelerus l. s. p. 662 obsistit, falsoque Schwiegerus de corona civica cogitat); eodem modo Demosthenes v. 221 Agoracritum adhortatur, ut coronam ni fallor oratoris sibi im-



ponat; quos ad versus illustrandos conferas velim Eccl. 131, Thesmoph. 380.

Cum adhuc nullo modo adducti simus, ut Cleonem aerario praefuisse censeamus, nonnulla exstant vestigia, quibus cogimur, ut eum aliquo modo reditibus publicis administrandis interfuisse iudicemus. Itaque velim recorderis, anni 425 auctumno, quo tempore Aristophanes hanc fabulam scripsisse videtur, tributa sociorum denuo constituta esse, id quod documentis firmissimis comprobatur; quod ut fieret, factionem popularem et Cleonem maxime efficere studuisse supra cum Koehlero coniecimus. Neque non verisimile est, Cleonem victorem Pylo reversum in numero decem illorum *τακτῶν*, quos a populo creatos esse lapide illo docemur, una cum Alcibiade fuisse (certe qui censores ut ita dicam creati sunt, plerique factionis erant Cleonis). Itaque non prorsus assentior Boeckhio (oec. Ath. I^2, 224^4 „Cleons und anderer Wirksamkeit erklärt sich, auch wo sie ins Finanzwesen übergriff, schon aus ihrer demagogischen Eigenschaft"), cuius sententiam Onckenius l. s. p. 287 adoptavit. — Qui igitur versus ad necessitudinem spectant, quae inter Cleonem et socios intercedit, in iis poetam auctumnum anni 425 respexisse facile suspicamur; atque Cleonis talia molientis imprimis nos commonefaciunt v. 313 (*ἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπεῖς*), v. 838—40, 1071. De sociis quidem nimis oppressis poeta verba non facit, neque de Cleone tributorum denuo constituendorum auctore; nonnulli autem versus iis bene illustrantur, quae Koehlerus de tributis anno 425 auctis protulit. Ut enim in Vesparum fabulae v. 665 sqq. ii qui a populo creati sunt magnam quidem pecuniam Atheniensibus comparasse, sed maiorem partem ipsi consumpsisse dicuntur, cum ipse populus tantillum (*ἀχαρές τι* v. 701) accipiat, ita Cleo nostrae comoediae cum nutrice comparatur, quae cum infantibus cibum praebeat, maximam partem ipsa devoret (v. 715—8 et 1221—3; cf. 1030 sqq.). Cui quod multis locis (403. 707. 996 etc.) opprobrio faciunt adversarii, quod saepissime

sit corruptus, et ab Atheniensibus (v. 68) et a sociis (v. 802); poetae comico minime credimus, cum venalem fuisse, hoc tantum e poetae versibus colligimus, facultatem dona accipiendi ei fuisse. Et profecto cum orator esset plebi iucundissimus, qui nescio an inter censores illos decem fuerit, sociis id maxime agendum erat, ut Cleo sibi faveret; neque minus Cleoni ut praetori facultas exstabat, siquidem Aristophanes in Nub. 581—94 Athenienses adhortatur, ut Cleonem rationem praeturae redditurum *δώρων καὶ κλοπῆς* accusent. Ad munus autem tributorum denuo constituendorum versus eos spectare, quibus de certa quadam pecunia certarum urbium dicatur (Potidaeae v. 438, Mytilenes v. 834, Mileti 361 et 932), fuerunt qui conicerent. Sed quod M.-Strübingius prorsus incredibile esse censet, poetam v. 834 orationes illas anno 427 habitas respexisse, mihi non persuasit. Poetam enim, qui Cleoni crimini dat, quod a Mytilenaeis sit corruptus — scilicet ut eos interficeret — non decet vituperare stultumque vocare neque intimo animo indignari; rideamus potius, rideamus inquam, cum poeta res certo falsas veritati quam maxime contrarias profert, quas ne ipse quidem veras esse putat. Eodem iure nonne hominem nostrae aetatis stultum esse diceres, qui Joergio illi sociisque, cum nuper epistolam minime ad Bismarckii consensum perfectam regi Bavariae mitterent, per iocum conspirationem cum Bismarckio factam crimini dedisset? Stultus profecto esset dicendus et qui satirarum scriptori credidisset et qui ira inflammatus eum vituperasset. Sed ne longius a proposito aberremus, cum M.-Strübingius p. 365 omnia haec ad necessitudinem pertinere dicat, quae inter aerarii praefectum sociosque intercesserit, eodem iure et ni fallor maiore de urbium illarum legatis cogitamus, qui apud censorum collegium multitudinem onerum deprecati sint.

Quod denique Cleo mercedem iudicialem auxisse recte dicitur, certe ea omnia, quae de mercede sive iudiciali sive comitiali constituta sunt, ex numero oratorum popularium sunt profecta. Poetam quidem totum illud institutum, quod

nimis popularem oleat dominationem, aspernari Cleonemque perstringere, quippe qui hanc mercedem servaturus, aliam additurus sit (cf. imprimis v. 904 sq. *ἀλλ' οὐχὶ νικήσεις· ἐγὼ γάρ φημί σοι παρέξειν | ὦ Δῆμε μηδὲν δρῶντι μισθοῦ τρίβλιον ῥοφῆσαι*), satis apparet; sed ex eius modi versibus efficere, Cleonem quaestorem haec instituta fovisse nimiae est audaciae.

Itaque satis vidimus explicationem versuum 947 sqq. a M.-Strübingio prolatam, quae in illos versus quadrat quidem sed iis non postulatur, cetera comoedia non comprobari. Multi potius loci ad oratorem plebi gratissimum spectant, quem hoc vel illo munere functum esse non nego; multae autem scenae prorsus aliam speciem praeberent, si de summo aerarii praefecto magistratu movendo ageretur. Qua explicatione reiecta non amplius miramur, in Acharn. fabula, cum saepius ut v. 300 poeta in Cleonem invehatur, comitia quaestoria anni 426 nullo verbo attingi; neque offendit, quod in Nub. v. 581 sqq., cum Cleo praetor perstringatur, eius muneris quaestorii nulla fit mentio. Quodsi M.-Strübingius p. 147 recte mirum esse dicit, eius nomen, qui aerario praefuerit, omnino non inveniri, cum Cleo ei magistratui saepissime obstitisse videatur, hoc argumentum quamvis sanum nihil amplius valet, si cum Koehlero Classenio Curtio Lipsio Gelzero statuimus, post Euclidis annum demum Athenienses illum magistratum quattuor annorum creasse. Quae autem ex Aristophanis fabulis collegi, optime cum iis congruere, quae ex Thucydidis libris de Cleonis muneribus publicis colligere licet, huius capitis parte altera videbimus.

Capitis tertii pars altera.

De Cleonis praeturis.

Quoniam priore parte demonstrasse mihi videor, Cleonem non aerarii praefectum quattuor annorum fuisse, fieri autem posse ut anno 425, fortasse initio quoque anni 424

inter censores fuerit ad tributa sociorum denuo constituenda creatos[1], nunc ea examinanda sunt quae veteres et scriptores et comici de eius muneribus praetoriis tradiderunt. Sed opus esse videtur hac quoque parte de munere illo nonnulla praefari: multae quidem res ad nostram de comicorum licentia coercita quaestionem minime pertinent, itaque paucissimis sunt absolvendae; aliae contra res summi sunt momenti ad Cleonis praeturas definiendas, velut quaestio illa de tempore praeturae suscipiendae instituta; hanc igitur rem paulo accuratius tractabo, praesertim cum ex meis ipsius studiis pauca virorum doctorum argumentis additurus sim.

De munere praetoris, ut antiquiora omittam, nuper hi v. d. disputarunt: summa audacia minusque accurate rem tractavit M.-Strübingius (l. s. p. 484—565); multo diligentius J. G. Droysenius (Hermes IX, 1. 1874. p. 1—21), quem studere satis apparet quae M.-Strübingius protulit revincere, quamvis illius nomen prorsus taceatur. Aperte in eundem invehuntur viri docti, quorum in capite altero mentionem feci, Ad. Schmidt, Lipsius, anonymus ille, cui Gelzerus l. s. p. 1046 assentitur. Tum Arnoldus nominandus est, qui de Atheniensium saec. a. Chr. n. V. praetoribus disseruit (Dresdae 1873), alteram eiusdem materiae partem editurus, cuius disputatiunculam neque M.-Strübingius neque Droysenius noverant, Lipsius quidem l. s. attulit. Conferenda denique sunt quae exstant in C. F. Hermanni Antiq. gr. I[5], § 152, 2 et 3 et p. 875, et E. Curtii hist. gr. II[4] p. 814. ann. 118.

Quorum plerique in M.-Strübingio refellendo omnino consentiunt, inter se dissentiunt paucis de rebus iisque minoris momenti; illius autem argumenta quam maxime sunt infirma quaeque facile redarguantur, quamquam ille quae

---

1) Koehlerus l. s. p. 67 quid *τακτῶν* illorum fuerit, exponit; p. 69 census novi tributa dubitat an inde ab anni 424 aestate demum soluta sint.



profert summa profert confidentia tamquam victoriam iam consecutus. — Quae igitur mihi recte inventa esse videntur, sunt haec:

In praetoribus creandis eo quoque tempore, quo unus tantum vel duo vel tres praetores expeditioni praeerant, tribuum singularum ratio habita est, ita ut qui in candidatorum tabula *pro* singulis tribubus creandi inscripti erant, plerumque *ex* suis ipsorum tribubus proficiscerentur. Neque autem suum quaeque tribus praetorem, sed totus populus praetores singularum tribuum creabat; comitia igitur fiebant populi, non tribuum. Decem illi praetores non solum expeditionibus ducendis aliisque rebus militaribus operam navabant, sed officia domi quoque iis erant multa, cum eorum esset, trierarchias dispertire observareque, copias deligere, causas instruere militares; quin etiam in pecunia rei publicae consumenda eorum vota plurimum valuisse verisimile est, cum maxima tributorum aliusque pecuniae pars in bello consumeretur; summa denique totius reipublicae potestas ante Eudidis annum penes praetorum consilium fuisse videtur. Restat ut melius explicari dicam, qua auctoritate et Pericles et Nicias fuerint (cf. Thuc. II, 22 et 65; IV, 28), si aut ipsos praetores unum principem collegii fecisse aut populum eum designasse statuamus.

Quibus breviter adumbratis quo anni tempore praetores munera susceperint examinemus, vel cum satis sit examinatum quae alii invenerunt quodam modo defendamus. Argumentum enim, quod M.-Strübingius in Acharnensium fabula inesse voluit, nihil valere capite altero et contendi et demonstravi, quamvis multis in rebus ibi M.-Strübingio, non eius adversariis assensus. Alterum autem eiusdem argumentum tantum abest, ut eius sententiam confirmarit, ut et Droysenius et Ad. Schmidt suo iure ad contrariam sententiam probandam iisdem Demosthenis factis usi sint. Atque cum Thucydidis libros perlegerem praetoresque, quos inde ab Ol. 88, 2 usque ad Ol. 89, 3 functos esse constat, tabula quadam describerem, mihi in dies magis persuasum habebam,

praetores aeque ac ceteros magistratus Athenienses ineunte anno Attico i. e. novo Olympiadis anno munera inisse.

Attamen argumenta gravissima sunt prolata et si nobis diiudicandum esset, utrum tempus hibernum an aestivum magis esset idoneum ad magistratus militares deponendos suscipiendosque, vix de comitiis aestivis cogitaremus; quamquam quae nobis maxime idonea videntur, eadem non semper hominibus antiquis necessaria visa sunt. Nonnulla autem afferri possunt, quibus comitia aestiva minus inutilia vitiosaque esse appareat. Ac primum quidem quod M.-Strübingius p. 485—7 eam maxime ob causam Droysenii sententiam refutat, quod Athenienses imprudentissimi fuissent, si temporis spatium ad expeditiones perficiendas maxime idoneum novis praetorum comitiis dirimissent, itemque E. Curtius hieme omnia ad bellum apparata esse vult, novaque rei gerendae consilia deliberata et decreta, ut primo vere continua copiarum actio inciperet; hoc modo illius argumenti vim infregerim: initio belli Peloponnesiaci singulae expeditiones breve temporis spatium complectebantur, ternis vel quaternis mensibus plerumque perfectae. Inter initium veris autem et anni Attici finem, item inter anni Attici initium et auctumni finem quattuor erant menses; nam Classenium (ed. Thuc. I², p. LXXII.) secuti has fere anni habemus partes: τὸ ἔαρ menses Mart. Apr. Mai. Jun. complectitur, quibus prima ut ita dicam expeditionum series perficitur; tum novis praetoribus vel iisdem iterum creatis ad alteram seriem perficiendam quattuor menses τοῦ μετοπώρου patent, menses Jul. Aug. Sept. Oct.; hos enim octo menses „aestatis“ quattuor menses sequuntur hiemis Thucydideae. Quas in partes aestatis i. e. in quattuor menses „veris“ totidemque „auctumni“ facile pleraeque expeditiones priorum belli Peloponnesiaci annorum dispertiri possunt, quod nonnumquam coniectura tantum niti confiteor. Quam ad rem illustrandam certum quendam annum eligamus: „Vere“ anni 427 res Lesbiacae cum essent perfectae, initio fere novi Olympiadis anni Alcidas et Brasidas Corcyram se contulerunt; itaque

expeditio Eurymedontis, quem M.-Strübingius p. 621 recte Nicostrato succedere dicit, *μετοπώρῳ* incipit finiturque (de eius adventu recessuque Thuc. III, 80 et 85 nos certiores facit). Item Nicias *μετὰ τὴν Λέσβου ἅλωσιν* in Minoam proficiscitur, paulo post Athenas reversurus (III, 51). Tum „vere“ anni sequentis i. e. quattuor illis mensibus expeditiones perficiuntur duae: Nicias et collegae duo in Melum insulam et Boeotiam invehuntur (III, 91), Demosthenes contra et Procles eodem tempore (III, 94, 1) litus Peloponnesi legunt, tum in Aetoliam proficiscuntur (III, 91. 94—8). Media autem aestate haec expeditio ni fallor finita est; nam ea quae inde a cap. 100 narrantur, in alterum Olympiadis annum cadere videntur, cum Demosthenes non sit praetor legitimus. Alia quidem est ratio expeditionis in Siciliam factae (III, 86), ubi paulo post plus uno anno praetores commorati sunt; ceterae autem expeditiones aliorum quoque annorum plerumque aut „veri“ aut „auctumno“ sunt tribuendae.

Alter modus, quo difficultas illa tantum non tollitur, is est quem Arnoldus coniectura invenit; qui fortasse recte iudicabat, praetores, qui mense Julio e republica Athenis abessent, duces legitimos, quamvis non amplius collegii praetorii participes, usque ad finem expeditionis mansisse. Sed coniectura est incerta neque scimus, an ex lege Atheniensi aut eundem iterum creari aut statim novo muneris anno alterum vel alteros eius successores mitti oportuerit. — Eo enim difficultatem ipsi Athenienses tollere studebant, quod praetores perspectos et cognitos etiamsi aberant iterum creabant; id quod factum esse, ii quoque concedant necesse est, qui comitia hieme habita esse indicant; cum enim et Pythodorus et Sophocles Eurymedoque hieme vel primo vere anni 425 Athenis profecti sub finem Ol. 88, 4 i. e. aestate anni 424 reverterentur itaque per unum annum et dimidium abessent (Thuc. III, 115. IV, 2 sqq. 46 sq. 65), certe absentes iterum praetores facti sunt. Quodsi M.-Strübingius veretur, ne lex rationis quotannis populo reddendae vana irritaque facta sit; ea infracta et paene sublata est

non cum Athenienses praetorem absentem eidem muneri praefecerunt, sed cum contra legem generalem praetoribus concesserunt, ut per duos annos continuos magistratu fungerentur (cf. C. F. Herm. Ant. gr. I[5] § 149, 10 et 152, 9). Ratio enim populo reddenda erat anno magistratus peracto (cf. Schoemann. Antiq. gr. I[1] p. 409—11, Herm. l. s. § 154), comitia autem ante novi anni initium habebantur; itaque cuicumque imperium in annum alterum prorogabatur, ante rationem praeturae prioris redditam praetor iterum designabatur. Qua ex re apparet, in praetoribus creandis illam de ratione reddenda legem nihil fere valuisse; aliter autem res se habuisse videtur, si quis pecuniam administraverat, itaque non miramur, quod lege cautum fuisse audimus, ne iidem homines per duos annos continuos pecuniis administrandis praeessent. Iam vides Athenienses iterum eundem virum praetorem creaturos non quaesivisse, num rationem recte reddidisset, sed num anno peracto spei satisfecisset praetoremque strenuum se praebuisset; velut Demostheni anno 426 Athenienses imperium non prorogarunt, non quia ratione reddita logistis euthynisque non satisfecisset, sed quod eum clade illa Aetolica affectum esse audierant. — Sic aliquo modo me argumentorum illorum vim comminuisse, comitiaque aestiva comprobasse ratus nunc ad Cleonem revertar.

Locum quendam Aristophanicum praemiserim; in Pacis enim parabasi poeta de suo in Cleonem impetu hoc modo verba facit (v. 751 sqq.):

οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας,
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,
διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βαρβαρομύθους,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι κ. τ. λ.

Hos versus primo excepto et nonnullos qui sequuntur in Pacis parabasi ex Vesparum fabulae parabasi (1030 sqq.)

repetitos esse, viri docti antea statuerunt (Bergk. ap. Meinek., Fr. com. gr. II. p. 946, Droys. vers. ad Pac. v. 748). Quod falsum esse primus M.-Strübingius (l. s. p. 171 ann.) vidit, formisque temporis imperfecti, ut ἔλαμπον versus 1032, commotus hos versus Cleone mortuo demum compositos et ex Pace altera in Vesp. fabulam postea insertos esse recte iudicat. Cui argumento, quamquam satis firmum videtur, tamen mihi liceat occasione oblata alia addere. Ac primum quidem forma infin. praes. (ἐπιχειρεῖν Vesp. 1030) minus arridet, cum et antecedant formae infin. aor. (1027. 1029) et sequantur (1036. 1038 ἐπιχειρῆσαι); sin codicum auctoritate neglecta cum Meinekio ἐπεχείρει scribimus, oratio recta et obliqua miserrime permiscetur. Tum in v. 1037 offendo; cum enim in verbis ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ haec sententia inesse videatur: „quamquam Cleonem, quippe qui mortuus sit, non amplius opus est aggredi, tamen poeta alios homines cognovit, quibus exagitandis se bene de vobis meriturum esse putat“, cumque quae antea fecit, absolvisse videatur et ad ea spectare, quae tempore praesenti et futuro fiant; minime suspicamur, versibus sq. poetam de iis quae iam perfecerit, imprimis de Nubium fabula dicturum esse. Accedit quod quae sequuntur arcte cum prioribus coniuncta sunt verbis μετ' αὐτόν. Itaque verba ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ male inserta esse dixerim, praesertim cum verbum finitum πολεμεῖ alienum sit ab oratione obliqua. Si vero M.-Strübingio concedimus posteriore aetate versus 1030—7 (usque ad πολεμεῖ) ex Pacis fabula posteriore sumptos esse, non solum falsas temporis imperfecti formas non poetae ipsi opprobramus, sed intelligimus quoque, quomodo ἐπιχειρεῖν ex ἐπεχείρει exortum sit, quod in Pacis fabula aptissimum est; apparet etiam, aliquem verba ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων (Pac. 759) imitatum falso νυνὶ πολεμεῖ (Vesp. 1037) scripsisse. In vera germanaque Vesparum parabasi aliis versibus Cleonem exagitatum esse iisque recte verba φησίν τε μετ' αὐτόν adiuncta fuisse, conicere licet. Sed relinquamus hanc quaestionem criticam.

Iis igitur versibus, qui primum Cleone mortuo, non ante eius mortem recitati sunt, poetam Cleonem aggredi satis constat; tali autem de impetu cum iam cum vers. 751 scriberet cogitasse et Cleoni alios, quippe qui homines privati (ἰδιῶται) essent, consulto opposuisse, mihi persuasum habeo. Itaque quotiens Aristophanes Cleonis iam mortui imaginem recordatione sibi repraesentabat, minime hominem quendam ante oculos habebat, qui semel vel bis extra ordinem publico munere functus esset, sed magistratum summae auctoritatis.

Quibus praemissis iam scriptores historiae inspiciamus. Ac primum quidem a Thucydide (III, 36, 6) Cleo anno 427 καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος esse dicitur; quibus ex verbis nemo efficere studuit, Cleonem eo tempore magistratu functum esse. Prorsus idem sentiet, qui Thucydidem Cleonem anni 425 hunc in modum describentem audierit: ἀνὴρ δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὢν καὶ τῷ πλήθει πιθανώτατος (IV, 21, 3). Classenius quidem, qui vocem δημαγωγός hoc tantum loco Thucydideo inveniri dicit, recte nostram notionem vocis „Demagog“ aliam esse contendit, cui notionem sordidae adulationis adiungamus; sed etiamsi Pericles secundum Thucydidem (II, 65, 8) οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπὸ τοῦ πλήθους ἢ αὐτὸς ἦγε, voce illa tamen Thucydidem cum significare censeo, qui maxime in contionibus sua auctoritate praevalet, ita ut magistratu non fungatur, praesertim cum verba quae sequuntur τῷ πλήθει πιθανώτατος vix prorsus idem significare possint. Quomodo Plutarchus illa voce utatur (Them. II, 6. Pericl. IV, 4. V, 2) in hoc Thucydidis loco explicando nostra non interest. Quodsi Cleo disertis verbis δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον fuisse dicitur, scriptorem nostrum apparet eundem hominem postea magistratum obtinentem vidisse. — Neque minus Thuc. IV, 27, 5 apparet, Cleonem usque ad aestatem anni 425 in numero magistratuum non fuisse; cum enim Niciae haec verba dicat: . . καὶ αὐτός γ' ἄν, εἰ ἦρχε, ποιῆσαι τοῦτο,

certe non erat praetor neque fuerat; sed id quoque inde sequi iudico, ut pecuniis administrandis non praefuerit. Si praefuisset, Thucydides pro verbis *εἰ ἦρχε* haec posuisset *εἰ ἐστρατήγει* vel *εἰ ταύτην τὴν ἀρχὴν ἦρχε.*

Tum capite sequenti narrat, Niciam Cleoni expeditionem Pyliacam ducendam tradidisse; quod Droysenius (Hermes IX, 1 p. 17 sq.) mensis Julii initio factum esse putat; qui igitur comitia praetorum fuisse aestiva eosque ipso initio anni Attici munera suscepisse ratus cognoverit eo ipso anno Olympiadis novum annum prius solito incepisse, non dubitabit, quin Nicias pro praetoribus anni incipientis (non anni modo exeuntis) i. e. Ol. 88, 4 verba fecerit. Quos praetores non magistratu se abdicasse constat, sed homini qui nondum functus erat hanc solam expeditionem tradidisse, quam paulo post populus suffragiis latis probavit (Thuc. IV, 29, 1). Viginti diebus post Cleo cum revertisset (IV, 39, 3), quomodo a populo ornatus honoratusque sit, Thucydides non enarrat; neque comperimus, utrum expeditione perfecta homo privatus fuerit necne.

Nihilo magis apparet, num Cleo qui vere anni 423 exercitum Scionen mittendum esse censuit (IV, 122, 6) eo ipso tempore magistratum obtinuerit. Contra libri quinti cap. 1—10 nos docent, inde a mense Augusto usque ad Sept. anni 422 Cleonem in Thracia exercitui praefuisse. Quibus capitibus quamquam nusquam disertis verbis praetor appellatur (velut V, 2 *Κλέων δὲ Ἀθηναίους πείσας . . ἐξέπλευσε*), tamen non dubito quin praetor legitimus anni Ol. 89, 3 (422/1) fuerit. Quodsi Onckenius („Hellas und Athen" II. p. 297) Niciam iterum suo iure officioque decessisse dicit Atheniensesque coegisse, ut expeditionem Cleoni traderent, idemque alio loco Niciam praetorem legitimum militiam detrectasse censet, Cleonem autem hominem privatum facere non potuisse quin ipse susciperet, quod fieri vellet; haec ex Thucydide minime effici possunt, quippe qui neque de expeditione tradenda neque de magistratu deposito ullum proferat verbum. Unus potius ex decem praeto-

ribus Cleo fuisse videtur, qui in Thraciam profectus est fortasse Nicia invito. Onckenium enim tota illa de Cleone disputatione in eo maxime errare dixerim, quod Nicia cum magistratu nostrae aetatis, quem „Kriegsminister" appellamus, comparato, tamquam sit unus, non unus ex decem, tantum non oblivisci videtur, eodem tempore Niciam et Cleonem praetura fungi potuisse. Sed haec hactenus: Thucydidis historiam secuti pauca tantum comperimus, primum Cleonem anni 425 aestate per quoddam tempus praetorem extraordinarium, tum anni Ol. 89, 3 legitimum praetorem fuisse.

Quoniam quae Thucydides brevissima profert, perlustravimus, nunc examinemus, quae alii tradant scriptores. Ac Diodori quidem verba, quae ad annum 425 spectant, *οὗτοι* (qui in Sphacteria capti sunt) *μὲν οὖν ὑπὸ Κλέωνος τοῦ δημαγωγοῦ στρατηγοῦντος τότε δεθέντες ἤχθησαν εἰς τὰς Ἀθήνας* (XII, 63), haec inquam verba minime me adducunt, ut eum praetorem legitimum fuisse existimem, neque Demosth. in Boeot. § 25, quo de loco confer. Droysen. l. s. p. 5. Quod autem ad anni 422 praeturam attinet, Diodorus eodem modo Thucydidem videtur interpretatus esse atque ego; dicit enim: *οἱ δ' Ἀθηναῖοι προχειρισάμενοι στρατηγὸν Κλέωνα τὸν δημαγωγὸν . . . ἐξέπεμψαν εἰς τοὺς ἐπὶ Θρᾴκης τόπους* (XII, 73).

Tum Plutarchus, qui Vit. Nic. c. 7 nihil novi profert, cap. 8 Niciae dubitatione cunctationeque factum esse dicit, ut Cleo tantum gloriae potentiaeque fastigium assequeretur, et in „comparation. Nic. et. Crassi" cap. 3. haec exstant: *χώραν οὐ δοτέον τοῖς πονηροῖς οὐδ' ἀρχὴν μὴ ἄρχουσιν οὐδὲ πίστιν ἀπιστουμένοις, ὅπερ ἐποίησεν ὁ Ν., τὸν Κλέωνα μηδὲν ὄντα πλέον ἐν τῇ πόλει τῆς ἀπὸ τοῦ βήματος ἀναισχυντίας καὶ κραυγῆς, αὐτὸς εἰς τὸ στρατηγεῖν καταστήσας.* Quibus apparet Plutarchum, qui nescio an hoc loco de anno 425 solum cogitarit, aeque ac Thucydidem minime Cleonem ut aerarii praefectum anno 426 creatum animo repraesentasse. Cum autem hic locus non probet Onckenii sententiam, ex

enim, qui post v. 475 sqq. in senatum se confert, consilii est particeps (626 ὃ δ' ἄρ' ἔνδον ἐλασίβροντ' ἀναρρηγνὺς ἔπη), cum Agoracritus quasi irrumpat (641); v. 667 quoque Cleo senatum nova re relata retardare studet. At equidem non ut M.-Strübingius de aerarii praefecto, sed de praetore cogitare malo. Quae denique Argis fecit (v. 464. M.-Strüb. l. s. p. 139), fortasse ad idem munus pertinent. — Sed duo loci quos M.-Strübingius non attulit, mihi maximi momenti esse videntur iique, quibus Leutschius (Philol. I. p. 478 sqq.) quoque praeturam demonstrari volebat. V. 912 sqq. et 923 sqq. enim Cleo minatur, qualia minari Cleonem solere poeta fingit; sed ut aliqua auctoritatis specie talia minari possit, praetura ni fallor efficit. Nam trierarchias ut cives absolverent vigilare Atheniensibusque deinceps naves exstruendas imperare certe praetorum erat (cf. Droysen. Hermes IX, 1 p. 12); neque minus tributa civium exigere (Boeckh. l. s. p. 620). Itaque simplicissimum esse videtur, de ipso praetore cogitare, qui potestate abutatur; quodsi v. 917 et 926 se effecturum vel ab aliis impetraturum esse dicit ut oneribus illis Agoracritus prematur, neque vero minatur ipsum se cum inscripturum esse; recorderis velim, collegas esse praetori, quibuscum talia negotia sunt perficienda. Quamobrem prorsus scholiastae (ad Eq. 908 et 922) assentior, qui Cleonem praetorem potestate abusurum esse indicat, non Büchelero (l. s. p. 662) et Kockio (ed. 1853. ad v. 913), qui Cleonem minitari volunt, se iudicia eo esse adducturum ut deleant quae praetores instituerint. Cum enim neque de iudiciis neque de praetoribus oppugnandis dicatur, alteri explicationi maiorem veritatis speciem tribuerim.

Cleonem igitur quo tempore Equitum fabula docta est praetorem fuisse existimo; qua in re M.-Strübingio assentior, dissentio ab eodem, quod ad comitia attinet. Droysenium enim et Ad. Schmidt secutus comitiaque aestiva esse ratus, eum p. 139 falso iudicasse dixerim, comitiis hibernis Cleonem ob res Pyliacas clarissime gestas primum praetorem legiti-

mum creatum esse. At prorsusne incredibile dicendum est, eodem modo, quo Cleo extra ordinem expeditioni Pyliacae praefectus est, eum post reditum triumphumque extra ordinem collegii participem fuisse? Certe quidem constat populum complures honores in eum congessisse; quamquam enim Thucydides eos nullo verbo attingit (IV, 39), ex Arist. Eq. 702 cum proedria, Eq. 280. 709. 766. 819. 1404 cibo in prytaneo praebendo honoratum esse scimus (cf. Kock. ed. 1853. praef. p. 20, Droysen. vers. ad v. 281 et 702); quorum in honorum numero praeturam quoque fuisse populi suffragiis extra ordinem datam, nostra ex fabula collegerim. Et profecto non minus verisimile esse videtur, Athenienses eum, qui res militares optime administravit praeterque spem omnium Lacedaemonios vicit, extra ordinem usque ad finem anni collegii militaris participem esse voluisse, quam quod homini privato belli imperiique ignaro praetoribus rite creatis domi relictis expeditionem difficillimam tradiderunt, id quod antea quantum scio numquam erat factum.

Quoniam de praetura anni Ol. 88, 4 (425/4) satis disseruimus, iam ad praeturam anni sequentis pergamus; ea enim Nubium fabulae epirrhemate (v. 575—94) comprobatur[1], atque laetitia summa affecti sumus, quod omnibus illis quaestionibus de illius fabulae compositione origineque motis minime prohibemur, quominus perveniamus ad certum finem. Ii enim quoque qui cum Brentanone nostram Nubium fabulam e duabus comoediis prorsus diversis contaminatam esse sibi persuasum habebunt, ii quoque et concedent hoc epirrhema ante a. 423 ab Atheniensibus non auditum esse, cum prior Nubium fabula antea non docta sit, et fatebuntur, id compositum esse antequam Cleo mortuus est i. e. ante auctumnum anni 422. Vivit enim, quin etiam praetor est,

1) De hoc loco accurate egerunt Teuffel. Philol. VII. p. 346—53 (1852), Büchelerus l. s. p. 659—63 (cuius sententiam Teuff. ad Nub. 582 edit. 1867 adoptavit), Kockius ed. Nub. a. 1862 praef. p. 26—8. — Leutschius l. s. p. 477 sq. falso hoc epirrhema argumentum praeturae anni 424 esse voluit.



qua Nicias bis munere se abdicaverit, alter eiusdem cap. locus eam probare videtur: *ὁ δ', αὐτὸν ἐπὶ τὴν Μινώαν καὶ Κύθηρα καὶ Μηλίους τοὺς ταλαιπώρους φυλάττων στρατηγὸν, εἰ δέοι μάχεσθαι Λακεδαιμονίοις, ἀποδυόμενος τὴν χλαμύδα, καὶ τῇ Κλέωνος ἀπειρίᾳ καὶ θρασύτητι ναῦς καὶ ἄνδρας καὶ ὅπλα καὶ στρατηγίαν ἐμπειρίας ἄκρας δεομένην παραδιδοὺς .. προΐεται .. τῆς πατρίδος .. σωτηρίαν.* Iam concedo, hoc loco scriptorem non de anno 425 solum, sed de duabus expeditionibus Cleonis verba facere; at Plutarchus non tradit, Niciam bis homini privato expeditionem ducendam delegasse neque eius verbis repugnantia statuimus, si Niciam primum homini privato munus tradidisse, tum collegae Cleoni expeditionem concessisse putamus. Vox enim *στρατηγία* nihil significat nisi „expeditio", id quod Plutarchi verbis comprobatur: „Athenienses Niciam *δυσχεραίνοντα τὸ πολεμεῖν καὶ φεύγοντα τὸ στρατηγεῖν* (i. e. „expeditioni praeesse", non „praetorem esse") *οὐκ ἐπαύοντο χειροτονοῦντες ὡς ἐμπειρότατον καὶ βέλτιστον.* Quibus Plutarchi et Diodori testimoniis tractatis cum non multum profecerimus, satis sit demonstrasse, Onckenii sententiam ne Plutarchi quidem verbis comprobari.

Cum igitur Aristophanis comoedias adhibemus ad lacunam quasi scientiae nostrae explendam, duas maxime in res est inquirendum, primum quae condicio Cleonis fuerit post expeditionem Pyliacam, deinde utrum ante comitia anni 422 aestiva praeturam gesserit necne. — Quamquam non omnes decem praetores anni 425/4 cognovimus (Eurymedo, Sophocles, Pythodorus sub finem anni ex Sicilia revertuntur; Nicias, Demosthenes, Aristides, Nicostratus, Autocles anno sequenti quoque praetura funguntur; qui ceteri duo fuerint, nescimus); tamen satis constat ante illam Niciae et Cleonis altercationem novos decem praetores creatos esse eosque expeditione Pyliaca Cleoni tradita praetores legitimos mansisse. In eorum igitur numero Cleo post reditum fuisse nequit, nisi forte duorum illorum, quorum nomina non sunt tradita, alter est mortuus. Attamen Cleonem idem

munus per totum annum gessisse existimo, Equitum fabula, quae initio anni 424 docta est, tantum non coactus.

Sed antequam mea argumenta proferam, nonnulla sive ab aliis prolata sunt sive facillime proferri possunt refutem. Ac primum quidem quod Eq. 288 Paphlago dicit *διαβαλῶ σ' ἐὰν στρατηγῇς*, nescio an quis sic interpretaturus sit: si quando collega meus factus eris, tibi maledicam. At rectius hunc versum ad maledicta a Cleone in Niciam anno 425 congesta referri puto (cf. v. 358, Thuc. IV, 27, 5. Plut. Nic. VII.); id quod qui ediderunt fabulam vellem annotassent. Hic igitur versus non est argumentum praeturae. — Contra v. 443 *σὺ δ' ἀστρατείας εἴκοσιν* (scil. *φεύξει γραφάς*) non contra huius anni praeturam pugnat; hoc enim opprobrium unum ex iis est, quae condicionibus veritatis quam maxime contrariae maximum movent risum; Cleo qui modo Pylo revertit quod *ἀστρατείας* accusatur, ipsum poetam Agoracritum suum risisse puto. Tum ex v. 817 sq. *σὺ δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι | διατειχίζων* M.-Strübingius p. 146 sq. efficere studet, Cleonem aliquo munere publico functum esse; cui concesserim, imprimis praetorum fuisse, munimenta custodire iisque aedificandis praeesse; itaque si Cleo iis praeesse diceretur, de eius praetura cogitarem. Sed his ex vers. nihil efficere licet nisi Cleonem in contione aliqua censuisse murum illum transversum esse exstruendum; qui si exstructus esset, poeta dixisset: *διατειχίζων μικροπολίτας ἡμᾶς ἐποίησας.* — Neque quod idem vir d. p. 138 versus 393 sq. argumentum praeturae esse vult, assentiri possum; idem enim poeta dicere poterat de Cleone, qui captivos reddendos esse orationibus publicis semper negabat, ut Thucydides (IV, 21) cum contra Lacedaemonios verba fecisse dicit. Itaque quae Thucydides IV, 41 nominibus omissis tradit, hi versus complent, quamquam per se constabat Cleonem inter eos fuisse qui captivis reddendis restiterint.

Maioris autem momenti est quod M.-Strübingius p. 138 sq. de Paphlagonis et Agoracriti in senatum aditu dicit; Cleo

enim, qui post v. 475 sqq. in senatum se confert, consilii est particeps (626 ὃ δ' ἄρ' ἔνδον ἐλασίβροντ' ἀναρρηγνὺς ἔπη), cum Agoracritus quasi irrumpat (641); v. 667 quoque Cleo senatum nova re relata retardare studet. At equidem non ut M.-Strübingius de aerarii praefecto, sed de praetore cogitare malo. Quae denique Argis fecit (v. 464. M.-Strüb. l. s. p. 139), fortasse ad idem munus pertinent. — Sed duo loci quos M.-Strübingius non attulit, mihi maximi momenti esse videntur iique, quibus Leutschius (Philol. I. p. 478 sqq.) quoque praeturam demonstrari volebat. V. 912 sqq. et 923 sqq. enim Cleo minatur, qualia minari Cleonem solere poeta fingit; sed ut aliqua auctoritatis specie talia minari possit, praetura ni fallor efficit. Nam trierarchias ut cives absolverent vigilare Atheniensibusque deinceps naves exstruendas imperare certe praetorum erat (cf. Droysen. Hermes IX, 1 p. 12); neque minus tributa civium exigere (Boeckh. l. s. p. 620). Itaque simplicissimum esse videtur, de ipso praetore cogitare, qui potestate abutatur; quodsi v. 917 et 926 se effecturum vel ab aliis impetraturum esse dicit ut oneribus illis Agoracritus prematur, neque vero minatur ipsum se cum inscripturum esse; recorderis velim, collegas esse praetori, quibuscum talia negotia sunt perficienda. Quamobrem prorsus scholiastae (ad Eq. 908 et 922) assentior, qui Cleonem praetorem potestate abusurum esse iudicat, non Büchelero (l. s. p. 662) et Kockio (ed. 1853. ad v. 913), qui Cleonem minitari volunt, se iudicia eo esse adducturum ut deleant quae praetores instituerint. Cum enim neque de iudiciis neque de praetoribus oppugnandis dicatur, alteri explicationi maiorem veritatis speciem tribuerim.

Cleonem igitur quo tempore Equitum fabula docta est praetorem fuisse existimo; qua in re M.-Strübingio assentior, dissentio ab eodem, quod ad comitia attinet. Droysenium enim et Ad. Schmidt secutus comitiaque aestiva esse ratus, eum p. 139 falso iudicasse dixerim, comitiis hibernis Cleonem ob res Pyliacas clarissime gestas primum praetorem legiti-

mum creatum esse. At prorsusne incredibile dicendum est, eodem modo, quo Cleo extra ordinem expeditioni Pyliacae praefectus est, eum post reditum triumphumque extra ordinem collegii participem fuisse? Certe quidem constat populum complures honores in eum congessisse; quamquam enim Thucydides eos nullo verbo attingit (IV, 39), ex Arist. Eq. 702 eum proedria, Eq. 280. 709. 766. 819. 1404 cibo in prytaneo praebendo honoratum esse scimus (cf. Kock. ed. 1853. praef. p. 20, Droysen. vers. ad v. 281 et 702); quorum in honorum numero praeturam quoque fuisse populi suffragiis extra ordinem datam, nostra ex fabula collegerim. Et profecto non minus verisimile esse videtur, Athenienses eum, qui res militares optime administravit praeterque spem omnium Lacedaemonios vicit, extra ordinem usque ad finem anni collegii militaris participem esse voluisse, quam quod homini privato belli imperiique ignaro praetoribus rite creatis domi relictis expeditionem difficillimam tradiderunt, id quod antea quantum scio numquam erat factum.

Quoniam de praetura anni Ol. 88, 4 (425/4) satis disseruimus, iam ad praeturam anni sequentis pergamus; ea enim Nubium fabulae epirrhemate (v. 575—94) comprobatur[1], atque laetitia summa affecti sumus, quod omnibus illis quaestionibus de illius fabulae compositione origineque motis minime prohibemur, quominus perveniamus ad certum finem. Ii enim quoque qui cum Brentanone nostram Nubium fabulam e duabus comoediis prorsus diversis contaminatam esse sibi persuasum habebunt, ii quoque et concedent hoc epirrhema ante a. 423 ab Atheniensibus non auditum esse, cum prior Nubium fabula antea non docta sit, et fatebuntur, id compositum esse antequam Cleo mortuus est i. e. ante auctumnum anni 422. Vivit enim, quin etiam praetor est,

1) De hoc loco accurate egerunt Teuffel. Philol. VII. p. 346—53 (1852), Büchelerus l. s. p. 659—63 (cuius sententiam Teuff. ad Nub. 582 edit. 1867 adoptavit), Kockius ed. Nub. a. 1862 praef. p. 26—8. — Leutschius l. s. p. 477 sq. falso hoc epirrhema argumentum praeturae anni 424 esse voluit.

dum hi versus in theatro recitantur; uam praeturam, qua eo ipso tempore fungatur, poeta Atheniensibus non utilem fore dicit, nisi in ratione reddenda eum accusent convincantque. Hanc maxime ob causam de expeditione Pylinca anni 425 omnino cogitari nequit; cui argumento ea quae Teuffelius et Kockius protulerunt, sint adiumento. — Sed fuerunt qui expeditionem Thracicam significari censerent; id quod minime in nostram de comitiorum tempore doctrinam neque in ipsos Aristophanis versus quadrat. Initio enim Ol. 89, 3 (422/1) Cleo in Thraciam profectus est; itaque inter Aug. et Sept. menses, quo tempore ludi publici non agebantur, poeta hos versus fecisse existimandus esset; quod si recte se haberet, exspectaremus mentionem aliquam illius expeditionis Thracicae. Sin hoc epirrhema a poeta compositum esset ut in Nubium comoedia altera inesset Dionysiis anni 422 docenda, poeta nondum scivisset, quinam praetores anni Ol. 89, 3 futuri essent, de praetura anni Ol. 89, 2 potius dixisset; itaque hac quoque ratione tertia Cleonis praetura esset statuenda. Sed cum non satis constet, poetam anno 422 iterum eandem fabulam docuisse vel docturum fuisse (cf. Büchelcr. l. s. p. 663, qui primus recte de alia praetura atque de expeditione anni 425 et 422 dixit) nec quidquam obstet, quominus hoc epirrhema iam in prima fabula fuisse iudicemus, verisimillimum est, hoc loco de praetura Cleonis, qua anno 424/3 functus sit, poetam agere. Cuius anni de praetoribus Büchelerus non satis recte disputasse mihi videtur; neque enim video, cur praetores navium ἀργυρολόγων a ceteris secernamus. Nominantur quidem hoc anno praeter Cleonem praetores decem: Demosthenes, Hippocrates (Thuc. IV, 66 sq.); Lamachus, Demodocus, Aristides (IV, 75); Eucles et Thucydides (IV, 104); Nicostratus, Nicias, Autocles (IV, 119); id quod nescio an eo explicandum sit, quod Hippocrates pugna Deliaca paucis mensibus post initium anni Attici mortuus est (IV, 101, 2); itaque nil obstat, quominus Euclem vel Thucydidem praetorem suffectum esse dicamus.

Iam quae invenimus, paucis complectamur. Cleo anni 425 aestate Pylum proficiscitur, huic uni expeditioni praefectus; postquam revertit, usque ad finem anni 425/4 particeps collegii praetorum a populo grato factus est, id quod et ex Aristoph. Eq. fabula collegi et per se verisimile esse puto. Tum praetura anni 424/3 Nubium epirrhemate comprobari videtur. Anno 422/1 autem rursus Cleoni praetori occurrimus, sed ita ut nesciamus utrum media aestate anni 422 munere denuo suscepto statim profectus an anno 423/2 quoque eo munere functus sit. Quod posteriore loco posui, mihi magis arridet. Videtur enim Cleo, postquam praeturam casu quodam adeptus est dignumque se praebuit magistratu, qui a moribus oratoris alienus esse videbatur, usque ad vitae finem eundem honorem retinuisse; an causa ulla excogitari potest, qua commoti Athenienses gubernatorem ut ita dicam contionis acceptum popularemque anno 424 et 422 praetorem creaverint, anno 423 non item, cum alios praetores etiam atque etiam creatos esse sciamus? Quamquam Thucydides nihil his de praeturis tradidit; cuius ex silentio nihil efficere licet nisi Cleonem interea expeditioni maiori non praefuisse. Quodsi Onckenius eum his extra ordinem exercitui praefectum, numquam autem comitiis legitime creatum esse censet, ipso Nubium epirrhemate satis refellitur.

CAPUT QUARTUM.

Quinque priorum Aristophanis comoediarum personae ad novam legis illius explicationem examinantur.

Capite altero me satis demonstrasse ratus Lamachum non praetorem fuisse anni 426/5, tertio autem Cleonem aerario quidem non praefuisse, sed munus praetorium inde ab aestate anni 425 usque ad vitae finem obtinuisse eundemque fortasse anno 425/4 in numero decem censorum fuisse, iam eo revertar, unde degressa est oratio. Primo enim capite vidimus, Leonem, quippe qui multa plausu digna protulerit, explicationem illius legis non prorsus rectam praebuisse; quae cum ipsis poetae comoediis refelleretur, hanc vim in ea lege inesse coniecimus: cautum erat, ne magistratus aperte in scenam producerentur; persona contra aliena nomineque ficto usi ne eos quidem exagitare inque scenam producere poetae vetabantur. Quam explicationem ut probemus, personas quinque illarum fabularum nunc examinaturi, ut ordo quidam efficiatur, quattuor eorum qui in scenam prodeunt partes constituamus:

primum eorum, qui nomina ducunt a patria aut a negotio quaestuque, et populum aut ordinem quendam repraesentant;

deinde eorum, quibus nomina quasi allegorica poeta dedit, sed ita ut quae notio insit facile intellegamus;

tum eorum, qui revera homines Athenienses nominibus propriis usi in scenam prodeunt;

postremum eorum, qui quamvis homines Athenis notissimi nominibus omissis vel mutatis in scenam producuntur.

Ac primae quidem classis personas paucis absolvam. Nullae eiusmodi personae in Eq. fab. prodeunt, in Acharn. fab. multae; ibi enim civis Megarensis Boeotusque occurrunt, ibi sycophanta (ut accusator in Vesp. fab.); ibi praeco, agricola quidam, paranymphusque qui dicitur. Personae autem eius generis usitatissimae sunt servi, velut in Ach. fab. servus et Euripidis et Lamachi in scenam producitur, in Nub. fab. Strepsiadis; item duo servi Trygaei in Pac. fab., quorum mores, cum initio fabulae tantum actionem promovent, non accurate sunt descripti; itaque differunt a servis Eq. fabulae, quos viros Athenienses repraesentare infra videbimus. Neque quidquam interest, utrum voces „servus primus“ et „servus alter“ inveniamus an eis certa quaedam nomina poeta dederit; velut in Vesp. fab. Sosias et Xanthias nominantur, quae nomina saepe servis imposita esse et ex Aristophanis fabulis et ex schol. Ach. 243 apparet. Tum eidem classi tribuerim discipulos Socratis Nub. fabulae, pueros feminamque panes vendentem Vesp. fab., falcarium fabrumque armorum Pac. fabulae. Ipsi choreutae denique in plurimis fabulis aut certum quendam civium ordinem repraesentant aut a patria nomina duxerunt, ut chorus senum Acharnensium, chorus Equitum, iudicum Vespis similium, agricolarum Pacis studiosorum. Itaque ad alterum personarum genus tractandum pergerem, nisi de legatis Atheniensium, qui in Acharn. fab. prodeunt paulo ante a Persarum rege reversi, pauca dicenda essent; eos enim M.-Strübingius (l. s. p. 699—708) plurimis verbis tractavit. Iam ante annum 425 Athenienses legatos in Persiam misisse si non ex aliis rebus effici posset, recte ex hac Acharn. fabulae scena concluderemus; neque non argumento esse potest v. 613 *εἶδέν τις ὑμῶν τἀκβάταν' ἢ τοὺς Χάονας;* Sed certum quendam hominem perstringi non cum M.-Strübingio pro certo habuerim. Poeta enim qui hominem pacis cupidissimum ad multorum

Atheniensium imaginem fingit, legatum quoque fingere potest ita ut aliorum memoriam excitet, qui revera eo munere functi sunt. Itaque non mihi persuasit, Diotimi legationem significari, quem ut nimium vino indulgentem facile agnosci non concedo; quin etiam ne id quidem constat, Diotimum legatum eundem esse atque potatorem illum, quem Athenaeus commemorat. Quare non quartae, sed primae personarum classi hunc legatum tribuo.

Tum personarum, quibus nomina quasi allegorica poeta dedit, numerus est minor, maiores sunt partes. Huc enim pertinent et Populus Equitum fabulae et qui in Nub. fab. producuntur, *λόγος δίκαιος* et *ἄδικος* ipseque chorus Nubium; ceterarum autem personarum nomina quid valeant, nunc videamus. Ac primum quidem nomen Dicaeopolis. Leo, qui l. s. p. 33 rectissime haec profert: „non inconsulto in Acharn. Aristophanes totiens *τὸ δίκαιον* in ore habuit“ (chor. 645. 655. 661. Dicaeop. 500 sq. 561 sq.), cum post Babylon. fabulam doctam *ἀδικία εἰς τοὺς πολίτας* poetae exprobrata sit, Leo inquam hoc vellem addidisset: ipsi protagonistae nomen est Dicaeopolis. — In Acharn. fab. etiam alia eiusmodi persona invenitur: Artabas nomen persicum esse videtur; Pseudartabas autem non est Artabas, qui falsa profert i. e. mentitur sed qui falso Artabas i. e. Persa esse dicitur (cf. v. 115 sqq.). — Tum nomen Agoracriti ab ipso poeta satis explicatur Eq. v. 1257 sq.: *ἐμοὶ δέ γ' ὅ τι σοι τοὔνομ' εἰπ'. — Ἀγοράκριτος· ἐν τἀγορᾷ γὰρ κρινόμενος ἐβοσκόμην.* Usus enim verbi *κρίνεσθαι* Nub. versu 66 aliisque locis illustratur moresque Agoracriti nomini prorsus respondent. Tamen M.-Strübingius l. s. p. 556 ann. nomen, quippe quod nondum satis explicatum sit, illustraturus nomina Theocriti et Agorati sycophantarum in unum censet esse composita. At mihi quidem nulla alia explicatione nominis illius a poeta ficti opus esse videtur neque crediderim, illum virum doctum, cum haec scriberet, v. 1257 sq. memoria tenuisse. — Deinde Nubium fabula praebet nomina „Strepsiades“ et „Pheidippides“. Ac Strepsiades quidem is nominatur, qui ad novam

doctrinam se *convertit*, paulo post autem ad veterem cogitandi vivendique rationem *revertitur* (cf. Nub. 1454 sq. et annot. Teuffelii edit. 1867). Alterum contra nomen ab ipso poeta v. 62 sqq. satis illustratur, ita ut exstet contradictio quae dicitur in adiecto. — Item nomina Philocleonis et Bdelycleonis, personarum Vesp. fabulae, a poeta sunt ficta et excogitata, ut is qui iudicandi furore ardet, cum sociis a parte Cleonis stare, optimatium contra sectator et negotium iudiciale et Cleonem aspernari dicatur. Quamquam enim Brentano („Untersuchung. über d. att. Drama“ I, p. 189) causam esse negat, cur poeta personis Vesparum fabulae i. e. comoediae iudicialis haec nomina imposuerit, et M.-Strübingius (l. s. p. 166 sq.) idem sentire videtur, tamen intima familiaritas, quae intercedit inter Cleonem et iudices, nostra in fabula minime nominibus tantum demonstratur (cf. v. 409); accedit quod eadem Cleonis iudicumque amicitia Equitum fabulae pluribus verbis explicatur (cf. v. 255, 977 sqq., 50, 798, 1089; neque non v. 804 et 807 ad mercedem iudicialem a Cleone auctam spectant, quamquam aliud sentiunt, qui fabulam ediderunt). — Trygaei denique, agricolae illius Pacis fabulae, qui bellum aspernatur pacisque est cupidissimus, Trygaei nomen a voce *τρύγη* ductum est, quae significat fructus auctumni (cf. v. 1337 *τί δράσομεν αὐτήν; τρυγήσομεν αὐτήν*). Quamvis persona sit ficta, tamen certo cuidam pago tribuitur, ut Dicaeopolis Cholleides vocatur (Ach. 406); nescio autem an Trygaeus ut choreutae illi a poeta Acharnenses dicuntur, quia Acharnae maxime vastatae erant, ita Athmonensis dicatur (v. 190. 919), quia hic pagus egregia erat ubertate.

Cum adhuc viderimus primum personas locum quendam aut negotium aut ordinem repraesentare, deinde poetam personis fabulae ex suo ipsius ingenio nomina imponere, quod utrumque omnibus temporibus comoediarum poetae fecerunt; iam ad genus prorsus diversum accedimus; personae enim et tertiae et quartae classis propriae sunt veteri Graecorum comoediae. Ac primum quidem Athenienses

nominibus neque celatis neque mutatis in scenam prodeunt: in Acharn. fabula non minus Euripides poeta celeberrimus, cuius artem poesinque Aristophanes aspernatur, quam Cleisthenes Stratoque, quorum mollitiem impudicitiamque fastidit (v. 118 sqq.), a poeta aperte non dico perstringitur, sed producitur ipse in scenam. In eiusdem fabulae personarum numero Lamachus quoque est, quem cum equidem non praetura functum esse neque eius anni fuisse magistratum aut suffragiis aut sorte destinatum altero capite censuerim, tum M.-Strübingius lochagum fuisse coniecit. — Eodem modo Socrates, qui nescio an larvae similitudine facile cognitus sit, in Nub. fabula prodit; itemque fortasse sub finem fabulae Chaerepho (cf. Teuffel. ed. 1867 p. 43). Quin etiam poeta qui non dubitat in Pacis fabula ipsos deos deasque agentes et loquentes inducere, vatem in scenam producit; nam Hieroclem eius comoediae virum Atheniensem fuisse, non personam a poeta excogitatam, satis docet schol. Ar. Pac. 1046.

Cum huic classi pueros illos quoque tribuere possimus, qui ibidem patres Lamachum et Cleonymum repraesentant (quamquam hoc ex loco effici posse nego, eis revera pueros fuisse), aliis de personis dubitari potest. Atque Theorus Acharn. fabulae, quem ex Thracia revertisse poeta dicit, idem esse visus est atque qui Vesp. 42. (cf. 418. 599) sectator Cleonis adulatorque appellatur. Quodsi videmus nomen huius legati aperte pronuntiari, illius legati Persici, de quo supra dixi, prorsus taceri, discrimen aliquod inter legationes esse videtur. Forsitan quispiam dixerit: fieri potest, ut ille legatus eo tempore nondum ex Persia reverterit itaque ut magistratus populi suffragiis creatus non potuerit aperte perstringi. At mihi quidem non constat hic certam quandam legationem commemorari recteque viros doctos de Theoro legato cogitasse. Quod enim M.-Strübingius alias quoque eundem Theorum legati munere fungi dicit (l. s. p. 732) idque solo Eq. versu 608 nisus, fundamento nititur admodum infirmo. Si igitur statuimus non

certam legationem significari, nomine proprio usus poeta iocatur ut Eq. 570 *ὁ θυμὸς εὐθὺς ἦν Ἀμυνίας*, Eq. 615 *τί δ' ἄλλο γ' εἰ μὴ Νικόβουλος ἐγενόμην*; Ut poeta aliis Acharnensium fabulae locis in legatis perstringendis imprimis longum tempus, magnos sumptus luxuriamque vituperat, ita legato Thracico, qui causam reipublicae non strenue agat, sed tamquam *θεωρός* dies festos celebret (v. 136. 141), nescio an Theori illius nomen imposuerit. Itaque hoc quoque loco M.-Strübingio concedo totam illam de Sitalcis socii auxilio narrationem non prorsus fictam esse ab ipso poeta; sed certum quendam legatum perstringi non pro certo habuerim. — Pasias et Amynias denique, qui iam v. 30 et 31 Nubium fabulae nominantur, postea autem ipsi prodeunt, feneratores Athenienses omnibus noti fuisse videntur. Si contra scholiastae (ad v. 31) fidem haberemus, de Atheniensibus cogitaremus, qui nominibus mutatis tecte significarentur ut Niciam in Ach. fab. tecte significari infra demonstraturus sum; sed neque constat, anno archontis Ameiniae (423/2) poetam Nubium fabulam iterum docturum fuisse neque ita describuntur illi homines, ut vestigia alia quam feneratorum inveniamus.

Restat ut de iis personis dicamus quibus poeta — plerumque ne legem illam comicorum licentiam coercentem violaret — falsa nomina imposuit. Hoc modo complures Athenienses tecte significantur eorumque plurimi qui magistratu funguntur; tales autem personae sunt Amphitheus et Nicarchus Acharnensium fabulae, duo illi servi Paphlagoque Eq. fab., Vesparum denique fabulae canis Cydatheniensis Labesque, quibus adiungere liceat cantharum Pacis fabulae. Primum igitur de *Amphitheo* verba faciamus. Cum interpretes fere omnes eum optimates pacis cupidos, pauperes illos quidem sed generis nobilitate superbientes repraesentare censuerint, Leo contra minus recte quam ipse poeta v. 47 sqq. eius nomen explicet (l. s. p. 6 ann. 3. „seu *ἀμφι-θεός* sive *ἀμφι-θέω*, quod bene inlustratur legati velocitate“); optime sagacissimeque M.-Strübingius, qui l. s.



p. 697—9 hac de persona disseruit, tecte Hermogenem, fratrem Calliae, significari ostendit. Tot profecto protulit argumenta, ut sententiam illius non accipere nequeas. Utrum autem Hermogenes illo anno magistratus aut creatus aut sortitus fuerit eamque ob causam aperte nominari non potuerit, an poeta non lege sed animi hilaritate coactus cognomen populare usurparit, diiudicari nequit.

Cum quae de Amphitheo dixi, M.-Strübingio debentur, equidem novam quandam explicationem personae *Nicarchi* illius, qui in Aristoph. Ach. v. 908—58 prodit, iam proponam. Scholiasta, ut ab illo initium faciam, haec profert: ὁ N. κωμῳδεῖται ὡς συκοφάντης, id quod eum tantum e comoediae versibus sumpsisse apparet; interpretes autem tacent omnes, nisi quod Albertus Müller Nicarchum alibi apud comicos non commemorari dicit. — Sed antequam de sycophanta nostri loci dicamus, alios locos, ubi sycophantae in scenam prodeunt, inspiciamus. Ac primum quidem nostrae fabulae v. 818—28. Ibi quoque sycophanta prodit, sed nomine non apposito neque moribus uberiore sermone descriptis; qui cum quattuor tantum versus pronuntiet, poeta nihil aliud egisse videtur, nisi ut Dicaeopolim eiusque ἀγορανόμους (v. 824 cf. 723 sqq.) rerum potitos esse demonstraret; multitudinem sycophantarum Atheniensium simul perstringi (cf. v. 829) per se apparet. Neque ei sycophantae, qui in Av. 1410—66 occurrit, nomen proprium est datum; qui quod ea de causa solum avium habitum se adamasse dicit, ut munus patrium (v. 1452) melius exerceat, et a Peithetairo expellitur, non hominem quendam sed omnino furorem illum accusandi exagitari facile intelligimus. Accusator denique, qui in Vesp. 1417—41 nonnulla verba profert, solum ad actionem promovendam inducitur itaque certo nomine non est opus.

Quare tandem hoc Ach. fab. loco sycophantae nomen certum impositum esse dicemus? Saepius nomina poetam comicum fingere ex morum proprietate rationeque vivendi, ut Dicaeopolis, Agoracriti, Trygaei, supra vidimus; sed

Nicarchum „bellum victoriamque incipere", poeta neque disertis verbis dicit neque tota scena exprimit. Itaque et scholiasta et interpretes nostrae aetatis de homine quodam cogitant, qui revera Athenis munus illud praeclarum susceperit; sed talem hominem hic solum nominari, cum alibi poeta eiusdem muneris homines in scenam producat nominibus non appositis, persuadere mihi non possum. Aristophanes nonne homines quos amat diligitque ut Cleonymum ῥιψάσπιδα etiam atque etiam nominat? Mea quidem sententia homo notissimus producitur, sed ita ut persona aliena ipsum hominem occultet; cum autem de eiusdem anni magistratibus cogitare paene cogamur, statim occurrit Nicias[1], cuius nomen in „Nicarchus" depravatum esse potest. Nam talibus artificiis poetas comicos usos esse ipso schol. Nub. 31 docemur, de quo in capite primo uberius dixi (p. 4).

Aristophanem non munus sycophantae solum perstringere sed certum quendam hominem, meamque de Nicia sententiam non prorsus esse reiciendam ut mihi concedatur, scenam paucis adumbrabo. Boeoto illi secum portaturo quae Thebis non nascantur cum Dicaeopolis persuadeat, ut sycophantam aliquem secum educat, Nicarchus suo tempore adest (v. 908). Quem mirum in modum alloquuntur: μικκός γα μάκος οὗτος — ἀλλ' ἅπαν κακόν. Deinde aeque ac sycophanta prior (v. 819 sqq.) bona hostilia retenturus, cum Boeotus quaerat, quae sit causa, haec verba profert: ἐγὼ φράσω σοι τῶν περιεστώτων χάριν (915), quibus verbis appareat, eum non tam sceleris ulciscendi causa agere quam ut admirationem sui efficiat. Tum cum legibus cautum fuisse sciamus, ne quidquam ex Boeotia in Atticam induceretur, scilicet ut belli temporibus Boeotia commercio circumciso

1) Nicias in numero praetorum huius anni a Thucydide quidem non nominatur; scilicet casu quodam expeditioni praefectus erat nulli; nam satis constat eum post Periclis mortem iterum atque iterum praetorem factum esse (cf. Thuc. V, 16. Plut. Nic. 2; Oncken „Hellas u. Athen" II, p. 283 sq.).



vexaretur (cf. Boeckh. oec. Ath. I[3], p. 77), novam quandam causam atque inauditam Nicarchus affert: „facillime“, inquit „fieri potest, ut ellychnia tota navalia incendant“ (920 sqq.); quo argumento ioculari poeta aut omnium Atheniensium nimiam anxietatem aut, id quod verisimilius est, ipsius Nicarchi nimiam diligentiam exagitat. — Sed res paucis expeditur: dum sycophanta „in fasciculum ut vas fictile colligitur“, et choreutae et Dicaeopolis de eius moribus verba faciunt, qui *ψοφεῖ λάλον τι καὶ πυρορραγὲς κἄλλως θεοῖσιν ἐχθρόν* (v. 934); tumultuosus autem iterum v. 942 vocatur et v. 937 sqq. litigandi cupidissimus dicitur esse. Boeotus tandem fasciculum aufert, ut quam saepissime eius maledicendi facultate utatur (v. 950), Dicaeopolis contra multis comtumeliis eum vexat. — Totam hanc scenam quippe quae non lecta sed ob oculos acta plus admirationis risusque movisse videatur, ad hominem quemvis obscurum spectare non crediderim.

Ipsum vero Niciam significari non solum nominis similitudine adducor ut existimem. Primum v. 915, qui nobis admirationem movit, in virum illum nobilem quadrare videtur, qui semper populo acceptus esse studebat multumque aliorum tribuebat existimationi, id quod Plutarchus Nic. 4 tradidit (*τούτοις δ' ὅτι μὲν πολὺ τὸ πρὸς δόξαν καὶ φιλοτιμίαν πανηγυρικὴν καὶ ἀγοραῖον ἔνεστιν οὐκ ἄδηλον*). Memorque velim sis eorum quae idem Nicias in Eq. fab. dicit: *ἓν δ' αὐτοὺς παραιτησώμεθα, ἐπίδηλον ἡμῖν τοῖς προσώποισιν ποιεῖν, ἣν τοῖς ἔπεσι χαίρωσι καὶ τοῖς πράγμασιν* (v. 37 sqq.). Ei enim versus vix cum prologis comoediae recentioris comparari possunt, quibus poeta favorem benevolentiamque eorum, qui in theatro adsunt, movere excitareque studet; cum potius apud Aristophanem, quippe qui numquam fere nisi parabasi populum alloqui soleat, alibi versus eiusmodi non inveniantur, eis mores Niciae significari dixerim. — Neque minus Niciae anxietas, quae quidem nostro loco (v. 920 sqq.) non in deorum timore posita est, a scriptoribus commemoratur (cf. Thuc. VII, 50. C. F. Hermann. „de persona Niciae

apud Arist.“ sive „Progymn. ad Arist. Eq.“ III. 1835; Roscher. Klio I. p. 310 sq.). Maxime autem commoveor v. 933. 4. *ψοφεῖ λάλον τι καὶ πυρορραγὲς κἄλλως θεοῖσιν ἐχθρόν*, quibus in versibus Albertus Müller *λάλον τι* et *κἄλλως θ. ἐχθρόν* solum sycophantam spectare iudicat; cui oppono ut cetera „epitheta“ horum versuum haec quoque ambigue de vase fictili et de sycophanta dicta esse, neque separari posse ea quae ad personam spectant ab iis quae ad rem pertinent. Id autem admirationem movet quod adiectivis duobus prioribus apposita sunt verba *κἄλλως θεοῖσιν ἐχθρόν*, minus ex ipsa re profecta quam longius repetita. Itaque nil optatius esse potest quam quod in Equitum fabula servos, qui omnibus fere interpretibus Nicias et Demosthenes esse visi sunt, hoc modo colloquentes audimus:

v. 32 Dem. *ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;*
Nicias *ἔγωγε.* Dem. *ποίῳ χρώμενος τεκμηρίῳ;*
Nicias *ὁτιὴ θεοῖσιν ἐχθρός εἰμ'. οὐκ εἰκότως;*

Cum Niciae pietas satis sit cognita, haec verba ei ipsi sunt tribuenda, non Niciae servi partes agenti; atque ex ea concludendi ratione comica, qua Nicias servus excellit, colligi potest, Niciam revera talia dicta protulisse et *θεοισεχθρίαν* (Vesp. 418) penitus sensisse, id quod poeta et in Acharn. et in Eq. fabula respexit. Quamquam aliis quoque locis easdem voces inveniri non ignoro, ut Nub. 581, Vesp. 418; attamen hi Equitum fabulae versus maximi sunt momenti, quia ipse Nicias de suo deorum timore locatus eis vocibus utitur.

Dicat quispiam: qui fieri potuit, ut Nicias vir ille honestus omnibusque probatus in comoedia partes sycophantae susciperet? cui respondeo, M.-Strübingii doctrina prorsus accepta: ne omnia serio acceperis! memineris velim, quomodo Pericles, Pheidias, Aspasia a comicis bellum Peloponnesiacum movisse dicantur. Quod autem ad furorem litigandi accusandique attinet, nonnulla non Niciae, qualis revera erat, sed partibus sycophantae sunt tribuenda aeque

atque in Equitum fabula servi et praetores clarissimos Niciam Demosthenemque et servos repraesentant. Accedit quod Niciam iudicia fugisse valdeque sycophantas metuisse scimus (cf. C. F. Hermann. l. s. p. 11 sqq.; Plut. Nic. 4. 5, *οὕτω δὴ διακείμενος εὐλαβῶς πρὸς τοὺς συκοφάντας*). Poeta autem comico quam maxime dignum est, ut condiciones veras commutet convertatque, et eum, quem minime sycophantarum mores adamantem cognoverit, ut sycophantarum quasi principem in comoedia producat. — Neque vero M.-Strübingii verbis: „auch sonst schont Ar. den Nicias ja immer" (p. 522) perturbor. Certe enim Nicias anno sequenti ab Aristophane perstringitur; quamquam impetus et in Acharn. et in Eq. fabula in Niciam factus lenis ut impetus comici acerrimi dicendus est.

Quodsi alii fortasse meam sententiam refellere studebunt, cum neminem intellegere potuisse dicent, Niciam praetorem significari, cum mores illius minus sint descripti; quoniam aliis rebus sententia mea confirmatur, nunc coniectura quaedam non audacissima videbitur: verisimile mihi quidem est, versus 920 sqq. ad certam quandam orationem, quam habuerit Nicias, vel ad certam quandam rem, quam nimis caute proposuerit, spectasse, ut quivis Atheniensis, qui Nicarchi nomine audito statim de Nicia magistratu cogitabat, his versibus prorsus certior fieret, quem cavillaretur poeta. Quam coniecturam si veritatis speciem praebere conceditur, nescio an ad eandem incendii evitandi curam vox *πυρορραγές* (v. 933) spectet.

Quamquam haec omnia tantum coniectura niti libenter confiteor; quae si accipiuntur, tandem aliquando cur partes prioris et alterius eiusdem fabulae sycophantae adeo differant satis intelligitur (cum illic sycophantam quemvis anonymum prodire videamus, hic magistratum Atheniensem, persona sycophantae indutum); sin reiciuntur, quae de lege illa explicanda protuli, nullo modo labefactantur.

Iam ad Equitum fabulam accedam ratus confisusque me ea fabula vim illius legis quam certissimis argumentis illustraturum esse. Ac statim initio fabulae duo servi in scenam prodeunt, quibus consulto poeta non certa quaedam imposuit nomina; eos enim repraesentare *Demosthenem* et *Niciam*, quos Ol. 88, 4 praetura functos esse constat, iam diu viri docti intellexerunt idemque sensit, qui postremus Equitum fabulam edidit interpretatusque est, W. Ribbeckius, Engeri disputatione (Jahnii Annal. 1855) ad aliam sententiam non perductus. Recte quidem M.-Strübingius p. 137 ann. tam subtiliter tecteque eos significari dixit, ut facillime eos qui audiebant fugere posset, quid vellet poeta. Sed cur nominibus propriis usus hanc obscuritatem poeta non sustulerit, nemo explicavit; equidem causam tantum in lege illa positam esse contendo. — Eadem vero ratione partes *Paphlagonis* mihi videntur explicandae. In fabula componenda poeta consulto nomen Cleonis evitavit tacuitque; omnia autem, quae de servo Paphlagonio dicuntur vel quae ipse profert, ad Cleonem spectare, iis, qui in theatro aderant, duabus maxime de causis non statim apparere non potuit; primum nescio quot versus quaestum coriarii exagitant, deinde victoria illa Pyliaca etiam atque etiam sive laudibus sive opprobriis tangitur; quod utrumque iam in Demosthenis sermone, qui inde a v. 40 legitur, invenimus, alterum v. 44, v. 55 sq. alterum. Attamen non recte se habet, quod Droysenius (vers. II. p. 307) ipsum Cleonem nullo loco nominari dicit; v. 973 sqq. enim haec legimus:

> *ἥδιστον φάος ἡμέρας*
> *ἔσται τοῖσι παροῦσι καὶ*
> *τοῖσιν εἰσαφικνουμένοις*
> *ἢν Κλέων ἀπόληται.*

Verisimile quidem videtur, cum semel tantum nomen verum audiatur, id ne hoc quidem loco olim esse auditum, potius Aristophanem omnino Cleonem nominare aut lege esse vetitum aut, si parumper illam legem non exstitisse statuimus, alia causa commotum sibi proposuisse ut omnino nomen illius taceret; itaque contendo nomen vix posse tole-

rari, quodcunque iudicium de lege illa feretur. Dicet quispiam eodem modo v. 358 Niciam nominari (*λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω*), cuius partes antea plurimorum interpretum iudicio servus alter susceperit. Cui respondeo: nominatur quidem Nicias quasi poeta antea de eo non cogitarit; at inter hunc versum illasque partes ratio intercedit nulla, cum servus ille iam post v. 154 scenam reliquerit non rediturus; itaque hoc versu poeta eos qui adsunt in theatro minime docet, sese cum servum producat, Niciam praetorem tecte significare. Prorsus aliter res se habet nostro loco: Paphlagone in scenam statim rediture cum quin adversarius victurus sit nemo fere audientium dubitare possit, eo ipso tempore choreutae carmen quoddam canunt, quo Cleonem mox periturum esse sperant; hoc igitur loco poeta, quippe qui totam per fabulam nomen consulto tacuerit, spectatoribus demonstrat, se revera Cleonem exagitare, id quod omnes iam diu coniectura invenerant. Cur autem aperuit, quod nemo ignorabat? cur consilium, quod diu consecutus est, subito reliquit?

Si vero nomen Cleonis hoc loco delendum est, de calami errore cogitare non possumus; potius glossema aliquod vox *Κλέων* esse videtur, quod ad verba poetae illustranda scholiasta quidam adscripserit. Vox autem, quae glossemate in ordinem verborum recepto falso omissa est, cum duas tantum syllabas continuerit, non de adiectivo, cui articulum adiungi oportebat, sed de pronomine cogitandum est, sed ita ut post pronomen *οὗτος* particula *γέ* ponatur, eodem modo atque in enuntiatis *μὰ τὸν Δία — ἢν μή γε* (Ach. 60. Av. 440. Thesm. 269). Propono igitur haec: *ἢν οὗτός γ' ἀπόληται.* Qua in coniectura si acquiescimus, facile intelligimus, cur scholiasta nimis accurate nomen verum apposuerit; attamen non metuimus, ne spectatores falso sententiam poetae interpretati sint, cum non de Agoracrito superando sed de Cleone vincendo agatur illeque iam fere vicisse videatur. Neve opponas velim quod versu 981 iterum *οὗτος* legatur, nisi forte in v. 987 offendis, in quo bis pronomen *αὐτός* invenitur.

Etiamsi igitur legem illam missam facimus, nomen vix ferendum esse censeo; sin retinetur, hunc versum argumentum esse nego quo demonstretur meam legis explicationem esse falsam. Poetam enim Cleonis nomen aperte pronuntiantem nescio an sic defensuri sint; non ipsi actori hoc nomen poeta dedit et si quis contendebat, choreutas servum Paphlagonium Cleonem nominasse, poeta dicere poterat: „unde scitis, viri ornatissimi, me in carmine illo fingendo de servo comoediae cogitasse?“ — Quod nimis subtile esse non negarim.

Sed multo maioris momenti est alia quaestio: scire cupimus, qua de causa per totam fabulam Aristophanes nomen Cleonis tacuerit. Forsitan quispiam dixerit: metu prohibitus poeta Cleonem Paphlagonem nominat; atque protulit talia Roscherus (Klio I. p. 412 et 418), qui anno 426 Cleonis potentiam minorem fuisse censet: „während Ar. später in den Rittern Kleon niemals zu nennen wagt, wird dessen Name in den Ach. ganz ungescheut durchgezogen“ . . „ich habe gezeigt, dass sich aus Ar. Rittern selbst, aus dem Verschweigen von Kleons Namen . . . am deutlichsten erkennen lässt, wie sehr die Macht des Demagogen gegen die Zeiten der Acharnerkomödie gestiegen war“. At Cleonem non minus iratum fuisse nomine omisso per se apparet; si igitur poeta Cleonem iratum veritus esset, omnino haec fabula non esset composita doctaque; sin poetam metuisse putamus, ne a Cleone in iudicium vocaretur, non in Cleone homine potentissimo sed in lege, ex qua poeta accusari poterat, causa erat posita. — Alii nescio an in legibus poesis dramaticae causam inesse velint contendantque poetam, qui hanc similitudinem familiae servorumque usurparit, non decere eam turbare, nomenque Paphlagonis optime esse usurpatum (ut Leutsch. Philol. I, p. 465—74 demonstrat, nomine Paphlagonis et habitum et mores Cleonis optime significari). At si non lex vetuisset, saepius ni fallor poetae nomen ipsum fortuito excidisset et saepius nomine vero quasi aliudens usus esset.

Si contra statuimus, lege vetitum esse poetam, et Demosthenem et Niciam et Cleonem quippe qui magistratu fungerentur (Cleonem enim praetorem extraordinarium mansisse coniecimus sumusque suspicati, eum in numero censorum fuisse, qui tributa denuo constituerent), omnes igitur tres palam in scenam producere, omnia recte se habent: Aristophanes legem non est violaturus, tamen tam aperte mores eorum describit, ut idem efficiat, quod efficeret, si lex illa non vigeret nominaque proferre liceret. Quin etiam nomen simile profert, ut tantum non legem modumque neglegat (958 *οὐ τὸν ἐμὸν εἶχεν, ἀλλὰ τὸν Κλεωνύμου*), sed ipsum nomen non pronuntiat.

Quibus examinatis legeque illa hac Eq. fabula quam maxime confirmata, paucis verbis liceat versus 230 sqq. tangere. Quod Aristophanes haec dicit:

ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελεν
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι· πάντως γε μὴν
γνωσθήσεται· τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν —

vix crediderim poetam larvam quam voluerit sibi comparare non potuisse. Dissimulasse potius videtur poeta quod lege cautum erat; id quod concedent, qui Equitum et Nubium fabulas comparaverint: cum Socrates larva et nomine statim agnosceretur, poeta noluit larva magistratus actorem induere, ne legem violaret. Attamen neque larva usus neque nomine proprio ita Cleonem describit, ut et Athenienses et nos minime dubitemus, quisnam perstringatur.

Eundem Cleonem anno Ol. 89, 2 (423/2) praetorem fuisse supra coniecimus, cum praetura anni Ol. 89, 1 Nubium epirrhemate confirmari videatur, Thucydidis vero libro quinto praetura anni Ol. 89, 3. Cuius rei memores iam Vesparum fabulam Ol. 89, 2 doctam examinemus. Atque eadem causa, quae v. 891—1007 in ipsa scena instituitur, iam v. 240 sqq. commemoratur:

ὡς ἔσται Λάχητι νυνί . .
χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηρὰν
ἐπ' αὐτόν, ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκηκεν . . . .

eaque lis perstringitur, quae compluribus annis ante revera Athenis intenta erat (cf. Philochor. ap. schol. Arist. Vesp. 240; Thucyd. III, 115). Cum igitur Cleo accuset, Laches sit accusatus, cur tandem non canis alter Cleo, alter Laches, sed Cydatheniensis ille, hic Labes vocatur? Idem enim Cleo saepius in eadem fabula nominatur (v. 62. 197. 409.—596 *Κλέων ὁ κεκραξιδάμας* — 759. 1224, quo loco Bdelycleo se Cleonem esse fingit. — Idem quin v. 28—41 significetur non dubito; neque quidquam obstitisse puto quominus hic poeta eum aperte nominaret). Solum autem hac in causa canina Cleo canis figura induta in scenam prodit; et hoc quidem loco non nominatur, sed audientium est coniectura invenire quem cavilletur poeta. Itaque novum aliquod argumentum in manibus tenere videor, quo explicationem meam legis illius confirmem; aliamque ad rem pergerem, nisi occasione oblata de huius scenae actorum partibus pauca essent dicenda. Ipsa enim hac causa canina certissime docemur, Beerium („über die Zahl der Schausp. bei Ar.“ 1844) recte de tribus histrionibus dixisse falsoque Richterum (ed. 1858) Sosiae servo versus nonnullos dedisse. Tres adsunt actores, pater filiusque; tertius autem canis figuram speciemque induit ipseque v. 907 sqq. loquitur. Falso autem, id quod ipsi versus demonstrant, Meinekius et Bergkius pro cane Cydatheniensi Xanthiam dicentem faciunt; immo etiam in personarum indice codicum optimorum vox *κύων* exstat. Ut verba quae canis profert satis docent proprie de homine quodam agi (v. 918. 923. 933. cf. 925 *ἐκ τῶν πόλεων*), eodem modo nescio an in larva histrionis tertii lineamenta oris humani et canini ridiculum in modum mixta fuerint.

Ut Cleonis nomen taceri vidimus ita nomen Lachetis in „Labes“ mutatum est, ut de verbo *λαβεῖν* cogitemus. Fieri quidem poterat, ut poeta quamquam lege illa non prohiberetur, tamen eius quoque nomen verum mutaret, cum Cleonis tacuisset. Attamen non sine aliqua veritatis specie Lachetem praetorem fuisse anni Ol. 89, 2 (423/2) statuere licet, quippe qui anni 423 vere rogationem ferat de indutiis (Thuc. IV, 118, 11) et anni 421 vere in pacis tabulis statim post vel ante Niciam praetorem nominetur (ibid. V, 19 et 24).

Sed ad finem perducamus disputationem. Restat enim ut de Cleone Pacis fabulae dicamus. Quicumque cantharum equi loco esse vidit, certe poetam nihil egisse censebit nisi ut Pegasum tragoediae iocose imitaretur, antequam v. 43 sqq. legerit:

οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
νεανίας δοκησίσοφος, τὸ δὲ πρᾶγμα τί;
ὁ κάνθαρος δὲ πρὸς τί; κᾆτ' αὐτῷ γ' ἀνὴρ
Ἰωνικός τίς φησι παρακαθήμενος·
δοκέω μέν, ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίσσεται,
ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.

Quos ad versus illustrandos Droysenius in annot. haec protulit: „Durch seine Mistnatur wohl, nicht für die weitere Fabel, wie sie jetzt vorliegt, kann der Käfer auf Kleon Beziehung haben“. Neque minus recte idem vir d. (p. 12) verisimile esse censet, in priore Pacis fabula a. 422 docta Cleonem non cum pilo (*ἀλετρίβανος*) esse comparatum, versus 269 sqq. potius nondum exstitisse; cantharum contra Cleonem significasse nondum mortuum. Idem fere sentit Stangerus („über Umarbeitung einiger Ar. Kom.“ 1870.), qui p. 35 Cleonem v. 48 ita nominari dicit, ut de Cleone vivo cogitare cogamur. Itaque haec mea coniectura non prorsus est reicienda: fortasse in priore Pacis fabula cantharus ille non solum ex falsa spectatoris cuiusdam coniectura Cleonem significavit, sed aliis quoque rebus ipse poeta

docuit, sese revera Cleonem cavillari et hominem pacis odio summo inflammatum coegisse ut canthari persona suscepta Trygaeum pacis amantissimum in coelum veheret ad Pacem petendam. Sed haec valde sunt dubia; quae si recta essent, Cleo iterum in scenam productus esset, specie canthari indutus, non aperte quidem nominatus, sed coniectura solum agnoscendus. Profecto Cleonis illius Aristophanici virtutes in annos crescunt: qui antea erat servus Paphlagonius tum canis Cydathenienis, cantharum denique se praebet.

Iam contendere licet comoediis quinque perlustratis nostram explicationem illius legis multo esse verisimiliorem quam Leonis; nihil enim repugnat, complures autem res hoc demum modo recte satisque illustrantur; quae igitur primo huius dissertationis capite de legis illius vi protuli, recte videor protulisse.

7716.

QVAESTIONES ARISTOPHANEAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXXI MENSIS IVLII A. MDCCCLXXIII

HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

FRIDERICVS LEO

REGENWALDENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

GVSTAVVS HEYLBVT STVD. PHIL.
FRIDERICVS DE DVHN STVD. PHIL.
CAROLVS REINHARDT STVD. PHIL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

1873.

FRANCISCO BVECHELERO

HERMANNO VSENERO

S.



I.

DE PRISTINO ACHARNENSIVM EXORDIO.

Mirum est quod eorum qui offensiones circumspiciunt in Aristophanis comoediis nemo de integra Acharnensium condicione dubitavit. sunt enim quae in primaria illa iuvenis poetae fabula vel patientem merito offendant credulove parum credibilia videantur. quibus si quis legens animadvertendis abstinuerit, in calce fabulae et ille haesitabit, dummodo scholiastam consuluerit. qui ad versum fabulae 1228

τήνελλα δῆτ', εἴπερ καλεῖς γ', ὦ πρέσβυ, καλλίνικος

haece adnotat

ὦ πρέσβυ] ἑαυτὸν γὰρ ὑπετίθετο πρέσβυν, πρὸς τὴν γυναῖκα διαλεγόμενος ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος.

itane? conloquiturne in initio fabulae cum muliere Dicaeopolis? minime conloquitur. nec sunt mulieris partes nisi in peragenda pompa[1] spectatricis, his a coniuge verbis compellatae:

262 *σὺ δ' ὦ γύναι θεῶ μ' ἀπὸ τοῦ τέγους.*

quod neque est conloquium neque est in fabulae initio, quippe cui adscribi quae parodum sequuntur nequeant[2]. porro, illud ut conloquium esse concedatur — quod non conceditur — non versatur cardo eius in Dicaeopolidis senectute, id quod significat *ἑαυτὸν ὑπετίθετο πρέσβυν.* nam senem quemvis esse cuius filia adoleverit (254 sq.) nemo contendet. quid

[1] Rectissime enim versus 253—58 Dicaeopolidi Elmsleius dedit.

[2] Scholiastarum. in initiis fabularum nuncupandis usum si exemplis comprobare refert, vide schol. Ach. 866. Pac. 724 al.

quod senem se esse per totam. fabulam nusquam Dicaeopolis indicat, fabulae igitur cum scholio nihil omnino convenit? itaque cum pateat iam non extare quod respexerit scholiasta, fieri non potest quin intercidisse quaedam in fabulae initio statuamus[1].

Quod qui intellexerit fabulamque relegere instituerit oblitteratis licet iacturae vestigiis insistens, priore opinor perlecta fabulae parte mirabitur quod monitore opus fuit scholiasta.

Nempe Amphitheus postquam paciferas Dicaeopolidi tradidit ampullas, Acharnensium sibi lapides timenti aufugiendum esse dicit. senes enim Acharnenses pacem in ampullis odoratos iracundos concurrisse malumque gestatori minatos pedibus instare. nil se morari Acharnenses Dicaeopolis ait domumque ingreditur, Amphitheus tutiorem fugiendo locum quaerit. adveniunt Acharnenses clamitantque:

204 *τῇδε πᾶς ἕπου δίωκε καὶ τὸν ἄνδρα πυνθάνου*
τῶν ὁδοιπόρων ἁπάντων· τῇ πόλει γὰρ ἄξιον
ξυλλαβεῖν τὸν ἄνδρα τοῦτον· ἀλλά μοι μηνύσατε,
εἴ τις οἶδ' ὅποι τέτραπται γῆς ὁ τὰς σπονδὰς φέρων κτἑ.

cf. 234 sq. egressurus domo Dicaeopolis linguis faveri iubet. quod auscultantes senes susurrant

239 *σῖγα πᾶς. ἠκούσατ' ἄνδρες ἆρα τῆς εὐφημίας;*

dein egressum conspicati, quo merito obstupescas:

οὗτος αὐτός ἐστιν ὃν ζητοῦμεν.

hicine est quem quaesiverunt? at nihil omnino norunt de Dicaeopolide pacis auctore nec viderunt quemquam similis rei studiosum praeter Amphitheum, quem Dicaeopolidis iussu rem egisse ignorant. nam quid cum Amphitheo, quod quidem senibus spectatoribusve innotuerit, Dicaeopolidi? nihil igitur in eo sanae rationis est, quod Amphitheum sectati eum quem sectati sint Dicaeopolidem esse aiunt modo modo aedibus progressum.

Omnino quemvis semel monitum sensurum puto quam

[1] Cf. Beerius de actorum apud Aristoph. numeris p. 55. Ribbeckius ed. p. 210. A. Mueller ed. ad v. 244.

miro in fabula officio Amphithei persona fungatur, non ludicro illo comoediaeque condonando, sed quod et consilio destituatur et apto cum ceteris conexu. etenim exoritur ignotus a principio omnibus praefatusque de origine sua multa, quae ne ipsa quidem serio dicta videntur, statim sagittariis traditus abducitur. paci deinde parandae a Dicaeopolide adhibitus conloquio mirifice brevi et in primis memorabili peracto hoce

129 *ἀλλ' Ἀμφίθεός μοι ποῦ 'στιν; Α. οὑτοσὶ πάρα.*
Δ. ἐμοὶ σὺ ταυτασὶ λαβὼν ὀκτὼ δραχμὰς
σπονδὰς πόησον πρὸς Λακεδαιμονίους μόνῳ
καὶ τοῖσι παιδίοισι καὶ τῇ πλάτιδι

obedienter iussum exequitur reque celeriter perpetrata ita evanescit, ut dubitatio moveatur quam supra tetigimus gravissima.

Concedimus certe comoediae fingendi quae placeant licentiam nolumusque in eis haberi qui quae severioribus artis poeticae legibus obesse videantur sedulo rimantur. immo gaudemus Amphithei velocitate nec gravaremur mirabiliora. sed altera velim in omni Atticorum comoedia ostendatur persona, quae cum in actionem nescimus unde inciderit, officio ad fabulae argumentum necessario functa evanescat non minus ignorante spectatore, quorsum exciderit. vides quo tendam: intercidisse aliquid in fabulae initio docuit nos schol. 1228; fuisse Dicaeopolidem inter et Amphitheum conexum quendam nec spectatoribus neque Acharnensibus ignotum e v. 239 conligimus; omnem Amphithei personam artiore olim vinculo cum fabulae argumento coniunctam fuisse reapse intelleximus; illud denique utrumque aptissimum ante eam quae nunc agitur fabulam locum habet: quid igitur mirum quod periisse primam scaenam nobis persuasimus futurumque fuisse ut servata illa omnes quas indicavimus offensiones tollerentur?

Neque dum omnia executi sumus perditae scaenae vestigia. in quibus forsan habeatur quod ad versum Pacis 1008

Μορύχῳ Τελέᾳ Γλαυκέτῃ ἄλλοις
τένθαις πολλοῖς

scholiasta adnotat:



Μορύχῳ Τελέᾳ] καὶ τούτους ἀεὶ ἀπεῖναι βούλεται τῶν ὄψων, διὰ τούτου[1] αὐτοὺς κολάζων ὡς γαστριμάργους, ὥς φησιν ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν. νῦν δ' οὐκ οἶδα, ὅπως τὸ ἐναντίον φησίν. ἴσως οὖν τῇ παρουσίᾳ τούτων Μελάνθιον λυπῆσαι βούλεται ὄντα καὶ αὐτὸν λίχνον. ἦν δὲ τραγῳδίας ποιητής, ὡς προείρηται.

nam cum dicat mirari se quod Morycho Teleaeque faveat hoc loco Aristophanes, quos ceteroquin ab obsonio arcendos censeat, Acharnensium testimonio utitur, ut infestum illis alias poetae animum evincat[2]. atqui unus quo in Acharnensibus Morychus memoratur locus est v. 885 sq.:

ὦ φιλτάτη σὺ καὶ πάλαι ποθουμένη,
ἦλθες ποθεινὴ μὲν τρυγῳδικοῖς χοροῖς,
φίλη δὲ Μορύχῳ,

quo et solum nuncupari Morychum (καὶ τούτους schol. Pac.) neque arceri illum a prandio vides, immo arcessi. huc igitur cum non potuerit scholiasta respicere, nescio an e parte fabulae ignota nobis sua illum sumpsisse iudices, si examinaveris schol. Ach. v. 61

οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ βασιλέως,

quod prolatis haud contemnendae notae quibusdam ita terminatur:

πρέσβεις δὲ οὗτοι εἰσὶν οἱ περὶ τὸν Μόρυχον, ἐμπλησθέντες τρυφῆς.

id unde sciat scholiasta nostro iure quaerimus: e versu 613 conlatis Vesparum vv. 1142 sq. nemo contendet illud explicari, quamquam de eis locis rectissime iudicavit Bergkius fr. com. II p. 970. neque de ulla illius temporis Atheniensium ad Persas legatione quidquam compertum habemus, praeterquam quod missam aliquam fuisse ipsum fabulae argumentum docet, in qua tamen Morychi legatorum principis nec vola inest nec

[1] διὰ τοῦτο inepta est Ravennatis scriptura, cum antecedat βούλεται.

[2] Ex Acharnensibus scholiasta ad 1008. 5. 7. 14. item testimonia adfert, cuncta e Dicaeopolidis conloquio cum Boeotio sumpta, nulli illa quidem dubitationi obnoxia.

vestigium. immo ut homo gulosus ubique, semel ut alienissimus a re publica Morychus perstringitur ab Aristophane, cui de viro illo omnem notitiam debemus praeter Suidam (qui non plura habet quam scholiasta), Timaeum (Ruhnk. p. 183) et Platonem comicum, cui cum Aristophane convenit fr. ap. schol. Nub. 109 (Mein. II 652 cf. Bergk. comment. p. 345)

Πλάτων Περιαλγεῖ
ὦ θεῖε Μόρυχε, νῦν γὰρ εὐδαίμων ἔφυς,
καὶ Γλαυκέτης ἡ ψῆττα καὶ Λεωγόρας,
οἳ ζῆτε τερπνῶς, οὐδὲν ἐνθυμούμενοι.

ut alienum igitur a re publica etiam Aristophanes tangit illum Vesp. 504 sq.:

τὸν πατέρ' ὅτι βούλομαι τούτων ἀπαλλαχθέντα τῶν
ὀρθροφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων
ζῆν βίον γενναῖον ὥσπερ Μόρυχος, αἰτίαν ἔχω κτέ.

e scholio autem Vesp. 506 elucet alios fuisse qui publicis rebus eundem vacasse dicerent. cuius scholii cum sententiam recte restituerit Dindorfius, singulis non satis fecit. et acquiescendum videtur in Meinekii emendatione (Add. V 30 cf. LIX)

πρὸς τὸν τοὺς Ἀψευδεῖς ποιήσαντα, ὅτι τὸν Μόρυχον τῶν πολιτικῶν πεποίηκε [μετέχοντα] πραγμάτων, ἀγνοήσας ὅτι τρυφερὸς καὶ ἡδύβιος κωμῳδεῖται.

Teleclidem igitur apparet in Veracibus partes Morycho dedisse viri in foro versati. quod cum ultro cum Acharn. schol. 61 coniungatur, quidni ipsam Morychi legationem a Teleclide tractatam esse suspicemur? quali argumento, non inusitato illi illius temporis poetis[1], quam aptus fuerit titulus Ἀψευδεῖς ipsum Acharnensium exordium docet. qua coniectura infra, modeste ut decet, utemur. id vero quod Acharnensium scholiasta (61) de Morycho dicit, nisi ex ipsa fabula sumptum fuit, non potest explicari. iam cum de integritate fabulae quid iudicandum sit intellexerimus, et illud quo referendum sit compertum habemus.

[1] Cf. praeter Acharnenses Leuconis Legatos actam ol. LXXXIX a. II.

Vides haud pauca esse quae in amisso fabulae exordio olim extitisse cognovimus. atque eo processisse nobis videmur, ut haud inrita periclitaturum contendamus qui scaenae illius argumentum refingere susceperit. quod ne quis audacius quam probabilius contendi opinetur, rationem qua iactura nobis restituenda videatur, ita indicabimus, ut quid continuerit ipsa scaena, prima scilicet et quae traditam fabulam antecesserit, quam brevissimis adumbremus.

Et conloquium quidem quod cum muliere habuisse Dicaeopolidem scholiasta fidem facit in eo versatum esse existimo, ut de belli diuturnitate deque pace recuperanda dissererent. Dicaeopolis autem, quandoquidem *πρέσβυν ἑαυτὸν ὑποτίθεται*, conqueritur quod ipse senex debeat belli aerumnas aequo diutius perpeti (cf. 72. 73), cum ditiores natuque minores luculentis legationum muneribus fungentes tempus terant mercedesque comedant, veluti Morychum [1] similes, quos magis deceat delicato victu abstinentes in castris exercitari [2]. neque curare id genus legatos ut bellum finiatur, immo ut suum in commodum ducatur, adiutos illos prava rhetorum eloquentia. ita cum quaeratur, qui possit populus moveri ut ad pacem constituendam legatos mittat, mulier — cui callidum facile tribuas consilium — suadet ut servus, Amphitheus [3] scilicet superbo nomine praeditus, viri ingenui veste indutus divinam quandam auctoritatem iactans a prytanibus viatica magna poscat — unde potuerit vel lucri aliquid fieri in illa omnium rerum caritate — oratorisque in contione partes suscipiat. quod cum optimum videatur, Amphitheus ad propositum exornatur, Dicaeopolis adiutorem se in ecclesia adfore profitetur. domum intrat mulier, Amphitheus prytanes petit restatque solus in scaena Dicaeopolis [4]. Amphitheus interim cum apud pry-

[1] Morychi autem legatio per Telecliclis fabulam, cuius supra mentionem fecimus, omnium in ore erat.

[2] Cf. schol. Pac. 1008. Ach. 61. Vesp. 506.

[3] Nimirum *Ἀμφίθεος* partibus constat seu *ἀμφι* + *θεός* sive *ἀμφι* — *θέω* quod bene inlustratur legati velocitate.

[4] Deprehenditur in prologo nec iacturae vestigium neque

tanes nihil impetraverit — nimirum qui drachmarum nimium petiverit —, in contione origine praeclara [1] gloriatus, nutu prytanis qui probe illum novit removetur. tunc vero legati a Persis reducis petulantia mendaciisque incitatus gravissimum Dicaeopolis consilium capit, ut ipse Amphitheum Lacedaemona mittat pacemque sibimet ipsi familiaeque paret. clamat igitur:

ἀλλ' Ἀμφίθεός μοι ποῦ 'στιν;

quod et ipsum necessitudinem satis comprobat quam inter utrumque intercedere coniecimus. nec minus quod cito accurrens ille respondet

οὑτοσὶ πάρα.

servo igitur sollerti erus octo drachmas tradit — pauxillulum scilicet nummorum — brevissimisque eum verbis consilium exequi iubet.

Finitur ecclesia. Amphitheus redux ab Acharnensibus conspicitur — nimirum rumor iam dissipatus erat, Dicaeopolidis servum [2] Spartam migrasse unde pacem adferret —, quos fugit pacem odoratos pedibusque instantes. dein traditis Di-

quidquam quod disputationi nostrae adversetur. dies iam processit (v. 40), quo matutino actio incohata esse fingebatur.

[1] Qua origine iocose praedicanda nescio an tangantur ei qui ad *κηρύκων γένος* pertinuerunt. cf. quae Callias Hipponici filius loquitur Xen. Hell. VI 3, 4: *ὦ ἄνδρες Λακεδαιμόνιοι, τὴν μὲν προξενίαν ὑμῶν οὐκ ἐγὼ μόνος, ἀλλὰ καὶ πατρὸς πατὴρ πατρῴαν ἔχων παρεδίδου τῷ γένει κτλ. — ὅταν δὲ ἡσυχίας ἐπιθυμήσῃ, εἰρηνοποιοὺς ἡμᾶς ἐκπέμπει. κἀγὼ πρόσθεν δὶς ἤδη ἦλθον περὶ πολέμου καταλύσεως καὶ ἐν ἀμφοτέραις ταῖς πρεσβείαις διεπραξάμην καὶ ἡμῖν καὶ ὑμῖν εἰρήνην.* cf. § 6 — *Τριπτόλεμος ὁ ἡμέτερος πρόγονος κτλ.* de Leogora et Andocide cf. vit. Andoc. I. p. 237 Westerm.

[2] Possit quispiam, ut factum est, suspicari Dicaeopolidem ipsum Acharnensem fuisse, nisus non tam vv. 33. 290. 331 quam scholio 34 (*ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν*) *ἄνθρακας πρίω] τοῦτο Ἀχαρνέων ἴδιον. οὗτοι δὲ πολυάνθρακες καὶ οὐ δεόμενοι παρ' ἄλλων πρίασθαι.* cf. 35 *οὐ γὰρ ἐδεῖτο ἀγοράσαι ἔχων οἴκοι*: quo doceri sane videmur, plura quam nos de Dicaeopolidis persona grammaticos comperta habuisse. sed prohibet v. 406, quamquam ne ille quidem praefracte.

caeopolidi ampullis cito se aufert[1], Dicaeopolis domum ingreditur nihil morari se dicens Acharnenses. qui cum in scaenam progressi Amphitheum se sectari clamitaverint, Dicaeopolidem deprehendunt hilare sacrificium instituturum. iam servum mittunt et ab ero poenam petituri aiunt — quod nunc nemo est qui miretur —

οὗτος αὐτός ἐστιν ὃν ζητοῦμεν.

Amphitheum autem in ipsa pompa suum locum tenere affirmaverim. legitur enim v. 259:

ὦ Ξανθία, σφῷν δ' ἐστὶν ὀρθὸς ἐκτέος
ὁ φαλλός.

ita cum ipsi comoediae bene consuli videas, omnis fortasse dubitatio tolletur, cum externam fabulae speciem respexeris eamque cum ceteris Aristophanis fabulis comparaveris. nimirum quod, si versuum numerum spectas, brevior ipsa Acharnenses est quam Equites (1408 vv.) Nubes (1510) Vespae (1537) Pax (1357) Aves (1765) Lysistrata (1322) Ranae (1533), nolim urgere. mirum vero est, unde haud nihil praesidii disputationi nostrae accedere arbitror, quod in Acharnensibus parodus quae vocatur haud parvo versuum numero propius

[1] Expediendi hoc loco versus videntur 199—208, in quibus emendandis mirum quantum laborarunt Bergkius Meinekius alii, futilia protulit nec tamen paucis probabilia Hamakerus Mnemos. II in. de quorum coniecturis post Hauptium (ind. lect. Berol. 1872/73 p. 6 sq.) non habeo quod addam. quibus cum propius ad veritatem accesserint Dobraeus (Adv. II 187) et idem sentiens ad v. s. Elmsleius, tamen huic loco ne illos quidem satis fecisse persuasum habeo. immo commutatis inter se versuum 200 et 208 locis scribendum est

199 *ταύτας δέχομαι καὶ σπένδομαι κἀκπίομαι.*
208 *Α. ἐγὼ δὲ φεύξομαί γε τοὺς Ἀχαρνέας.*

statim profugientem Dicaeopolis oculis paulisper insecutus pergit

201 *ἐγὼ δὲ πολέμου καὶ κακῶν ἀπαλλαγεὶς*
202 *ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια,*
200 *χαίρειν κελεύων πολλὰ τοὺς Ἀχαρνέας.*

sic cum et anaphora aptissimum locum habeat et versu 208 conloquium optime terminetur chorique in scaenam progressus, ut versu 200 fiebat, indicetur, ultro personarum notae quomodo perturbatae sint explicatur.

ab exordio quod hodie fertur fabulae distat quam in ulla Aristophanis comoedia, quod in uno conspectu ponam[1]:

	parodus incipit a versu	Acharnensium parodus a fabulae exordio propius distat versibus
(Acharn.	204)	
Equitum	247	43
Nubium	275	71
Vesparum	230	26
Pacis	301	97
Avium	310	106
Lysistr.	254	50
Thesmoph.	312	108
Ranarum	316	112
Eccles.	285	81
Pluti	257	53

ut si medium numerum sumas, 74 seu 75 versibus in initio adiectis cum ceteris fabulis conventurum sit Acharnensibus.

Ceterum ne quid desideretur, forsitan in perdita fabulae parte fuerit quod respicit scholiasta Acharn. 106

ὅτι χαυνοπρώκτους] ὅτι πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας ἐκάλουν οἱ βάρβαροι προείρηται.

cf. fr. inc. Ar. CLXXIX p. 1211 ubi Bergkius adnotat: 'videtur perditae alicuius fabulae locum spectare'.

Perpauca sunt quae addenda videantur. nam de scaena post praeclaram Hauptii disputationem in ind. lect. Berol. s. s. non opus duco ut verbum fiat. temporum rationem qualem habeam non inutile videbitur indicasse. orditur enim fabula frigido hiemis die: nimirum cum Lenaeis ageretur, non dico consentaneum fuisse, sed simplicissimum maximeque spectatorum animis accommodatum, ut res ipsa Gamelione mense ageretur[2]. accedit v. 504

αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.

parva igitur Dionysia, quae ne suo tempore celebrarentur

[1] Numeros ubique sequor Meinekianos.

[2] Praeter alias cf. Nubes (schol. 10), Ter. Hautontim. 162, Pl. Pseud. 59 (cf. Usener symb. phil. Bonn. p. 595 sq.).

belli pericula impedivorant, ipso Gamelione peragi lepide fingitur. reapse autem per fabulae progressum Anthesteria secuntur [1].

Nunc si quis quaerat, quo tempore intercidisse videatur fabulae exordium, primum omnium scholiis supra adlatis efficitur, Alexandrinos et legisse illud et commentariis instruxisse. extitisse etiam videtur cum in corpus quod in codicibus fertur scholia redigerentur — nisi redactores valde caecutiisse statuas. ita autem intercidisse videtur, ut unum duove folia amitterentur. quod cum facillime factum esse videatur si primum in corpore fabularum Acharnenses locum tenuerit, utrum tenuerit necne nescio num satis certo effici possit. nam si temporis in disponendis Aristophanis comoediis ordinem sequebantur qui bibliothecae Alexandrinae praeerant, Acharnenses antecedebant Epulones et Babylonii et, de qua tamen perquam dubia res est, Centaurus (cf. Wilamowitz. obs. crit. p. 14). sin alphabeticum, potuerunt antecedere Aeolosico Amphiaraus Anagyrus. at, quod fusius explicare non huius loci est, eum illic ordinem valuisse suspicor, ut temporum ratione observata disponerentur fabulae in altero volumine quas suo, in altero quas aliorum nomine in scaenam poeta tradidisset, ut alterius primum locum teneret Epulones, alterius Acharnenses. Byzantinorum vero aetate cum ordine prorsus alieno ab Alexandrino comoedias digestas esse codices doceant, Acharnensium exordium ante Byzantinorum operam intercidisse satis certo conligitur.

[1] Aliter sentit qui nuper librum conscripsit de Liberalium atticorum temporibus. quo in libro, ut breviter dicam, nihil est quod probem.

II.

QUALI LEGE COMOEDIAE LICENTIAM ATHENIENSES COERCUERINT.

Penetrabunt altius quam his pagellis concessum erit qui enodare suscipient, quomodo conclamata illa comoediae apud Atticos licentia et orta sit et sollemnis quasi moris instar constituta. illis enim ad ipsa comoediae primordia regrediendum erit originique eius insistendum. ardua illa quidem via, sed quae neque iniucundam nec sterilem praebeat quaerendi materiem. plura enim ibi quam solet in poesis dramaticae nataliciis et erui possunt et cognosci, plura ibi divinanti cedunt. haec vero non opus est ut prius dirimantur quam ad propositam quaestionem accedamus. nam satis est constare inter omnes, fuisse ab initio sacram trygodorum licentiam ludere quemvis, iocularibus persequi civium quicumque persequendus videretur. noverant illam et verebantur priscorum temporum Athenienses nec gravabatur eam qui male audisset

κωμῳδηθεὶς ἐν ταῖς πατρίοις τελεταῖς ταῖς τοῦ Διονύσου,

ut verbis illud confirmem obsolescente iam comoediae splendore pronuntiatis. olim eam licentiam extitisse nec posteri ignorabant, quippe quod comoediae servatae docerent, et sciebant qui, cum rei notitia fere evanuisset, originem eius indagare sua ratione nec spernenda mente conabantur. haud immerito igitur ab eorum reliquiis proficiscemur. clarius autem perspicietur quam paucis incorruptae fidei testibus ea in re nitendum sit.

Posteriorum enim temporum grammatici cum a recentiore comoedia antiquam indomita illa licentia differre et accepissent et viderent, duabus potissimum viis progressi explicare studebant, quomodo factum esset ut, quod ceteris non licuisset, civibus nimirum et magistratibus male dicere, veteris comoediae poetis non solum liceret, sed velut officium quoddam impositum videretur.

Et primum quidem Platonius, quisquis ille fuit qui praestantioris notae quaedam *περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν* codicibus Aristophaneis praefixa congessit, ita rem instituit, ut Atticae civitatis historiam, quam bene edoctus erat, sequeretur eique comoediae historiam adaptaret. quamquam qui codicum istum prologum scripsit ipse auctor eius nequaquam habendus est. immo ea est commentarioli illius natura ut certa ratione demonstrari possit quomodo hanc formam induerit. id cum in auctore inter primarios ab omnibus habito non parvi videatur momenti, quam brevissimis expediam.

Diversitatem igitur quae inter antiquam et mediam comoediam — nusquam memorat novam — intercedat, eo ortam esse Platonius dicit quod apud Athenienses temporibus Aristophanis Cratini Eupolidis populare fuerit imperium. populum vero, invidentem divitibus, concessisse comoediae poetis, ut quem vellent impune cavillarentur. quod cum licentius quidam facerent, labente paullatim plebis potestate paucorumque denique imperio constituto accidisse ut poenas a poetis superbiore impetu abreptis potentes peterent, remitterent ipsi poetae male dicendi consuetudinem. desiisse simul, quorum adhuc publicum munus fuisset, choragos ab Atheniensibus designari. ita evenisse fabulas quales Aristophanis Aeolosiconem Cratinique Ulixes.

In postremis his narrandis (v. 28—43 ed. Dübneri) quale consilium secutus sit quaerere operae pretium est. tradit igitur Aeolosiconi ab Aristophane scriptae cantica deesse. ea enim simul cum choragis defecisse et nova argumenta in usum venisse. ita Aristophanem traduxisse Aeolum Euripidiam. in his haud pauca sunt quae legenti mira videantur. iusto enim copiosius repetuntur v. 32. 33 quae modo (v. 29. 30)

dicta erant, repetuntur v. 35—37 quae narrationem incohaverant (v. 9—11). et longiusculae de Aeolosicone disputationi adhaeret iterata Aeolosiconis et adiecta Ulixium mentio, quippe quae mediae comoediae speciem ferant. non mirabor si quis suspicetur ea quae v. 30—39 leguntur (*τὸν γοῦν Αἰολοσίκωνα — κακῶς ἔχον διαφέρει*) scholion esse aliunde adscriptum, additum ad Aeolosiconem explicandam, ut arte cohaereant v. 30 *παρέχοντας χειροτονεῖν* et 39 *τοιοῦτος οὖν*. sed praematuro abstinendum est iudicio et quod sequitur inspiciendum. ac deinde quidem quae parabaseos mentioni de ipsa parabasi adiciuntur et vera sunt neque a proposito aliena (v. 44—58 cf. de com. IX[a] v. 96 sq. p. XIX sq. Dübn.). secuntur de fabularum argumentis vv. 58—78. eorum fere repeti vides:

v. 58. 59	ex	34. 35
οἱ δὲ τῆς μέσης κωμῳδίας ποιηταὶ καὶ τὰς ὑποθέσεις ἤμειψαν καὶ τὰ χορικὰ μέλη παρέλιπον.		*ὑπεξῃρέθη τῆς κωμῳδίας τὰ χορικὰ μέλη καὶ τῶν ὑποθέσεων ὁ τρόπος μετεβλήθη.*

et, quae transscribere longum est:

60. 61	ex	29. 30 (33)
61—65	ex	9—11
65—67	ex	38. 39
69. 70	ex	42. 43.

copiosius deinde inlustratur quod v. 65—67 dictum est, institisse mediae comoediae poetas aliorum poetarum operibus. cuius rei exemplum datur Ulixes. sequitur quod praeter cetera mireris v. 76: *καὶ τὰς παραβάσεις παρῃτήσαντο διὰ τὸ τοὺς χοροὺς ἐκλεῖψαι χορηγῶν οὐκ ὄντων*. cuius rei notitiam e prioribus satis superque volens perceperit. denique de personis agitur.

Nemo est qui scriptorem ipsum de comoediae generibus sua componentem per unius duarumve pagellarum spatium totiens quae modo dixisset repetiturum fuisse credat. atque cum possint quae v. 30—39 repetita extant fusiori stilo condonari, vv. 58—78 vel 60—65 prorsus abhorrent ab eo qui priora scripserit. tollitur dubitatio reputanti quae ratio intercedat inter vv. 61—65 et 9—11:



61—65

ὑποθέσεις μὲν γὰρ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ἦσαν αὗται· τὸ στρατηγοῖς ἐπιτιμᾶν καὶ δικασταῖς οὐκ ὀρθῶς δικάζουσι καὶ χρήματα συλλέγουσιν ἐξ ἀδικίας τισὶ καὶ μοχθηρὸν ἐπανῃρημένοις βίον.

9—11

τῆς ἰσηγορίας οὖν πᾶσιν ὑπαρχούσης ἄδειαν οἱ τὰς κωμῳδίας συγγράφοντες εἶχον σκώπτειν καὶ στρατηγοὺς καὶ δικαστὰς τοὺς κακῶς δικάζοντας καὶ τῶν πολιτῶν τινας ἢ φιλαργύρους ἢ συζῶντας ἀσελγείᾳ.

adeo enim nullum caecutire credo ut non videat utrumque locum ex uno eodemque fonte fluxisse. nam plane eadem hominum genera in utroque nominantur verbis significata diversis: duces, iudices, avari et, quorum in talibus non magna differentia, *μοχθηροί—ἀσελγεῖς*. nunc uno obtutu patet quid de universo tractatu iudicandum sit. agitur enim v. 1—58

de veteris comoediae argumentis
de choragiis } remotis
de canticis }
de argumentis mutatis
adiectis Aeolosiconis et Ulixium exemplis
de parabasi,

in vv. 58—78

de veteris comoediae argumentis.
in eis memorata et choragia
et cantica
et parabasis
et argumentorum mutatio, adiecto Ulixium exemplo.

Hos conferendo indices videbis num haec in unum conglutinari meruerint. luculenter enim efficitur, vv. 1—58 et 58—78 unius eiusdemque de comoediae generibus tractatus eclogas esse a diversis confectas. in quibus quod habet quaedam altera quae alteri desunt non est quod mireris. quomodo autem exemplar, de quo utrumque excerptum fluxerit, comparatum fuerit inde maxime apparet, quod et Aeolosiconem et Ulixes in eo copiosius tractatas fuisse videmus. omnino autem quam fuse illic disputatum fuerit e repetitionibus con-

ligas quas 30—89 deprehendimus. quae si epitomatori tribuuntur contrahenti alia, alia praetereunti, suum habent explicatum. plura autem de parabasi dicta excerpsit qui priorem, de poetis comicorum ludibriis plura qui alteram eclogam conscripsit [1].

Restant quae de personis dicta sunt (v. 78—ext.). in quibus novae comoediae mentionem fieri diximus, cum in ceteris una respiciatur media. mediae autem in his extremis quam paullum curae scriptor habuerit sequentia docent. nam cum in ceteris comici timentes Atheniensium optimates conviciis abstinuisse ubique tradantur, ab ipsis potentium personis imitandis destitisse prae Macedonum timore dicuntur: *ἐν δὲ τῇ μέσῃ καὶ νέᾳ κωμῳδίᾳ ἐπίτηδες τὰ προσωπεῖα πρὸς τὸ γελοιότερον ἐδημιούργησαν, δεδοικότες τοὺς Μακεδόνας καὶ τοὺς ἐπηρτημένους ἐξ ἐκείνων φόβους, ἵνα μηδὲ ἐκ τύχης τινὸς ὁμοιότης προσώπου συμπέσῃ τινὶ Μακεδόνων ἄρχοντι καὶ δόξας ὁ ποιητὴς ἐκ προαιρέσεως κωμῳδεῖν δίκας ὑπόσχῃ* (cf. v. 18 sq. 36. 56 sq. 70). itaque cum opponatur veteris comoediae consuetudo ei quae Macedonum potestati indulserit, primo haec composita esse apparet a grammatico qui duas tantum comoediae aetates compertas habuerit — veterem et novam. cf. tractatus de comoedia V. ap. Duebn. p. XVI v. 3, in Meinekii hist. crit. p. 539 *χρόνῳ μὲν καθὸ ἡ μὲν νέα ἐπὶ Ἀλεξάνδρου, ἡ δὲ παλαιὰ ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν εἶχε τὴν ἀκμήν*, Usener M. Rh. XXVIII p. 420. in extremis quoque Menandri tantummodo aetatem commemorat. apertum igitur est v. 83 (*ἐν δὲ τῇ μέσῃ καὶ νέᾳ κωμῳδίᾳ κτλ.*) verba *μέσῃ καὶ* ab eo adiecta esse qui duas illas eclogas cum hac appendice coniungendas curaverit, sive Platonius fuit sive eius auctor. videmus autem non spernenda esse quae in illis narrantur quippe quae et vetusta sint et ampliori operi debeantur. quod quale fuerit, ariolaretur qui pro certo affirmare

[1] non multum a vero abfuisse videtur, cuius dissertationem (de Atticorum comoedia bipartita Bonn. 1866) re gesta demum inspicere licuit, Fielitzius. cf. p. 28: 'hoc autem quod servatum est fr. Platonii nomine inscriptum ex pluribus eiusdem generis frustulis esse compositum inde comparet quod eadem res bis terve dicitur (§ 8—10 = § 14—16 Bergk.)'.



vellet. at certissimum est Alexandrinorum illud studiis oriundum esse, sive de comoediae quadam historia sive de grammaticorum scholis cogitare mavis.

Non idem de ceteris comoediae prolegomenis iudicabitur. duabus enim diximus viis grammaticos progressos esse qui huic quaestioni satisfacere studerent. alterius vestigia pressimus. altera ei processerunt quorum reliquiae, uno fonte manifeste oriundae, in prolegomenis de com. IV p. XV D. IX^a p. XVII sq. (Cramer A. P. I 3 sq.) IX^b p. XX sq. (schol. Dionys. Thr. p. 629, 18 ap. Bekker. A. Gr. 747 sq.) et X^b p. XXIII (in Tzetzis *στίχοις περὶ διαφορᾶς ποιητῶν*) extant. cf. Fielitz. l. s. p. 32 sq.

Atque illi rem ita instituerunt ut comparatis populi moribus ne suo quidem tempore obsoletis expedire conarentur qui factum esset, ut miram cuivis maledicendi licentiam acciperent comici et tam diu obtinerent. nec noverunt Atticorum historiam quae Platonii auctori patebat, sed e communi hominum ingenio conligebant iudicabant narrabant. paganos igitur dicunt a civibus quibusdam male tractatos noctu Athenas in urbem venisse ibique quid passi essent magna voce cantitasse vel nominibus nominatis (d. com. IV v. 5 p. XVI D. sed IX^b 21 p. XXI *ἀνωνυμεί*). cives audivisse illa eosque qui iniurias commisissent incusasse, eos vero erubuisse. quod cum innotesceret civitatique utile videretur, iussos esse cantatores istos etiam de theatro sua in iniustos cives opprobria fundere, licentia lege concessa. postea vero aegre tulisse cives iustos comicorum impetus — in peius enim pronam esse humani generis naturam — et impedivisse primum ne aperte, deinde ne vel occulte cives vellicarent. ita factum esse ut veterem comoediam *φανερῶς* cavillantem media sequeretur *αἰνιγματωδῶς* ludens eamque nova quae peregrinis mendicis servis incumberet. antiquae esse Aristophanem Eupolidem Cratinum, mediae Platonem, novae Menandrum. inde autem quod mediae inlustre exemplum Platonem habent intellegitur quam recenti loco hic rerum explicatus prodierit. eum enim qui Hyperbolum Pisandrum Cleophontem conscripsit Alexandrinorum nemo erat qui occulte ludere arbitraretur.

Andronicus autem qui eandem doctrinam praestantissimo Platonicarum fabularum catalogo exornat (X p. XXII D.), cognoscitur quam bono loco repetierit quae vilioribus insereret. idem in prolegomenis factum est: vide IX^a 14—50. 73 extr. et fortasse 50 sq.

Huc progressi plurima quae de comicorum licentia coercita a grammaticis traduntur ita comparata esse videmus, ut possint e parte vera esse, possint comminiscentibus deberi. in neutro enim prologorum genere multa insunt quae non suo marte conlegerit qui Atticorum ingenium et historiam edoctus comoedias noverit. alterius vero generis narrationes cum intellexerimus recentiores esse quam quibus possit in singulis fides haberi, universam tamen illam rerum tradendarum rationem proba memoria niti non est quem fugiat. nimirum quorum apud Platonium vestigium nullum deprehenditur, incondita vetustissimae comoediae primordia, suum in illis pro rei gravitate locum tenent. simili via notum est in reciperanda priscorum temporum memoria Aristotelem processisse. cf. poet. c. 5 p. 1449^a extr. *αἱ μὲν οὖν τῆς τραγῳδίας μεταβάσεις, καὶ δι' ὧν ἐγένοντο, οὐ λελήθασιν, ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν. καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν* e. q. s. cuius auctoritate factum est ut non diversa ratione rem aggrederentur qui cum graecis litteris tractandis latinas coniungebant, Euanthium dico, Diomedem (p. 488 sq. K.) et, quorum unum auctorem esse Usener l. s. docuit, Isidori commenta (VIII 7 p. 265 sq. Lindem.) glossasque Ansileubi (M. Rh. XXVIII p. 418, 11—16 et 18—21). praeter ipsum vero Aristotelem illa de comoedia prolegomena certam hanc memoriam servarunt, comoediam ab ipso eo tempore quo civibus publice recipienda videretur, florendi initium cepisse: de com. IV p. XVI D. v. 13. IX^a p. XVII, 23. IX^b p. XXI, 33. X^b p. XXIII, 39 sq.

Id quo tempore factum sit ne Aristoteli quidem innotuisse patet. Solonis autem tempore, quo cetera poetarum certamina certis legibus circumscripta sunt, de comoedia publice constituenda nemo cogitabat. nondum enim arti illa pare-

bat, sed phallophori in triviis iocularia quaedam festis Dionysii diebus minus scite ac venuste pronuntiabant. quae cum primum ex tempore funderentur, excogitabantur deinde ab hominibus artis quidem poeticae expertibus, qui cum instruendae eiusmodi actioni apti viderentur, sodalium choro eorundemque e numero actoribus quot libebat contenti nec publicis institutis adiuvari consueverant nec legibus coerceri patiebantur. sic iocularibus illis poetici ingenii homines sensim potiti sunt, donec novum artis poeticae genus oriretur. primae ita extiterunt fabulae parvum versuum numerum complexae (trecenorum ut legitur M. Rh. XXVIII p. 418, 18), cottidianae vitae civiumque vitiis adaptatae. quibus cum gauderent Athenienses viderentque haud spernenda in eis ingenia exercitari, factum est ut comoediae quoque chori concederentur quibus in publicis poetarum ludis decertarent. id quo tempore constitutum sit nuper Usener ostendit l. s. p. 426. certissimum enim est eodem tempore in rei publicae institutis comoediae locum concessum esse quo actorum numerus, nulli dum normae obnoxius, certa regula definitus est. v. de com. V 18 sq. p. XVI D. et IX[a] 85 sq. p. XVIII: *ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν στήσας τὴν ἀταξίαν κτἑ.* Cratini igitur aetate comoediam civitas adgnoscebat neque aliud est quod in prolegomenis quae supra tractavimus veri latet: *ποιητὰς ἔταξαν ἐπὶ τούτῳ κωμῳδεῖν οὓς ἂν βούλωνται ἀκωλύτως* (IV 13 p. XVI cf. IX[a] 17 p. XVII, IX[b] 33 p. XXI).

Itaque cum comici poetae et locum in publicis actionibus et chorum et mercedem acciperent (cf. Boeckh. oec. Ath. I 338 sq. 600 sq.), primum quaeritur num legibus statim impositis libertatis parte comoedia simul privata sit. actorum autem choreutarumque gregem cum ad arbitrium conducere iam non liceret, ipsam ludendi licentiam non probabile est inde ab initio imminutam fuisse. prohibent enim et ipsum comoediae ingenium, quod illa aetate vereor ut frenos passum esset, et in primis Cratini comoediarum reliquiae annis ante Morychidem archontem — quem cur eligam infra videbimus — certo adscribendarum.

Et Cratinum quidem intelleximus primum tunc inter omnes comicos locum tenuisse — referuntur enim ad illum quaecumque ea aetate novata esse traduntur. qui cum natus esset ol. LXV a. I (cf. Meinek. H. C. p. 44), in illis publicae comoediae primordiis vigebat certe et florebat. ac notum est quanta ei tribuatur in plectenda pravitate acerbitas. cf. Platonium *περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων* s. *Κρατῖνος*, de com. V, 22 p. XVI D. nec iam *μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον.*

Eius igitur antiquissima comoedia cuius satis certo tempus definiatur Archilochi est, data illa quidem a Clintone F. H. ed. Kr. p. 53 haud improbabili coniectura anno a. Chr. 448 (cf. Mein. II, 25), quippe quae mentionem ferat Cimonis a. 449 mortui ita comparatam ut mortem prope secuta esse videatur. in Archilochis autem acerbissimas fuisse hominum cavillationes ipse fabulae titulus testatur, fragmenta non multa (fr. XIII cf. Bergk. comment. p. 21).

Bubulci quo tempore acta sit parum liquet. de Gnesippo enim illic traducto — nam nullus dubito quin recte restituerit Dobraeus fr. II *τῷ Κλεομάχου* (cf. Fritzsch. ad Ar. Ran. p. 56) — nihil conligitur. qui ut a Chionide (Mendic. fr. I Mein. II, 6), sic ab Eupolide quoque ludebatur et ab Hermippo in Parcis, a Meinekio propter Plut. Per. 33 rectissime secundo ol. LXXVII anno adscriptis: speciosissima enim est Wilamowitzii de Nothippo coniectura (obs. crit. p. 27 sq.). utut est, archontem in Bubulcis Cratinus vehementissimo impetu aggressus est, qui chorum ei denegaverat. nec tamen constat num archon adhuc fuerit ille. cf. Hesych. v. *πυρπερέγχει* (fr. I Mein. II, 26. Bergk. comment. p. 30 sq.). in Hesychii glossa Fritzschius (ad Ar. Ran. p. 57 sq.), falsissimis vera miscens, verissime extrema emendavit: *ἔστιν οὐν τήρει* probante Schmidtio.

Fugitivas quod Meinekius actam esse censet ante ol. LXXXIV, 1 (II 43), argumentatione nititur non satis certa. nam vix crediderim *δραπετίδας* nuncupari potuisse qui publice fugissent, immo *φυγάδας*. sermone autem in reliquiis acerbo utitur (v. fr. V), eodem in Thraessis, recto Meinekii iudicio



olympiadi LXXXIV ineunti adscripta. de pluribus vero ante ol. LXXXV actis non constat.

Cratetis in reliquiis nullum cuiusquam nomen nec nuncupatur neque indicatur. sed non videtur in hac fragmentorum tenuitate non casu factum esse ut licentiae vestigia perirent. neque aliud quisquam confirmari contendet eo quod ab Aristotele praedicatur ut primus *ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας*. quamquam multum aberat a Cratini acerbitate, cf. de com. III 35. 36 p. XV D., Mein. H. C. p. 60. memoretur etiam quod ne in Chionideis quidem fragmentis nomina extant praeter Mend. fr. I. nec multa Pherecratis reliquiae traductorum hominum nomina retinuerunt cf. d. com. III 38 sq. (v. *Ἄγρ.* fr. IV V VII, *Ἰπν.* II, *Πετάλ.* II III, *Χείρ.* I, et fr. inc. V). sed e talibus iudicare ineptientis est.

Satis igitur Cratini exemplum docet, vacuam frenis inter ludos publicos receptam esse comoediam. quod cum illo potissimum tempore factum sit quo populi animus Pericle duce quam maxime excolendae publicae libertati studebat, non ingenio tantum Pericleae aetatis, sed ipsius Periclis auctoritati facile adduceremur ut novam comoediae condicionem deberi putaremus, nisi infestissimi comicorum in civitatis gubernatorem impetus obstarent. cui cum Cratinus Hermippus Teleclides alii convicia permulta intulisse tradantur, patrocinatum esse nullum comperimus, immo ne mortuo quidem Aristophanem pepercisse (Ach. 530 sq.). cf. Plut. Per. II. VIII. XIII. XVI. XXIV. XXXIII, praeterea Cratini Fugit. fr. III (II 45), fr. inc. CXXIII (II 214), Telecl. Hes. fr. IV (II 367), Herm. Parc. fr. IV (II 399). illi vero quem prisci temporis amore nimiaeque libertatis taedio nobilissimum Periclis adversarium fuisse scimus, Cimonem dico, favisse comicorum principem Plutarchus testatur vit. Cim. X prolatis Archilochorum versibus hisce (fr. I Mein. II 15):

κἀγὼ γὰρ ηὔχουν Μητρόβιος ὁ γραμματεὺς
ξὺν ἀνδρὶ θείῳ καὶ φιλοξενωτάτῳ
καὶ πάντ' ἀρίστῳ τῶν Πανελλήνων πρόμῳ
Κίμωνι, λιπαρὸν γῆρας εὐωχούμενος
αἰῶνα πάντα ξυνδιατρίψειν· ὁ δὲ λιπὼν
βέβηκε πρότερος.

et haec ipsa verba et universa comicorum in rebus publicis tractandis consuetudo — quade copiosius dicendi infra locus dabitur — suspicionem moveant, Cimonis potissimum auctoritate factum esse ut comoediae chorus concederetur. illum enim vidisse credo quantam operam comici poetae servandis patrum moribus daturi essent. nec falsus est iudicio. ita prudenter populi animo obsecutus socios suo in re publica administranda proposito, inimicos Pericli eiusque sodalibus comparabat. Cimo autem illo potissimum tempore in civitatem restitutus erat, Morychideum psephisma cum perferretur omnia potuit Pericles.

Namque ut ad ipsam quaestionem propius accedamus, antiquissimum est atque id unum omnium certissimum de comoediae libertate coercita testimonium psephisma illud quod archonte Morychide ol. 85,1 latum, Euthymene ol. 85,4 abrogatum esse testatur schol. Acharn. 67:

ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος] οὗτος ὁ ἄρχων, ἐφ' οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τὸ περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου. ἴσχυσε δὲ ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δύο τοὺς ἑξῆς ἐπὶ Γλαυκίνου τε καὶ Θεοδώρου, μεθ' οὓς ἐπ' Εὐθυμένους κατελύθη.

diserte hic traditur *τὸ κωμῳδεῖν* vetitum esse. id quid reapse significarit diiudicare difficillimum et adhuc fere nefas est. omnino comoediarum actiones prohibitas esse et vereor ut quis credat et titulorum auctoritate refutatur. cf. Clinton F. H. p. 59 Kr., Bergk. comment. p. 142 sq., Usener symb. phil. Bonn. p. 598, C. I. G. 1 p. 350 sq. (n. 229. 30). ac ne unius quidem fabulae certo illo tempore actae, cuius naturam cognitam habeamus, memoria servata est. nam incertissima coniectura est qua Cratini Ulixes eo homines docti rettulerunt nec certior qua Meinekius Hermippi *Ἀθηνᾶς γονὰς* legis Morychideae aetate scriptam esse suspicatur H. C. p. 279. utut est, videmus quindecim circiter annis postquam in publicis actionibus comoediae locus concessus est, libertati eius fines esse constitutos. num primum id eo tempore factum sit nec liquet nec liquebit. idem vero inde quod e Cra-



tini fragmentis conligas, magnam scilicet ante id tempus comicorum in ludendo licentiam fuisse.

Morychideam proxima sequitur lex Antimachea. nam ad Acharn. v. 1150:

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν ξυγγραφῆ τὸν μελέων ποητὴν
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον

triplex est scholiastarum adnotatio

I. *φασὶ γὰρ αὐτὸν γράψαι ψήφισμα ὥστε τοὺς χοροὺς μηδὲν ἐκ τῶν χορηγῶν λαμβάνειν* quod aperte commenti sunt.

II. *ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος. καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλοὶ τῶν ποιητῶν οὐ προσῆλθον ληψόμενοι τὸν χορὸν καὶ δῆλον ὅτι πολλοὶ τῶν χορευτῶν ἐπείνων. ἐχορήγει δὲ ὁ Ἀντίμαχος τότε ὅτε εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα.* cf. Diogenianus VIII 71.

III. *οἱ δὲ λέγουσιν ὅτι ποιητὴς ὢν καλὸς* (scribendum *κακὸς*) *χορηγῶν ποτε μικρολόγως τοῖς χορευταῖς ἐχρήσατο.*

non dubitamus de v. 1152 explicando. choragus enim Antimachus erat lenaeis anni ante actam Acharnenses i. e. ol. LXXXVIII, 2 (cf. Wilamowitz. l. s. p. 15). itaque si fidem habemus scholiastae, eo ipso anno legem Antimachus tulerat de removenda comicorum licentia. sed nemo est qui fidem ei habendam censeat. nimis enim apertum est quam artificiose in explicando loco laboret. neque quidquam in scholiastae verbis pro certo habendum est nisi legis ab Antimacho latae memoria, cf. Bergkius in Schmidtii annal. histor. II p. 201 adn. quam eandem homines docti esse voluerunt atque Morychide illam archonte latam (Boeckh. oec. Ath. I 437 adn. cui non videtur adsentiri Meinekius H. C. p. 43. cf. Bergk. l. s. Curtius H. G. I p. 342). voluerunt falsa illi opinione ducti, quam multis insidere video, de duabus tantum cogitandum esse eius generis legibus, olympiadi LXXXV altera, XCI altera tribuendis. quales frequenter repetitas esse frequens diversarum legum memoria docet.

sequitur quod probo auctore nititur Syracosii psephisma, Phrynichi fragmento notum apud schol. Av. 1297

Συρακοσίῳ δὲ κίττα] οὗτος γὰρ τῶν περὶ τὸ βῆμα. καὶ Εὔπολις ὡς λάλον ἐν Πόλεσι διασύρει 'Συρακόσιος δ' ἔοικεν, ἡνίκ' ἂν λέγῃ, τοῖς κυνιδίοισι τοῖσιν ἐπὶ τῶν τειχέων. ἀναβὰς γὰρ ἐπὶ τὸ βῆμ' ὑλακτεῖ περιτρέχων.' δοκεῖ δὲ καὶ ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί· 'ψῶρ' ἔχε Συρακόσιον. ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι. ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμοιν'. διὸ πικρότερον αὐτῷ προσφέρονται.

laborarunt in hoc fragmento emendando viri docti. cf. Meinek. II 591. G. Hermannum Fritzschius qu. Ar. I 307 ita locum sanasse praedicat:

φῶρ' ἔχθε Συρακόσιον·
κἀπιφανὴς γάρ·
καὐτῷ τι τύχοι μέγ', ἀφείλετο γὰρ
κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν.

Cobetus (Plat. com. rell. p. 38 sq.) 'quia in loco conclamato liceat esse paullo audaciorem' hos versus conformavit:

ψώρα δὲ Συρακόσιον κατέχοι, τρυγικοῖς ἐφάνη γὰρ ἅπασιν
μέγα πῆμα χοροῖσιν, ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν.

qui cum consuluerint numerorum elegantiae, nescio num naturam eorum perspexerint. nam quae in anaspaesticos coegerunt nequaquam anapaesticis, ultro paeonicis creticisque numeris parent: [1]

[1] Quo nisus emendationem perfecit Usener:

ψᾶρ' ἔχε Συρακόσιον.
εἶθ' ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ
καὶ μέγα τύχοι [κακόν].

'tene tibi sturnum loquacem Syracusanum, ut idem audit apud Aristoph. av. 1297 pica (*κίττα*): loquaculum Syracosium indicat Eupolis *Πόλεσι*'.

Cf. Lysistr. 1046

πάντ' ἀγαθὰ καὶ λέγειν καὶ —

1192 *πᾶσι παρέχειν φέρειν τοῖς —.*

ψῶρ' ἔχε Συρακόσιον

– ⏑⏑ ⏑ – ⏑⏑⏑

— *ἐπιφανὲς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι* —

⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – – – ⏑⏑ ⏑ –

sed quae secuntur aperte anapaestica sunt nec numeris nec verbis incerta:

ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν.

apparet igitur e concitato conloquio priora, a choro scilicet pronuntiata, extrema e parabasi scholiastam sumpsisse.

Fuerunt qui Syracosium legem illam tulisse dicerent Alcibiadi obsecutum, ut Bergkius ap. Fritzsch. qu. Ar. p. 319 allato schol. Aristid. p. 444 D. *περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ.* cf. Mein. H. C. p. 40. utut est Alcibiadi tribuitur lex similis Syracosianae, de com. IX[a] 64 p. XIX D.

καὶ οὕτω δὴ ἢ διαφθαρέντος τοῖς κύμασι παντελῶς ἢ καὶ περισωθέντος ψήφισμα ἔθετο Ἀλκιβιάδης, μηκέτι φανερῶς ἀλλὰ συμβολικῶς κωμῳδεῖν.

Syracosium igitur et scholiasta tradit et Phrynichus fidem facit sua lege prohibuisse *μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα* cf. schol. Ach. 1150. atque concessum fuisse comicis ut nomina eorum quos ludebant palam nuncuparent, libertatis eorum summa antiquis videbatur. in Platonii tractatu et in prolegomenis quantum ei rei momenti tribuatur vidimus. cf. quae Cicero dicit R. P. IV 10: 'et Graeci quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quandam convenientiam servaverunt. apud quos fuit etiam lege concessum ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret' eqs. cf. Horatius A. P. 281 sq. (284 'sublato iure nocendi'). quali id lege concessum fuerit supra diximus: nimirum sacro comoediae iure patrumque et deorum auctoritate sancito. quo ante Euclidem numquam prorsus abstinuisse poetas et e fragmentis elucet et ex Aristophanis comoediis — de Ulixibus et quae eius generis sunt nunc taceo. ipsa autem Phrynichi verba docent ne Syracosium quidem licentiam istam omnino abolendam censuisse. nimirum verba

ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν

vel caecutientem docent non omnes fuisse cives a quibus ludendis comici probibiti essent, sed certos quosdam praeter ceteros comicorum conviciis liberatos. id cum sensus flagitat tum grammatica. cf. Bergkius in Schmidtii annal. II 212[a].

Quod cum satis nemo respexisset, ipsam rem alii ita expedire studuerunt ut vetitum fuisse dicerent nominatim cives partesque ignominiosas agentes in scaenam induci (Bergk. ap. Fritzsch. l. s. comment. p. 142, ubi cum dicit 'viros potentes et reipublicae gubernatores' fortasse non falsus est, sed divinat. Mein. H. C. p. 20). statuerunt id ne adiuti quidem litterarum memoria (cf. Aves). ac diversum est Droyseni iudicium, qui (M. Rh. Welckeri et Naekii III 161 sq. IV 27 sq.) in commentatione omni ex parte praeter propositam legis Syracosianae explicationem praeclara mirum esse voluit eius legis consilium, quod magis mireris pro vero et Bergkium habuisse (in Schmidtii annal. II p. 212, frr. Ar. II 949) et alios, cf. Curtii H. G. II 756 adn. 118. etenim lege cautum fuisse Droysenus contendit, ne nomina eorum qui affines fuissent hermocopidarum facinori proferrentur. ac verum est quod eorum nemo in Avibus Amphiarao Monotropo (si fas est dicere) memorari videtur. quid quod memorare illos is tantum potuit qui exules aut mortuos quam vivos cavillari satius duceret? nam homines isti cuncti sive patria pulsi erant sive capitis damnati, cf. Thuc. VI, 60. 66. Andoc. I, 25. 35. exules autem traducere non solebant comici, mortuos non solebant nisi perstringendo. ut de eis fabulis taceam quarum (ut Ranarum) apud inferos locus est deque Eupolidis Demis et similibus, confer Ran. 1156 (Erasinides) Eq. 282 (Pericles, cuius et aliunde memineris) Pac. 47 al. (Cleo) 700 (Cratinus) Thesm. 840. 41 (Hyperbolus Lamachus) 876 (Proteas) Plut. 550 (Thrasybulus) et quae ad Pac. 648:

ταῦτα δ' ἦν ὁ δρῶν

βυρσοπώλης. T. παῦε παῦ' ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, μὴ λέγε

ineptus adnotat scholiasta: *ἀποθανὼν γὰρ ἦν καὶ οὐκ ἦν ἐξὸν τεθνηκότας κωμῳδεῖν.* Solonis id lege oriundum est: Plut. Sol. XXI in. *ἐπαινεῖται δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τὸν τεθνηκότα κακῶς ἀγορεύειν,* et in sqq.:



ζῶντα δὲ κακῶς λέγειν ἐκώλυσε πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων.

denique si cum Droyseno facias, cui tempori adscribes Phrynichi fr. inc. II (p. 602)? in eo enim Teucrus et Dioclides quorum similis erat atque hermocopidarum memoria nec lege lata neque ante legem latam nominari potuerunt. illo igitur explicatu qui contentus sit, cum umbris dimicasse videbitur.

Ad eandem Syracosii legem cum spectare videantur quae extant in Avium arg. II (v. 26 sq. Dübn.), nescio num ad inlustrandam illam multum conferant:

ἐπὶ οὖν τοῦ Δεκελεικοῦ πολέμου πονηρῶν τινων τὰ πράγματα ἐγχειρισθέντων ἐπισφαλὴς γέγονεν ἡ παρ' αὐτῶν κατάστασις. καὶ ἐν μὲν ἄλλοις δράμασι διὰ τῆς κωμῳδικῆς ἀδείας ἤλεγχεν Ἀριστοφάνης τοὺς κακῶς πολιτευομένους, φανερῶς μὲν οὐδαμῶς, οὐ γὰρ ἐπὶ τούτου ἦν ἐκκλησία (*παρρησία* Dübn. p. 478, *ἀκώλυτον* Usener, delet Meinekius. malim *ἐξουσία*), *λεληθότως δέ, ὅσον ἀνῆκεν ἀπὸ κωμῳδίας προσκρούειν.*

verba *τοὺς κακῶς πολιτευομένους*, e quibus conlegerit quispiam eorum qui rem publicam capessiverint inrisionem illo tempore interdictam fuisse, non premenda esse patet. illud enim fieri vix potuit, cum cuivis civium Atticorum rostra paterent qui neque capite ulla ex parte deminutus esset nec deminutione dignum quidquam commisisse videretur. argumentum igitur illud non aliter intellegendum est quam Platonii v. 22 sq. et eius generis plura.

Deinceps videamus num e comoediis illius anni examinandis, quarum servata Avibus gaudemus, maius lucrum fiat. et in Avibus quidem notum est remissiore uti poetam in potentes impetu, a quibus tamen nequaquam abstinet. nam ut de poetis sophistis philosophis taceam, homines in re publica versati permulti perstringuntur: Aristocrates 126, Callias 283. 84, Cleonymus 289. 90. 1475, Nicias 363, Lampo 521. 988, Diitrephes 798. 1440, Clisthenes 831 et grex aliorum quos enumerare longius est quam iucundius. elucet igitur argumenti tantum natura factum esse ut non in ludendis

hominibus omne versaretur. ut memorentur saltem ceterae eius anni fabulae, in Amphiarao Phrynondas nominatur fr. XVII p. 958, in Monotropo Phrynichea Lyceas Teleas Pisandrus Execestides fr. II, Meto III, Nicias IV et ipse legis auctor VIII. Amipsiae Commissatorum nihil aetatem tulit.

At dicat aliquis nominari semper homines permissum fuisse, dum ne ipsi in scaenam producerentur. sed num quis Metonem aut Cinesiam aut quisquis eius generis hominum comoediae ludibrio habetur, civem fuisse arbitretur minus civitatis praesidium merentem suove id minore iure exigentem? apparet lege illa nec vetitum fuisse ne cives nominatim luderentur neque ne personatim producerentur. at tamen queritur poeta ereptam sibi esse potestatem *τοῦ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμει.*

Altius igitur penetrandum est. atque licentiam comoediae non semper intactam viguisse praeter leges testatur causa quam qualemcumque in Aristophanem Cleo egisse traditur. conclamata illa quidem est nec quae hoc loco fusius tractetur. ac plurima profligasse credo Borgkium (Mein. II 931 sq.). neque adsentior Droyseno qui Callistrato Cleonem litem intendisse contendit (Aristoph. vers. I p. 5 sq. ed. II). nam qui praeter suam quam agebat personam aliquid loquebatur, per id ipsum poetae personam induebat, v. Ach. 301 et 377 a diversis pronuntiata. itaque cum in ceteris nunc acquiescatur, de eis quae ad propositum spectare videantur disputabimus, haud profecto nihil inde profligandae quaestioni fructus repetituri.

Ac primum quidem ne scholiastarum commentis, si qua sint, fallamur, ex ipsa Aristophanis fabula accusationis in poetam factae summam eruamus. de qua loco celeberrimo Acharn. 377 sq. nihil dicit nisi mendaciis se a Cleone in iudicio obfusum esse:

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.
εἰσελκύσας γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου

κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν, ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

magis eis iuvamur quae antecedunt. Dicaeopolis enim locuturum se profitetur pro Lacedaemoniis. sed timere se et agricolas qui se et urbem verbis efferri diligant, et senes qui nihil spectent nisi ut suffragiis mordeant. neque oblitum esse se quae a Cleone passus sit eqs. pro Lacedaemoniis igitur cum dicturus sit, civibus et urbi scit se male dicturum, senes autem in iudicio inde se iratos habiturum esse. itaque vetitum aliquid erat, quod si despiceret iudicium metuendum erat. et de re non ficta sed omnibus nota illum loqui, si cetera dubitationem relinquant, docet v. 876

οὐδὲν βλέπουσιν ἄλλο πλὴν ψήφῳ δακεῖν.

confirmant ea vv. 497 sq.

μή μοι φθονήσητ' ἄνδρες οἱ θεώμενοι,
εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν
μέλλω περὶ τῆς πόλεως, τρυγῳδίαν ποιῶν·
τὸ γὰρ δίκαιον οἶδε καὶ τρυγῳδία.
ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μὲν δίκαια δέ.
οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών κτὲ.

neque minus 630 sq.:

διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,
ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνί κτὲ.

quibuscum conferenda sunt quae dicit 515:

ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,
μέμνησθε τοῦθ' ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω·

et in primis 642:

καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται κτὲ.

Quodcumque igitur ipsum crimen fuit — quam quaestionem suo loco expediemus —, in eo accusationis cardo versabatur,

quod praesentibus sociis urbem Aristophanes calumniatus esset. praemittendum hoc videbatur quo firmiore fundamento disputatio niteretur. ad inlustrandam enim litis illius naturam partesque et Cleonis et Aristophanis iuste aestimandas argumenta oportet paullo longius repetamus.

Aristophanes igitur in publico civium peregrinorumque consessu non verebatur patriae maledicere, instituta eius seu leges seu gubernatores vituperare odiumque et iram sociorum excitare. nostro sensu si liceret veterum mores aestimare, flagitium illud censeremus, quod si quis poetae condonet, civi non est condonandum. sed Atheniensium in talibus consuetudinem reique publicae illius temporis condicionem recordemur. satis enim certum est quinto a. Chr. saeculo praeter Spartam ne ullam quidem umquam Graeciae civitatem, nedum Athenas, eo pervenisse ut aut populi aut optimatium imperio contenti patriae saluti omnes studerent, immo Athenis vel per belli aerumnas cum Lacedaemonis fecisse oligarchos. qui cum patriae proditores iure habeantur, ne honestos quidem superbientis popularis imperii inimicos laudandis Lacedaemoniorum institutis incusandisque domesticis abstinuisse scimus. primus illud rerum laconicarum studium Cimo coluit (Plut. Cim. X. XIV. XV. Per. IX), diuturna ille armorum societate omnique voluntate consiliisque quae de re publica habebat Spartanorum amicus, cuius animus multum abhorruit a malis aequalium posterorumque oligarchorum artibus (Thuc. I, 107. Plut. Cim. XVII). atqui ipsius Cimonis auctoritate factum esse coniecimus ut in poetarum certaminibus comoedia haberetur. utut est, Cimonei ingenii vestigia tenuisse comoediam Aristophanis fabulae et in primis ipsa Babylonii luculenter docent. haec enim est hominum externa spectantium quique patriae honore maius aliquid norunt consuetudo ut peregrinorum auribus non prohibeantur quominus ipsorum civitati male dicant.

qua in re consentaneum est Cleonem potissimum Aristophanis adversarium extitisse. iam enim nullum esse credo qui in Cleonis memoria qualis a Thucydide vel potius ab Aristophane tradita est acquiescendum ducat. Thucydidem

enim qui legerit poterit viri magnitudinem cognovisse. cum Aristophane vero inimicitiam paene dixerim praeclarum esse pro Cleone testimonium.

etenim Cleone duce perfecta et expleta sunt, instantibus belli periculis, Periclis in rebus publicis consilia. nimirum illa aetate intellectum est, Spartam inter et Athenas non de principatu tantum sed de rei publicae forma dimicari, de paucorum aut popularium imperiis ubique constituendis. Athenis igitur, ne ceterae civitates eidem rei publicae formae faventes deficerent, firmo strenuoque opus erat populari imperio. id Cleonem intellexisse viaque eum a Pericle munita suo consilio progressum esse praeter cetera oratio docet adversus Mytilenaeos habita (Thuc. III, 37—40. cf. II, 13 *τά τε τῶν ξυμμάχων διὰ χειρὸς ἔχειν*). tunc demum periculosum videbatur nec iam tolerandum, cuius in pace non magnam curam habuerant, laconicarum rerum inter optimates studium. quod cum prorsus necessarium esset quam severissime persequi et opprimere, sanissima ratione sed fortasse vehementius Cleo persecutus est, nisi potius nimiae vehementiae partem sodalibus eius tribuas (cf. Ach. 846 al.). profecto inde potissimum nata est iniqua Cleonis apud posteros memoria. Aristophanem vero sociis praesentibus civitatis instituta reique publicae rectores cavillatum

καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξαντ' ὡς δημοκρατοῦνται

quod Cleo poena immunem esse noluerit nunc nemo erit qui miretur vel indignetur.

Eo autem adducor ut leges illas ad coercendam comoediae licentiam latas omnes credam popularibus deberi. qua in re Cleonis auctoritas quantum valuerit, et causa in Aristophanem acta et certissimum comprobat quod apud scholiastam deprehenditur rei vestigium. ille cum ad Vesp. 1291

εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον

adnotet (Rav. Ven.):

ἐψηφίσατο γὰρ ὁ Κλέων μηκέτι δεῖν κωμῳδίας ἐπὶ τῷ θεάτρῳ εἰσάγεσθαι, ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας (πολίταις B, πολιτείας V) ἔσκωπτον,

hanc sane sinceram esse memoriam nemo contendet: nam legem qua abolerentur comicae actiones nec tulisse Cleo credendus est nec si tulit pertulit. optimae autem notae scholion fuit quod male transscripsit scholiasta, ut ipsa adiecta verba

ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον

abunde docent. nam cum suspicetur fortasse quispiam vetandum visum esse Cleoni ne *εἰς ἄστυ* comoediae agerentur, aut ipsa viri auctoritate aut lege factum certe est ut a magnis saltem Dionysiis nimia comicorum licentia arceretur. nam quod memorare nullum video perquam memorabile est, maximam licentiam in fabulis quae Lenaeorum ludis actae sunt comparere: Ach. Eq. Vesp. Lys. Ran. ipsa autem Acharnenses cum Lenaeis ageretur, proximis de quibus compertum est Dionysiis fabulae quae in scaenam prodierunt argumento omnes erant a rebus publicis alieno: Nubes dico (cf. Droysen. Aristoph. I p. 9), Cratini Lagoenam, Amipsiae Connum.

Haec cum ad inlustrandam universam Cleonis cum poeta simultatem sufficere videantur, ad ipsam causam accuratius tractandam accedamus. quam ita agi oportuit, ut in contione post festos magnorum Dionysiorum dies ad crimina in illis commissa expedienda in theatro quotannis habita populi praeiudicium per probolam Cleo impetraret.

Sed opponet quispiam —; nec sine ratione opponet — non constare contiones illa iam aetate Dionysia secutas esse, immo legem quae festis diebus iniurias fieri vetaret tunc omnino nondum extitisse. nam cum per Demosthenem primum (XXI, 9) et Aeschinem (II, 61) de usu illo certiores fiamus, ipse Demosthenes dicit de Alcibiade XXI, 147:

καίτοι τί τοσοῦτον ἐκεῖνος ὕβρισεν, ἡλίκον οὗτος νῦν ἐξελήλεγκται; Ταυρέαν ἐπάταξε χορηγοῦντα ἐπὶ κόρρης. ἔστω ταῦτα, ἀλλὰ χορηγῶν γε χορηγοῦντα τοῦτ' ἐποίησεν, οὔπω τόνδε τὸν νόμον παραβαίνων. οὐ γὰρ ἔκειτό πω.

iam cum nemo ignoret antiquitus institutum fuisse ut a festis Atheniensium diebus calumniarum omne genus prohiberetur (cf. Plut. Sol. XXI — *καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων*), facile adducimur ut hoc commentum esse oratorem credamus,

qui cum legum post Euclidem denuo compositarum meminerit, Alcibiadis tempore aliam normam valuisse posuerit. cf. eiusdem orationis § 143 in. *λέγεται τοίνυν ποτὲ ἐν τῇ πόλει κατὰ τὴν παλαιὰν ἐκείνην εὐδαιμονίαν Ἀλκιβιάδης γενέσθαι κτέ.*
sed accuratius eadem de re disserit orator § 34:

ἅμα γὰρ τῷ Δημοσθένει καὶ ὁ χορηγὸς ὑβρίζετο, τοῦτο δ' ἐστὶ τῆς πόλεως ὄνομα, καὶ τὸ ταύταις ταῖς ἡμέραις αἷς οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι. χρὴ δέ, ὅταν μὲν τιθῆσθε τοὺς νόμους κτέ.

35. *ἦν ὁ τῆς βλάβης ὑμῖν νόμος πάλαι, ἦν ὁ τῆς αἰκίας, ἦν ὁ τῆς ὕβρεως. εἰ τοίνυν ἀπέχρη τοὺς τοῖς Διονυσίοις τι ποιοῦντας τούτων κατὰ τούτους τοὺς νόμους δίκην διδόναι, οὐδὲν ἂν προσέδει τοῦδε τοῦ νόμου. ἀλλ' οὐκ ἀπέχρη. σημεῖον δέ· ἔθεσθε ἱερὸν νόμον αὐτῷ τῷ θεῷ περὶ τῆς ἱερομηνίας. εἴ τις οὖν κἀκείνοις τοῖς προϋπάρχουσι νόμοις καὶ τούτῳ τῷ μετ' ἐκείνους τεθέντι καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς ἔστ' ἔνοχος, ὁ τοιοῦτος πότερα μὴ δῷ διὰ τοῦτο δίκην ἢ μείζω δοίη δικαίως; ἐγὼ μὲν οἶμαι μείζω.*

quibus accedit § 175: *πρῶτον μὲν τοίνυν — περὶ τὰ μυστήρια ἀδικεῖν Εὐάνδρου κατεχειροτόνησεν ὁ δῆμος τοῦ Θεσπιέως, προβαλομένου αὐτὸν Μενίππου, Καρός τινος ἀνθρώπου. ἔστι δ' ὁ αὐτὸς νόμος τῷδε τῷ περὶ τῶν Διονυσίων ὁ περὶ τῶν μυστηρίων, κἀκεῖνος ὕστερος τοῦδε ἐτέθη.* cf. 177.

has leges et ex exemplis patet et ex omni argumentatione ad iniurias tantum alicui inlatas spectasse et quaedam de persequendis criminibus addidisse. ipsam igitur rem licet a maioribus acceptam esse sciamus nihilque cogat ut de contione quoque in Dionysi theatro habenda legem istam valuisse putemus, comprobandum tamen est in usu illam ante Demosthenis tempora fuisse.

atque primum quidem Thucydides (IV, 118) docet quarto decimo Elaphebolionis die ecclesiam Athenis convocatam fuisse:

ἔδοξε τῷ δήμῳ· Ἀκαμαντὶς ἐπρυτάνευεν κτέ. καὶ

ὡμολόγησαν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἐκεχειρίαν εἶναι ἐνιαυτόν, ἄρχειν δὲ τήνδε τὴν ἡμέραν, τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνός.
cf. Usener symb. phil. Bonn. p. 584 adn. 6. certiora vero edocemur scholio Ach. 378 in quo haec leguntur:

— *καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα.*

quae cum primo obtutu futilia videantur — nulla enim est *γραφὴ ἀδικίας* — tam eximii pretii sunt ut unum quodque verbum premere liceat. quod et infra pluribus demonstrabitur et luculenter ipsa vocula *ἀδικία* comprobatur. nimirum hoc sollemne erat eius criminis nomen quod per festos dies commissum in contione eos secuta persequendum erat[1]. cf. Dem. XXI, 1 *καὶ προὐβαλόμην ἀδικεῖν τουτονὶ περὶ τὴν ἑορτήν* idemque eadem de re § 2. 9. 11. 19. 20. 23. 26. 27. 28. 30. al. 175. 178. 180. 206. 214. neque inconsulto in Acharnensibus Aristophanes totiens *τὸ δίκαιον* in ore habet: 500. 501 *ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μὲν δίκαια δέ*, 645 *ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια*, 655 *ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια*, 661 *τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον ξύμμαχον ἔσται.* in scholio igitur illo ipsam criminis memoriam adgnoscimus Cleonemque intellegimus in contione illa (*εἰς τοὺς πολίτας* schol.) Aristophanem

[1] Vetustissima criminis in scaena commissi memoria de Phrynicho tragico ab Herodoto traditur VI 21: *Ἀθηναῖοι μὲν γὰρ δῆλον ἐποίησαν ὑπεραχθεσθέντες τῇ Μιλήτου ἁλώσι τῇ τε ἄλλῃ πολλαχῇ καὶ δὴ καὶ ποιήσαντι Φρυνίχῳ δρᾶμα Μιλήτου ἅλωσιν καὶ διδάξαντι ἐς δάκρυά τε ἔπεσε τὸ θέητρον καὶ ἐζημίωσάν μιν ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κακὰ χιλίῃσι δραχμῇσι καὶ ἐπέταξαν μηκέτι μηδένα χρᾶσθαι τούτῳ τῷ δράματι.*

Posterioris temporis quae commemorem duo habeo: Hegemonis causam narratam ab Athenaeo IX p. 407 [b] quam ex scaenica actione ortam esse suspicatur Boeckh. oec. Ath. I 532, et quod etiam minore fide dignum est in Busiridis Isocr. hypoth. de Socrate mortuo et Palamede Euripidea commentum (scholiorum videlicet in Palam. frustulum).

accusasse. populus autem ei obsecutus esse, Cleo deinde poetae per *εἰςαγγελίαν* apud senatum litem intendisse videtur, quandoquidem Aristophanes dicit (Ach. 379)

εἰσελκύσας[1] *γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον*
διέβαλλε κτἑ.

in senatu autem poeta post summum discrimen (381 *ὥστ' ὀλίγου πάνυ ἀπωλόμην*) poena solutus est[2].

sed certiore iudicio confirmandum est quale fuerit crimen quod poetae Cleo obverterit. atque ex Acharnensibus quidem summam vidimus accusationis in eo versatam esse quod populo sociis praesentibus poeta male dixisset — quibus addit aliquid scholion illud Ach. 378 quod intelleximus optimae notae memoriam servasse:

ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς[3] *ταῦτα πεποιηκότα.*

[1] *εἰσελκύσας* non potest ad *ἀπαγωγὴν* similemve accusationis formam pertinere. suspiceris potius Cleonem vi manuque in iudicium poetam arcessivisse.

[2] De *ξενίας* crimine quod Cleo Aristophani obiecisse traditur nunc taceo. de Vesp. 1284 sq. et quae ad eundem locum pertinent v. Bergk l. s. p. 987. tertia vero haec quam Equitibus acta Aristophani litem intendit num item per probolam facta sit ignoramus — nihil enim de contione post Lenaea quotannis convocanda compertum est. e Vesparum autem v. 1284 *ὡς κατεδιηλλάγην* et 1290 *ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα* consequi videtur inter Cleonem reumque poetam rem transactam esse, antequam in iudicio ageretur. cf. schol. Vesp. 1284 — *καὶ μὴ εἰσαγωγῆς ἀλλὰ ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται.*

[3] in memoriam hoc loco revocandum videtur divinam fuisse populi personam cuius imaginum a pictoribus sculptoribusve confectarum frequens extat memoria (cf. Brunn. hist. artif. I p. 387. 556. II p. 99. 154. 183). publice Athenis populi nomen deis additum esse praeter ceteros titulus testatur ap. Rangab. ant. hell. I p. 318 (*ΗΡΑΚΛΗΣ ΑΘΗΝΑ ΔΗΜΟΣ*). populo Atheniensium Cherronesitae aram condunt Dem. XVIII, 92: *καὶ Χάριτος βωμὸν ἱδρύονται καὶ Δήμου Ἀθηναίων.* quod non dubitamus quin saepenumero factum sit. cf. Welckeri deor. graec. doctr. II p. 224. 25. populus et senatus repraesentati videntur in ectypo quod invenies inter Schoenii ectypa graeca tab. XVI, 75 p. 42. certiorem autem ipsius senatus effigiem habemus ibid. t. XXII, 94 p. 48, ubi secundum Athenam staturae

itaque populo et senatui Aristophanem iniurias intulisse Cleo censebat. id quid significet in propatulo est: nimirum senatus populusque leges constituebant et magistratus creabant et sanciebant. illos igitur cum coniunctos offendisse comicus dicatur, quid subaudiendum sit apertissimum est nec tacetur a scholiasta. solida enim haec est ad Ach. 378 adnotatio:

διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν] τοὺς Βαβυλωνίους λέγει. τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν, ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν. ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα παρόντων τῶν ξένων (εἶπε γὰρ δρᾶμα τοὺς Βαβυλωνίους τῇ Διονυσίων ἑορτῇ, ἥτις ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται ἐν ᾧ ἔφερον τοὺς φόρους οἱ σύμμαχοι), καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα. καὶ ξενίας αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν (τὰ δὲ Λήναια ἐν τῷ μετοπώρῳ ἤγετο ἐν οἷς οὐ παρῆσαν οἱ ξένοι, ὅτε τὸ δρᾶμα τοῦτο οἱ Ἀχαρνεῖς ἐδιδάσκετο).

cf. schol. 503 et vit. Arist. XI, 28 p. XXVII Duebn.: *καὶ ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε τῶν Ἀθηναίων τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς παρόντων ξένων.*

haec neque ex ipsa fabula sumpta neque ea sunt quae nebulo comminiscatur. immo certam ea certae memoriae speciem prae se ferre certissime efficiunt nominatae *ἀρχαὶ κληρωταὶ καὶ χειροτονηταί.* namque aliae quoque extabant, sed eae non publice constitutae sed a pagorum singulorum sive tribuum incolis electae (*αἱρεταί*), de quibus certiores fimus per Aesch. III, 29: *ἔστι γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς εἴδη τρία, ὧν ἓν μὲν καὶ φανερώτατον οἱ κληρωτοὶ καὶ οἱ*

non minoris matrona locum habet significata inscripto nomine *ΒΟΛΗ*. cuius generis plura congesta invenies a Schoenio p. 49.

ita cum sancti aliquid populi nomini inesset, tamen populum dei ipsius persona indutum in scaenam produci minime aegre ferebant Athenienses, qua de re dicetur infra p. 37.

χειροτονητοὶ ἄρχοντες κτέ. 30 ἐπειδὰν δ' ἀφέλῃ τις τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου κεχειροτονημένους καὶ τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας, καταλείπονται οὓς αἱ φυλαὶ καὶ αἱ τριττύες καὶ οἱ δῆμοι ἐξ αὑτῶν αἱροῦνται τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν.

ideo cum a scholiasta diserte nuncupentur οἱ κληρωτοὶ καὶ χειροτονητοὶ ἄρχοντες, apparet ceteros consulto relictos esse et de eis tantum agi quorum rem suam ipsius esse populus existimare potuerit. cf. Dem. XXI, 32 — ὅτι τοὺς νόμους ἤδη ὁ τοῦτο ποιῶν προσυβρίζει καὶ τὸν ὑμέτερον κοινὸν στέφανον καὶ τὸ τῆς πόλεως ὄνομα. ὁ γὰρ θεσμοθέτης οὐδενὸς ἀνθρώπων ἔστ' ὄνομα, ἀλλὰ τῆς πόλεως. ib. 34 τοῦτο δ' ἐστὶ τῆς πόλεως et 127 — οὐχ ὡς ὑπὲρ ἐμοῦ ὄντος μόνον τοῦ λόγου τὴν ὀργὴν ἔχειν, ἀλλ' ὡς ἐν ταὐτῷ τῶν νόμων, τοῦ θεοῦ, τῆς πόλεως, ὁμοῦ πάντων ἠδικημένων κτέ.

itaque cum sincerum apud scholiastam causae argumentum servatum sit, accusatus est Aristophanes quod magistratibus a populo constitutis praesente sociorum turba inludere non veritus sit. quae quam egregie conveniant cum eis quae in Acharnensibus leguntur:

ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω

et

ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,

iam non oportet pluribus demonstremus. Cleo vero quam vehementer illud ipsum coram populo demonstraverit fidem faciunt quae de viri acrimonia scimus.

Sed cum de crimine constat quod Aristophani obiectum fuerit, non constat utrum quod poeta commiserit ipsum sua lege vetitum fuerit an communi feriarum lege qua linguis omnibus favendum erat. quod cum possit satis certa coniectura expediri, certioribus non destituimur testimoniis.

in libello enim quem de re publica Atheniensium oligarchorum aliquis atticorum et acri praeditus et acerbo ingenio belli Peloponnesiaci tempore [1] et florente adhuc populari Athenarum imperio conscripsit, haec leguntur II 18:

[1] Effecerunt id viri docti. cf. Roscher de Thuc. I 588 sq. qui

κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς· ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν εἴ τίς τινα βούλεται, εὖ εἰδότες ὅτι οὐχὶ τοῦ δήμου ἐστὶν οὐδὲ τοῦ πλήθους ὁ κωμῳδούμενος ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἀλλ' ἢ πλούσιος ἢ γενναῖος ἢ δυνάμενος, ὀλίγοι δέ τινες τῶν πενήτων καὶ τῶν δημοτικῶν κωμῳδοῦνται καὶ οὐδ' οὗτοι, ἐὰν μὴ διὰ πολυπραγμοσύνην καὶ διὰ τὸ ζητεῖν πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου. ὥστε οὐδὲ τοὺς τοιούτους ἄχθονται κωμῳδουμένους.

memoretur primum οὐκ ἐῶσι sollemniter significare 'non permittunt' i. e. lege prohibent. quid vero significat τὸν δῆμον κωμῳδεῖν οὐκ ἐῶσι? id non de ipsa populi persona dictum esse non est qui neget. quam cum ineptum fuerit scaena movere, tum Equites Aristophanea et Platonis fr. inc. V obstant (II 682):

οἱ δῆμοι διὰ τρυφὴν καὶ ὕβριν ἢ βελτιόνων ἀπορίᾳ δημαγωγῶν χρῶνται τοῖς ἐπιτυχοῦσι, βδελυττόμενοι καὶ καταφρονοῦντες, εἶτα χαίρουσι τοιούτων εἰς αὑτοὺς λεγομένων οἷα Πλάτων ὁ κωμικὸς τὸν δῆμον αὐτὸν λέγοντα ποιεῖ

λαβοῦ λαβοῦ τῆς χειρὸς ὡς τάχιστά μου.
μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν Ἀγύρριον κτέ.

nam iocos licet singulos etiam legis praesidio munitis obicere ausi sint comici, personam quam ludi vetitum esset ut inducerent ne choragi quidem concedebant. populum igitur inludi vetabant, ἰδίᾳ permittebant. haec non dubito quin premenda sint, ut ἰδίᾳ κωμῳδεῖν idem significet quod ἰδιώτας ἀνθρώπους, eis igitur opponi non possint nisi qui populi auctoritatem teneant, ut si eis male dicatur populo male dicatur. ac certum est libelli scriptorem non ipsa legis verba sed ea attulisse quae proposito suo apta viderentur. vidimus autem quae fuerint convicia quibus ipse affectus esse populus censeretur.

convenit cum eis quae iam cognovimus quod ab archonte

annis 427—25 definiendis fallitur, Herbst de Mytil. ab Ath. def. p. 18 alii. de auctore commenti sunt inutilia Helbigius M. Rh. XVI p. 511 sq. Roscher Thuc. p. 252 alii, cf. Boeckh. oec. Ath. I 433. ego scriptum esse libellum credo ante Hyperboli exilium ol. 90³/₄ (Cobet Plat. rell. p. 143).

comicorum contumeliae lege prohibitae fuisse traduntur. nam scholiasta Nub. 31 quamvis pro loci ratione ineptus bonam tamen memoriam hance tradit:

Ἀμυνίας τῶν περὶ ἵππους ἐπταικότων. μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν τοῖς Σφηξί. νῦν δὲ οὐκ ἐκείνου καθάψασθαι βουλόμενος μνημονεύει αὐτοῦ ἀλλὰ τὸν τότε ἄρχοντα διασύρειν προαιρούμενος τῇ ἐκείνου προσηγορίᾳ ἐχρήσατο. τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμεινίας τοῦ Προνάπου υἱός· ἐπεὶ οὖν τοὺς Ἀθηναίους πρότερον κωμῳδεῖν τὸν ἄρχοντα ὁ νόμος ἐκώλυεν, ἀφαιρέσει μὲν τοῦ ι (vel potius *ει*), *προστεθέντος δὲ τοῦ υ παρατρέψας ὀλίγον Ἀμυνίαν αὐτὸν εἶπεν ἀντὶ τοῦ Ἀμεινίαν* (*φανερῶς* quod additur in Flor. Θ interpolatum habeo v. Dübn. p. 420).

eiusdem legis memoria subauditur in scholio Ran. 501

Ἀπολλώνιος δὲ οὐ κακῶς ὑπονενοῆσθαί φησι τὸ κωμῳδεῖσθαί τινα. ἴσως δὲ ὅτι ἦρχε, διὰ τοῦτο οὐκ ὠνομάσθη (*ὠνομάσθαι* Dobraeus Adv. II 170 fortasse recte) *ἢ ὀλίγον πρότερον εἰρῆσθαι* („forsan legendum *ἢ διὰ τὸ ὀλ.*" Dobr. l. s., *ἢ ὅτι ὀλ. πρ. εἴρηται* Usener)*· Καλλίας γὰρ ὁ Ἱππονίκου ἐν Μελίτῃ ᾤκει κτέ.*

dubitabant de ea lege qui Atticorum instituta callebant, cf. Boeckhius oec. Ath. I 437 adn., ac merito dubitabant. nam quae tandem ratio fuerit qua archon quem eponymon vocabant prae ceteris privilegii beneficio donaretur quo comicorum metu liberaretur? habebant enim sua privilegia magistratus, nec summi tantum sed quicumque rei publicae coronam acceperat. non poterant accusari nisi publice per *προβολήν*. inprimis autem verbis aut manibus magistratum offendi lex vetabat gravissimisque poenis animadvertebat, quod veterum testatur praeter ceteros Demosthenes XXI, 32:

ἴστε δήπου τοῦθ' ὅτι τῶν θεσμοθετῶν τούτων οὐδενὶ θεσμοθέτης ἔστ' ὄνομα, ἀλλ' ὁτιδήποθ' ἑκάστῳ. ἂν μὲν τοίνυν ἰδιώτην ὄντα τινὰ αὐτῶν ὑβρίσῃ τις ἢ κακῶς εἴπῃ, γραφὴν ὕβρεως καὶ δίκην κακηγορίας ἰδίαν φεύξεται, ἐὰν δὲ θεσμοθέτην, ἄτιμος ἔσται καθάπαξ κτέ.

33. *καὶ πάλιν γε τὸν ἄρχοντα, ταὐτὸ τοῦτο, ἐὰν μὲν ἐστεφανωμένον πατάξῃς ἢ κακῶς εἴπῃς, ἄτιμος, ἐὰν δὲ ἰδιώτην, ἰδίᾳ ὑπόδικος. καὶ οὐ μόνον περὶ τούτων οὕτω ταῦτ' ἔχει, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν ἢ στεφανηφορίαν ἤ τινα τιμὴν δῷ κτέ.*

34. — *δημοσίας ὀργῆς καὶ τιμωρίας δίκαιός ἐστι τυγχάνειν. ἅμα γὰρ τῷ Δημοσθένει καὶ ὁ χορηγὸς ὑβρίζετο, τοῦτο δ' ἐστὶ τῆς πόλεως ὄνομα.*

itaque cum lex vetaret archontem perstringi (schol. Nub. 31 Ran. 501), eadem unum quemque vetabat qui a populo corona data magistratus publice constitutus esset, i. e. *κληρωτοὺς καὶ χειροτονητοὺς ἄρχοντας* (schol. Ach. 378). talem legem extitisse effecisse nobis videmur. quae quando primum lata sit vix poterit indagari. plebiscita autem de quibus traditur, redintegrandae legi, violatae totiens ut obsoluisse videretur, consuluisse conicimus. quorum praeter Syracosianum ullum tempori certo tribui posse valde dubito. de Morychideo psephismate v. p. 21.

Atque ut variorum locorum[1] summam comprehendamus, lege illa cautum erat ne nomen magistratus aperte et contumeliose nominaretur; occulte, quod *αἰνιγματωδῶς* vocant, iniudicare semper licebat quodcumque voluerunt. verum laudari a poetis honos erat publicus, nec flagitium sine convicio nuncupari. eodem sensu *τὸ κωμῳδεῖν* grammatici acceperunt: *ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν· ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχάς.* quas ignominiosas partes agentes in scaenam producere nón licuisse apparet.

Nunc si efficere conamur, num quid ex ipsis comoediis ad rem firmandam bonae frugis percipiatur, ante omnia te-

[1] quibus addere iuvat Isocratis locum, veteris comoediae ut solet (cf. XII, 39) consuetudinem respicientis VIII, 14:

ἐγὼ δ' οἶδα μὲν ὅτι πρόσαντές ἐστιν ἐναντιοῦσθαι ταῖς ὑμετέραις διανοίαις καὶ ὅτι δημοκρατίας οὔσης οὐκ ἔστι παρρησία πλὴν ἐνθάδε μὲν τοῖς ἀφρονεστάτοις (cf. §. 13) *καὶ μηδὲν ὑμῶν φροντίζουσιν, ἐν δὲ τῷ θεάτρῳ τοῖς κωμῳδοδιδασκάλοις — ὃ καὶ πάντων ἐστὶ δεινότατον ὅτι τοῖς μὲν ἐκφέρουσιν εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας τὰ τῆς πόλεως ἁμαρτήματα τοσαύτην ἔχετε χάριν ὅσην οὐδὲ τοῖς εὖ ποιοῦσι, πρὸς δὲ τοὺς ἐπιπλήττοντας καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς οὕτως διακεῖσθε δυσκόλως ὥσπερ πρὸς τοὺς κακόν τι τὴν πόλιν ἐργαζομένους.*

nenda duo sunt: primum saepe legem illam oblivione obrutam fuisse, deinde etiam vigente lege minime abhorruisse a comicorum animis ut facili celerique ioco ea accurate observanda supersederent. nec videtur Atheniensium quisquam in talibus offendisse, immo communi gaudio et ira restinguebatur et tristitia. sic sponte si quid severius constitutum esset tolli coeptum nec violari lex videbatur nisi magna et acerba contumeliarum copia. sic factum etiam est ut Alexandrini, a quorum reliquiis tractandis disputationem incohavimus, ex ipsius comoediis comoediae historiam refingentes de eiusmodi legibus commenticia pleraque memoriae traderent.

Inspicienda igitur una est quam vigente lege *περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί* actam esse scimus, Aves. perpaucos illius anni (ol. 91, 2) magistratus novimus, praeter Chabriam archontem duces Alcibiadem illo tempore iam damnatum, Niciam, Lamachum, qui si iam tum ceciderat, Athenis mors nondum innotuit (Thuc. VI, 101). nihil autem offensionis in eo inest quod v. 363 modesta mentio Niciae et quasi honorifica invenitur:

ὦ σοφώτατ', εὖ γὰρ ηὗρες τοῦτο καὶ στρατηγικῶς.
ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς,

cf. Phryn. Monotr. fr. IV.

nec magis offendit quod v. 650 ad eius nomen alluditur:

οὐδὲ μελλονικιᾶν.

eiusdem generis sunt quae de Diitrephe 798 sq.:

ὡς Διιτρέφης γε πυτιναῖα μόνον ἔχων πτερὰ
ᾑρέθη φύλαρχος, εἶθ' ἵππαρχος, εἶτ' ἐξ οὐδενὸς
μεγάλα πράττει κἀστὶ νυνὶ ξουθὸς ἱππαλεκτρυών.

et 1440 dicuntur, siquidem Diitrephes in magistratuum numero recensendus est. ex Aristophane enim nihil conligas nisi praefectum eum fuisse equitum et tunc magnam eius esse inter iuvenes nobiles auctoritatem. scimus autem sequenti anno ei Thracum auxilia in patriam reducenda tradita esse Thuc. VII, 29. praeterea eadem aestate (414) compertum est Atheniensium duces fuisse Pythodorum Laespodiam Demaratum (Thuc. VI, 105), sed XCI olympiadis utrum secundo

an tertio anno ignoramus. eorum Laespodias v. 1569 in transcursu nominatur:

τί ὦ κακόδαιμον; Λαισποδίας εἶ τὴν φύσιν;

ad Aristocratem versibus 125. 26 alluditur:

Επ. ἀριστοκρατεῖσθαι δῆλος εἶ ζητῶν.
Εὐ. ἐγώ;
ἥκιστα· καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι.

Niciae paci, si idem ille est, Aristocratem subscripsisse Thucydides tradit V, 24. Scelliae autem filius quantum apud optimates valuerit ipse Thucydides docet VIII, 89: *ἔχοντες ἡγεμόνας τῶν πάνυ στρατηγῶν τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ καὶ ἐν ἀρχαῖς ὄντων, οἷον Θηραμένην τὸν Ἅγνωνος καὶ Ἀριστοκράτην τὸν Σκελλίου καὶ ἄλλους.* dignus igitur erat quem comoedia aggrederetur. permulti restant quos aut lenius tangit aut acerbius poeta, nullus quem illo tempore publico munere functum esse aut sciamus aut coniciamus. nec fides habenda est scholiastae ad v. 513

ὃ δ' ἄρ' εἱστήκει τὸν Λυσικράτη τηρῶν ὅ,τι δωροδοκοίη

adnotanti: *οὗτος δὲ στρατηγὸς ἐγένετο Ἀθηναίων κτέ.*

Minor est virorum numerus eorum qui in Acharnensibus perstringuntur, praeter poetas musicos similes hice: Cleo v. 6. 300. 377. 502. 689 qui illo tempore imperium nondum obtinuerat, Cleonymus 88. 844, Clisthenes 118, Strato 122, Marpsias 702, Cephisodemus 705, Euathlus 710, Alcibiades 716 et Hyperbolus 846 nullo tunc quantum scimus munere functi, Ctesias 839, Prepis 843, Pauso 854, Morychus 887, Ctesipho 1002, Antimachus 1150. sed quantopere sua natura ab Avibus comoedia distet inutile est memorare et praeter cetera e Lamachi persona elucet, quem tamen illo anno ipsum ducem non fuisse fidem faciunt v. 1073:

ἰέναι σ' ἐκέλευον οἱ στρατηγοὶ τήμερον

et 1078:

ἰὼ στρατηγοὶ πλεῖονες ἢ βελτίονες (Bentl. *πλέονες*, codd. vitiose *πλείονες* cf. Reisigii coniect. p. 42 sq.)

Iam Equites inspiciamus ol. 88, 4 actam. ne virorum in ea traductorum turbam moremur, honorifice memorantur Simo et Panaetius hipparchi v. 242. 43:



ὦ Σίμων,
ὦ Παναίτι' οὐκ ἐλᾶτε πρὸς τὸ δεξιὸν κέρας;

et Nicias 358:

λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω.

de Hyperbolo non aliter iudicandum est quam in Acharnensibus nec prohibet schol. 1363 (ἐκ τοῦ λάρυγγος ἐκκρεμάσας Ὑπέρβολον): φαίνεται δὲ ὁ Ὑπέρβολος ἤδη εἰσβὰς εἰς τὴν πολιτείαν. cf. 1304

ἄνδρα μοχθηρὸν πολίτην ὀξίνην Ὑπέρβολον.

Cleo autem quamvis per totam comoediam male tractatus cur non ipse producatur et fere nusquam nominetur (nominatur autem 973 sq.

ἥδιστον φάος ἡμέρας
ἔσται τοῖσι παροῦσι καὶ
τοῖσιν εἰσαφικνουμένοις,
ἢν Κλέων ἀπόληται),

non oportet pluribus exponatur.

Simile credo Babyloniorum argumentum fuisse ol. 88, 2 ἐν ἄστει actae. nam e fr. II p. 972 Hesych. v. Σαμίων ὁ δῆμος· φησί τις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει τοὺς ἐκ τοῦ μυλῶνος ἰδὼν Βαβυλωνίους·

Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν· ὡς πολυγράμματος

apparet id agi ut ambulantes e pistrino conspiciantur et notas frontibus inustas ostendentes, tamquam Babylonii, socii Atheniensium. spectat huc fr. I

ὦ Ζεῦ τὸ χρῆμα τῆς νεολαίας ὡς καλόν

et VII

ἤ που κατὰ στοίχους κεκράξονταί τι βαρβαριστί.

videtur enim fuisse aliquis qui cum in socios multum potestatis haberet eos quasi servos suos induceret (Cleo). quod mirifice convenit cum eis quae aliunde de fabula comperta sunt.

De sequentis anni comoediis satis supra locuti sumus. in Vespis et in Pace, cum mentiones singulas non moremur, aperta non inest magistratuum irrisio. Cleoni, siquidem ol. 89, 2 imperium gerebat, ut proprio inimico non pepercit. inter Pacem et Lysistratam cum una Aves intercedat, ne e ceterorum quidem comicorum fragmentis multa lucramur.

rarius enim annorum numeri certa ratione indagari possunt.

De Eupolide pauca adnotanda videntur. Autolyci secundae olymp. XCII, 2 actae v. fr. VII p. 442 (cf. Meinekii hist. cr. p. 118)

ἤδη γὰρ Ἀρίσταρχον στρατηγοῦντ' ἄχθομαι

cf. fr. XI. XIII. XVII (XII videtur de Leogora dictum esse). Βάπται quo anno acta sit non satis demonstravit Meinekius I p. 125. idem Δήμους non post ol. XCI, 1 actam esse effecit II p. 455, cuius praeter cetera grave est fr. XIII:

καὶ μηκέτ', ὦναξ Μιλτιάδη καὶ Περίκλεες,
ἐάσατ' ἄρχειν μειράκια κινούμενα,
ἐν τοῖς σφυροῖς ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν.

et XV, in primis v. 7. 8:

νυνὶ δ', ὅπου τύχοιμεν
στρατευόμεσθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς.

cf. fr. XX et Πόλ. fr. VII:

οὓς δ' οὐκ ἂν εἵλεσθ' οὐδ' ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
νυνὶ στρατηγοὺς ἔχομεν κτέ.

ut in Βάπταις etiam in Κόλαξι Alcibiadem ipsum inductum fuisse conligas e fr. XVIII.

Addantur occasione data quaedam e posterioribus Cratini comoediis, quae cum forsitan huc spectent silentio praeterire nolim, quamvis incerta sint pro reliquiarum tenuitate.

Legum fr. XII p. 92 apud Hesychium:

Λυκαμβὶς ἀρχή· ὁ Κρατῖνος ἐν Νόμοις, τὸν πολέμαρχον δηλῶν, πρὸς ὃν ἀπεγράφοντο τὰς τοῦ ἀπροστασίου δίκας κτέ.

de polemarcho intellegendum videtur multis contumeliis vexato. alia taceo.

ad fr. inc. LIII p. 195:

ἄρχων [γάρ] εἰμι τῶν Ἀθηναίων ἐγώ

Meinekius adnotat: 'an forte haec ante illam legem de archonte in scaenam introducendo scripta sunt'? sed nihil haec probare sentiet qui Vesp. 518 Philocleonem dicere meminerit:

παῦε δουλείαν λέγων,
ὅστις ἄρχω τῶν ἁπάντων.

cf. fr. anon. CCCIII Mein. IV 674 a Bergkio comment. p. 11 Cratino tributum, et Curtii H. G. II p. 341.



Ex Lysistrata qui illius modi aliquid elicere vellet abuteretur fabula ad cognoscendum rei publicae statum una omnium fructuosissima, sed cuius licentia, ut Thesmophoriazusarum, temporum magis quam legum angustiis coerceretur. memoretur tantum quod probulus in scaenam producitur non certi cuiusdam persona indutus. in Ranis cum frenis omnibus soluta videatur comoedia — cf. 407. 8:

ὥστ' ἀζημίους
παίζειν τε καὶ χορεύειν —,

nolo scholiastae ad v. 501 verbis insistere supra p. 38 adlatis, quibuscum conferendus v. 428 sq., nec credo Calliam Hipponici filium illius anni archontem fuisse.

Nolui hoc loco totum veteris comoediae campum percurrere. verebar inde ne falsa conligerentur. ea enim est in his rebus quaerendi via, ut quam maxime arduum sit iudicium nec ut possit umquam e silentio fieri. legum igitur naturam si ducibus indagare studueris eis qui ipsis observandis quantum possent supersederent, nec legibus nec poetis satisfecisse videbere.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum a. d. VI. Id. Iul. a. h. s. LI Regenwaldae oppidulo Pomerano matre Bertha Ludovico patre nunc superstite utroque. fidei addictus sum evangelicae. mox Bonnam cum parentibus profectus litterarumque elementis imbutus gymnasium adii Bonnense quod etiamtum Schopenus regebat, nunc Kleini auspiciis floret. auctumno a. LXVIII Gottingam petivi almam litterarum sedem, ubi belli initio militiam capessivi annique insecuti partem ibidem partem apud Francogallos in armis degi. deinde Bonnam redux eximia Buecheleri Heimsoethi Useneri benevolentia factumst ut in seminarium philologorum adsciscerer, cuius per tria semestria sodalis fui ordinarius, quarto senior sum. docuerunt me Gottingae Benfey Benndorf Hirschfeld de Leutsch Lotze Sauppe Wachsmuth, Bonnae Bergk Bernays Buecheler Hiller Kekulé Reusch Schaefer de Sybel Usener. Schaeferi autem et Sybeli humanitati debeo quod seminarii historici disciplina per bis sex menses ut sodalis ordinarius institutus sum. praeterea exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt Benfey sanscriticis, Buecheler criticis et epigraphicis, Hiller philologicis, Kekulé archaeologicis, historicis Wachsmuth. quos viros omnes optime de me meritos esse profiteor. Wachsmuthio autem, Buechelero et Usenero dignas gratias cum neque huius loci nec fas sit agere, habere me fore spero ut aliquando luculentius ostendam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Octaviam praetextatam sub Senecae nomine antiquitus traditam esse docet Vincentius Bellov. spec. hist. IX, 114 ed. Koberg.

II.

Pacuvi v. 127 Ribb. (Dulor. fr. VII, 3) non cohaeret cum 125. 26, scribendum est:

o e r e m i n e plectas fandi mi prolixitudinem.

III.

Dioclides viginti circulos quinis denis viris constantes, trecenos igitur viros, computasse se simulavit. legendum enim est Andoc. I 38:

ὁρᾶν δὲ ἀνθρώπους τὸν μὲν ἀριθμὸν μάλιστα τ ρ ι α-κ ο σ ί ο υ ς, ἑστάναι δὲ κύκλῳ ἀνὰ π ε ν τ ε κ α ί δ ε κ α ἄνδρας, κ ύ κ λ ο υ ς δ ὲ ε ἶ ν α ι ε ἴ κ ο σ ι.

IV.

Quem Ulixem vocant in vase Pisticciano (Bullet. Napolet. I t. XIII cf. Monum. dell' Instit. IV t. XIX) Aiax est. interpolarunt enim editores Tiresiae caput.

V.

Aristophanes Acharn. 920 sq. iocose imitatur Aeschyli Orithyiam. vide librum de sublim. III 1 p. 12 Iahn.

VI.

Ar. Vesp. 162 sq. interpolatione remota evadunt haece:

Φ. ἴθ' ἀντιβολῶ σ' ἔκφρες με μὴ διαρραγῶ.
Ξ. μὰ τὸν Ποσειδῶ οὐδέποτέ γ'.
Φ. οἴμοι δείλαιος
πῶς ἄν σ' ἀποκτείναιμι;

cf. 368 sq.

VII.

Vesp. 342 Bdelycleo a senibus audit *ὁ δ η μ ο λ ο χ ο κ λ έ ω ν.*

VIII.

Explicatur *ὁ Π ρ ί ω ν* Ar. Ach. 36 per fr. com. anon. 156 (IV p. 643 Mein.), *ὁ Κ α ρ δ ο π ί ω ν* Vesp. 1178 per Nub. 670 sq. 1248 sq. 1444.

IX.

Inter libros Terentianos integriora extant Calliopianae recensionis exemplaria Victorianus et Decurtatus, retractata Parisinus Ambrosianus Vaticanus similes picturis ornati antiquissimo libro oriundis. ordinem fabularum libri picti ut Bembinus varronianum, Victorianus alphabeticum secuntur.

X.

Non dubitabant veteres de Terentio in Graecia mortuo. Volcatius enim dixit (vit. Terent. 4):

iter hinc in A c h a i a m fecit.

quaerenti autem plura quam volgo feruntur in ista vita obvia erunt Volcatiana.

XI.

Ter. Hautont. 99 sq. legendum est:

ubi rem rescivi, coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
tractare, s e d v i u t v i a p e r v o l g a t a s t patrum.

XII.

Plauti Trucul. IV 2, 1 Sp. legendum est:

lepide ecficiam meum e g o officium: vide intus modo
ut tu tuum item ecficias.

XIII.

Sophoclis Antig. 211 sq. sic corrigitur:

σοὶ τ α ῦ τ α ῥ έ ζ ε ι ν, παῖ Μενοικέως Κρέον,
τὸν τῇδε δύσνουν καὶ τὸν εὐμενῆ πόλει,
νόμῳ δὲ χρῆσθαι παντί που πάρεστί σοι.

extrema medelam expectant (codd. *πού τ' ἔνεστί σοι*).

XIV.

Ἑταιρεῖαι quas vocabant oligarchorum propriae erant Athenis, ubi primum extiterunt Cleone rei publicae guberna-

tore. nulla enim est vocis *ἑταιρεία* apud scriptores qui post bellum peloponnesiacum fuere auctoritas.

XV.

Nemo Aristonicum spurium Eumenis filium citharoedo natum esse dixit. nam Plut. Flamin. XXI: *Ἀριστόνικος ὁ τοῦ κιθαρῳδοῦ διὰ τὴν Εὐμένους δόξαν ἐμπλήσας ἅπασαν ἀποστάσεων καὶ πολέμων τὴν Ἀσίαν* corrigendum est: *ὁ τ ῆ ς κιθαρῳδοῦ*. cf. Iustinus XXXVI, 4, 6.

XVI.

Fieri non potest ut atticae comoediae ullius argumentum e fragmentis refingatur.

DE ARISTOPHANE EURIPIDIS INRISORE QUÆSTIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
IN AUDITORIO MAXIMO
DIE ~~XXII. M. [illegible]~~ A. MDCCCLXXVII HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS LESSING
BEROLINENSIS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
L. MANN, DR. PHIL.
O. KABISCH, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM
FORMIS PLOETZIANIS
1877.

Aemilio Huebnero

a.

Aristophanis studium, quod quantum et delectationis adferat et utilitatis nemo ignorat, cum multas habet difficultates tum singulare quoddam periculum. Quoniam enim nemo dubitat, quin summus sit Aristophanes poeta — fuit autem, cum tamquam improbus scurra contemneretur —, facile fieri potest et saepe factum est, ut idem optimus civis et perfectissimus homo fuisse iudicaretur, qui nihil umquam iniusti falsive de industria pronuntiasset, qui nihil antiquius habuisset, quam ut optima quaeque cives doceret. Sed postquam longe aliam sententiam professus est Droysenus, plerique viri docti intellexerunt, artem poetae et ingenium ita esse admirandum, ne in singulis rebus examinandis nostro iudicio abstineamus neve obliviscamur, iocandi vel irridendi causa permulta comicos plane finxisse. Quae igitur in adversarios iactaverunt obprobria, eis nisi summa cum cautione non est utendum; ac multa iam eius modi convicia ex historia Graeca eiecta sunt, restant quaedam eicienda, quae furca expulsa tamen usque recurrerunt.

At etiam artem poeticam, tragicam potissimum, comici in iudicium suum vocaverunt. Sic enim existimare se declarat Aristophanes (Ran. v. 1009), nullum esse verum poetam, nisi qui meliores redderet cives. Quod quia illo iudice Euripides non modo non faciebat, sed etiam mala atque perniciosa docebat, perpetuae Aristophani cum nobilissimo tragico intercesserunt inimicitiae, neque umquam ille desiit, Euripidem vel facetissime irridere vel acerbissime reprehendere. Atqui apud posteros nullius poetae maiorem fuisse auctoritatem quam Euripidis constat inter omnes. Permulta igitur a viris doctis de Aristophane Euripidis adversario in contrarias partes sunt disputata. Quam quaestionem si quis ratione et

vis instituere volet, duo, nisi fallor, conviciorum genera erunt distinguenda. Unum est eorum, quae ad gentem Euripidis et vitam privatam pertinent, alterum eorum, quae spectant ad poeticam illius artem inludendam vel vituperandam. Atque de illius quidem generis obprobriis multo facilior erit quaestio. Sunt enim neque ita multa et in medio posita; quae si conlecta erunt et historicorum, ut ita dicam, ratione examinata, facile erit ad cognoscendum, num quid veri eis subesse existimandum sit. Cum vero ad ea transimus, quae poetae Euripidi probro vertuntur, quantus quamque latus aperitur campus! Iam primum haud exigua opera consumenda erit, si quis omnia, quae huc pertinent, congerere susceperit et disponere; id quod non tam facile est quam cuipiam videri possit. Interest autem magni, utrum Euripidis ars et ingenium vituperetur in universum, an certa aliqua tragoedia reprehendatur; deinde utrum tragoediae ipsum argumentum improbetur an boni argumenti mala tractatio; tum utrum ad totam tragoediam pertineat vituperatio an singuli loci inrideantur; illud enim multo gravius esse quis est, quin intellegat? De omnibus autem huius generis conviciis adparet aliter esse iudicandum atque de illis, quae ad privatum Euripidem spectant. Etenim de gente, de moribus poetae fingere quaedam poterat comicorum petulantia, non de ipsis tragoediis, quas spectaverant Athenienses et legebant. Itaque si diiudicare volemus, merito Aristophanes Euripidem reprehenderit necne, ad artis poeticae leges revocabimur, de quibus numquam consenserunt viri docti neque umquam consentient. Accedit quod latius me quidem iudice patet illa quaestio, quam ut hac dissertatione possit profligari. Quae cum ita sint, satius duxi id potissimum quaerere, num quae cernatur Aristophanis ratio in poeta Euripide inridendo; quam si quis indagare studebit, non solum quid reprehendat Aristophanes in poeta tragico erit adtendendum, sed etiam quid non reprehendat et probet. Tali autem quaestione spero posse aliquid conferri ad artem comici intellegendam. Forsitan quispiam dixerit, cum tot et Aristophanis et Euripidis fabulae deperditae sint, non posse certi quicquam statui de comici in

ridendo tragico ratione. Atque id quidem concedere non dubito, esse in nostra hac quaestione, quae non liceat nisi per transennam quasi adspicere, esse etiam, quae quia non possint sciri debeant nesciri. Sed quamvis multae Euripidis fabulae interierint, tamen plurimarum argumenta etiam nunc possunt investigari, ita ut certa quaedam genera, certae quaedam aetates poesis Euripideae cernantur. Iam si contigerit, ut ostendatur, numquam, quod quidem sciamus, ab Aristophane certi cuiusdam generis fabulas rideri, num id casui tribuemus? Immo in ratione comici et consilio causam positam esse nostro iure statuemus.

Ex eis, quae modo exposui, intelleges opinor, quid iudicem de Rudloffi libello, qui inscribitur ‚De Aristophane Euripidis irrisore', (dissert. Berol. 1865). Qui v. d. id potissimum egit, ut Euripidem a comici iniuriis defenderet. Sed quae protulit ‚de Euripide privato ab Aristophane irriso', ea omnia falsa esse spero me probaturum; de sophista vero et poeta Euripide quae disputavit, ad meam hanc quaestionem nihil pertinent. Vera sint ex parte forsitan magna; at vereor, ne comici sectatores refutatos sese illo libello esse negent.

Sed transeamus iam in medias res; ac primum quidem, ante quam de ipsis Aristophanis conviciis agamus, perlustremus eius comoedias cognituri, in quibus potissimum Euripidem vellicaverit [1]). Nam etsi verum videtur quod Bergkius (Com. II, p. 912) dixit, nullam fere esse Aristophanis comoediam, in qua illi pepercerit, eae tamen inter omnes, ut ita dicam, excellunt, quarum argumenta aut tota aut ex parte in Euripide perstringendo versantur. Cuius generis extant hodie fabulae tres, in quibus ipse poeta inducitur: Acharnenses Thesmophoriazusae Ranae, actae annis 425, 410, 405. Quid igitur? Intra hos viginti annos alias etiam contra Euripidem scriptas esse comoedias nonne veri simillimum? Nec enim metuo, ne quis credat ipsi Aristophani plus semel adfirmanti,

[1]) De ceteris comicis non audeo certi quicquam statuere. Quamquam admodum memorabile est, paucissima eorum extare fragmenta, quibus inludatur Euripides; videntur ei fere omnes pepercisse.

novis semper argumentis sese uti. Eligamus iam unum eius modi locum, cuius rectam interpretationem non sine fructu suscipiemus. In Vesparum v. 54 sq. gloriatur poeta, noluisse se in ea fabula neque humilibus artificiis neque tritis ineptiis uti neque eandem rem quam prius tractare:

ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὐθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἐνασελγαινόμενος Εὐριπίδης,
οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

De his versibus postquam permulta a viris doctis disputata sunt, acutissime egit U. de Wilamovitz-Moellendorff [1]), nec tamen ita, ut omnia mihi persuaserit. Sed hoc loco missas facio ceteras quaestiones, quippe quae breviter absolvi non possint: de solo versu 61 disputandum est.

Perspicuum est neque a quoquam negatum, v. 62 ad Equites referendum esse; iam, cum dicat Aristophane vs. 61, non fore, ut iterum carpatur Euripides, quaeritur, quanam comoedia aut quibusnam comoediis ante actam Vespas eum inriserit. Nemini non veniet in mentem lepidissimae Acharnensium scaenae, quam sine dubio respexit Aristophanes [2]). At alia narrant scholia; ubi leguntur haec: *κατ' αὐτοῦ γὰρ καθῆκε τὰς Θεσμοφοριαζούσας· φησὶν οὖν, οὐ δεύτερον ταυτολογήσω περὶ αὐτοῦ ὡς οἱ ἄλλοι· οὐ μόνον δὲ ἐν τούτῳ τῷ δράματι εἰσῆκται οὕτως Εὐριπίδης, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ Προαγῶνι καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν.* Rectissima de hoc loco Wilamoviti est ratiocinatio [3]). Habes primum contra tempus mendum, qualia apud veteres grammaticos non ita raro inveniuntur; inepta sunt et fatua quae secuntur usque ad verba *οἱ ἄλλοι* [4]); gravissimum vero quod restat scholium. Etenim codex Venetus teste Duebnero (adn. ad schol. p. 450) exhibet *οὐ μόνον ἐν τοῖς Δράμασιν*, atque ita legendum esse agnovit ipse Duebnerus. Iam habemus antiqui et boni commentarii particulam et intellegimus, scriptorem eius vs. 61 ad Dramata relato enumerasse ceteras comici fabulas usque ad annum 422 doctas, quibus Euripides erat inrisus. Atqui duae comoediae *Δράματα* erant inscriptae, altera *Δράματα ἢ Κένταυρος*, altera *Δράματα ἢ Νίοβος*: quaeritur, utram designaverit grammaticus. Spuria erat Niobus et post Vespas sine dubio acta; adparet igitur, Centaurum significari: Quando autem docta est Centaurus? Lenaeis anni 426 respondet Wilamovitius (p. 15), nec possum facere quin adsentiar. Hesychio auctore scimus, Aristophanem in Dramatis urbem Athenas *βύρσαν* adpellasse [1]); nonne apertum, id ad Cleonis tempora revocandum esse? Itaque recte posuit Wilamovitius (p. 18), illud fragmentum ex Centauro petitum eamque intra annos 426—422 esse scriptam. Adde eiusdem v. d. computationem hanc: 'annis 424, 423 iam binae adscribendae sunt fabulae (Equites Agricolae-Onerariae Nubes I.); Lenaeis 425 cum Acharnenses ageret in conscribenda Equitibus occupatus erat Aristophanes (Ach. 300), duas vero fabulas etiam primo anno, quo in publicum prodibat, vix tradere audebimus — unum restat festum tempus, quo Centaurus docta esse potest Lenaea 426, cuius anni Dionysiis Babylonii acta est.' Haec verissima puto neque dubito, quin ipse Aristophanes Acharn. v. 1155 fabulam proximis Lenaeis doctam, Centaurum sc. tetigerit.

De argumento Centauri hoc tantum ex fragmentis elicere possumus, Herculem cena privatum in ea repraesentatum esse; addere licet ex scholio illo, Euripidem ita inrisum, ut ipse in scaenam induceretur, si quidem adcurate dixit grammaticus *εἰσῆκται*. Quo modo haec duo argumenta inter se coniuncta fuerint, omnino nescimus. Ceterum cum Equites primam suo nomine docuerit poeta, Centaurum quoque alii viro docendam traditam esse efficitur; nec ita magno plausu comprobatam coniecerim, cum Aristophanes numquam ea

[1]) Observationes criticae in comoediam Graecam selectae (dissert. Berol. 1870) I.

[2]) Eadem nunc est Wilamoviti sententia; v. Hermae vol. IX, p. 330 adn.

[3]) Observ. crit. p. 11 sq.

[4]) Certissimum est enim, hoc quidem versu suam quandam, non alius poetae comoediam respicere Aristophanem.

[1]) v. Bergk, Fragm. Com. II, p. 1062.

glorietur. Memorat Acharn. vs. 1155 et fortasse Vesp. 61; etsi enim veri simillimum est quod coniecit Wilamovitius, vs. 60 recte a scholiasta referri ad Centaurum, tamen fieri potuisse opinor, ut eandem bis tangeret poeta [1]).

Sed etiam in Proagone Aristophanis inductum esse Euripidem idem scholium docet, inrisum demonstrant fragmenta. Actam esse Proagonem per Philonidem cum ipse Aristophanes docebat Vespas, si non certum putandum at veri simile est. Sunt tamen qui negent praefracte. Petersenus quidem in Fleckeiseni Annal. 1862 p. 665 contendit, Proagonem anno 422 doctam non fuisse Aristophanis; etenim cum Vesp. vs. 61 praedicaret poeta, nolle se iterum perstringere Euripidem, non potuisse fieri, ut nihilo minus eodem festo die perstringeret. Quod argumentum satis futtile esse mihi videtur. Praedicat sane illo loco poeta, non fore, ut in Vespis rursus inludatur Euripides: quod si tamen eundem in posteris fabulis saepissime vellicavit, quid ni inluserit in Proagone vel eodem die? Quotiens adfirmet comicus, nolle se facere id ipsum, quod saepissime fecit, satis profecto notum. An vero existimabimus, spectatores cum post actam Vespas Euripidem facetissime inrisum viderent in Proagone, non sustulisse cachinnum, sed memores illius loci aegre tulisse, quod poeta non stetisset promisso? Adde quod per Philonidem doctam esse Proagonem ponimus; nec quisquam persuasit mihi, statim agnovisse spectatores aut scisse, quisnam re vera esset fabulae scriptor. De eis autem, quae Hillerus in Hermae vol. VII. p. 450 disputavit, adsentior Wilamovitio (Analecta Euripidea p. 153, 4) recte dicenti, probabile esse Aristophanis Proagonem memorari, quam novimus, fabulam victricem, non Philonidis quam ignoramus. Itaque intra annos 426 — 420 tribus Euripidem comoediis carpsit Aristophanes. Ac ne in ceteris quidem fabulis ullam occasionem praetermisit, quin obiter eundem perstringeret.

Sed si ultra annum 420 progredimur, multo difficilior

[1]) Negat Wilamovitius in Hermae vol. IX, p. 880 adn.; sed videtur nimis premere comici verba.

efficitur quaestio propterea quod de plerisque comoediis deperditis paucissima sciri possunt. Habes Thesmophoriazusas et Ranas, quae totae fere spectant ad Euripidem inludendum eiusque artem explodendam. Cetera incerta. De Lemniis Polyido Phoenissis postea videbimus. In Danaidibus coniecit Bergkius (Com. II, 1047) ‚Aristophanem composuisse scaenicam artem, quae fuit antiquitus, cum ea specie, quae sua viguit aetate, severeque de tragicorum poetarum laudibus iudicavisse'; quod si verum est, Euripidi certe non pepercit. Idem de Gerytade post annum 405 acta potest adfirmari; simile fuit argumentum Ranarum, cantica Euripidea commemorantur in frg. 8. Postremo de Aeolosicone extat Platoni testimonium (v. Duebneri Proleg. I.) hoc: *Αἴολον τὸ δρᾶμα τὸ γραφὲν τοῖς τραγῳδοῖς, ὡς κακῶς ἔχον διασύρει.* At mittamus iam lubricas de amissis fabulis quaestiones. Enumeravi eas, quarum ad argumenta pertinuisse Euripidis inrisionem aut certum est aut conligi potest. Vides, Aristophanem inde a secunda comoedia (Centauro) usque ad postremam (Aeolosiconem) eidem poetae bellum quasi intulisse perpetuum. Neque mirandum est, quamquam non nulli sunt mirati, quod ne mortuo quidem maledicere desiit. Etenim non tam virum quam poesin eius reprehendit; poesis autem Euripideae auctoritas quantopere post mortem poetae creverit quis est qui nesciat?

Notissimum est, Aristophanem multas comoedias vel Callistrato vel Philonidi mandasse docendas; in quo singulari quadam ratione videtur esse usus. Anonymus enim qui dicitur *περὶ κωμῳδίας* III. (apud Duebnerum), quem ex optimis fontibus hausisse dudum intellectum est, haec de Aristophane tradit: *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ (Καλλιστράτῳ) φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ(ς?) δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ* [1]). Haec ficta esse et commenticia ut credam animum non possum inducere. Immo statuendum esse arbitror, recte se habere illam comici adiutorum distinctionem. Quid enim?

[1]) Praeclare de hoc loco disputavit Petersenus in Annal. 1862, p. 654 sq.

Potestne quicquam adferri, quod labefactet optimi grammatici fidem? Ranas docuit Philonides, Proagonem idem, de Thesmophoriazusis nihil traditum est. Quod autem Acharnenses per Callistratum acta est, nihili facio; apertum est enim, eam comoediam rectius *πολιτικὴν* dici quam scriptam *κατ' Εὐριπίδου*. At enim de Nubibus exoritur dubitatio. Nubes si non docuit Philonides, ariolatur grammaticus, utpote qui *τὰ κατὰ Σωκράτους* illi mandata esse testetur. Recte de hac quaestione egit Bergkius in Fragm. Com. II. 918. Quod traditur Nubium argumentum V. (apud Meinekium) minime adversatur grammatico, neque quae ex scholiis adferuntur auctoritatem eius frangere possunt: Nubes docuit Philonides. Quaeret quispiam, quanam de causa unum genus fabularum Callistrato, Philonidi alterum mandarit poeta. Nescio neque est huius loci coniecturas explicare; res ipsa certissima est.

Venio nunc ad percensendas singulas res, quas Euripidi probro vertit comicus; atque priore quidem loco de eis agere in animo est, quae non poetae, sed privato homini obiciuntur. Primum igitur numquam destitit Aristophanes cavillari tragicum propter generis humilitatem; facetissime etiam atque etiam narratur, matrem eius holeribus venditandis quaestum sibi parasse. Legimus idem convicium Ach. vs. 457, 478; Equ. 17—19; Thesm. 387, 456, 910; Ran. 840, 947; quos locos si inspexeris, agnosces summi poetae ingenium, qui eandem rem alio loco aliter proferat, interdum summa cum urbanitate, sicut Ran. vs. 840, ubi versum simul Euripideum lepidissima parodia expressit. Ceterum de matre poetae idem memoriae prodiderant Alexander Aetolus teste schol. Ran. 840[1]) et Theopompus auctore Gellio XV, 20, crediderunt grammatici multi — non omnes —, adfirmant Aristophanis interpretes (etiam Droysenus). Rudloffius[2]) vero

---

[1]) Nominatur ibi Alexander; Aetolum intellegendum esse docuit Ritschl opusc. I, 17. Eiusdem de Euripide versus servavit Gellius XV, 20.

[2]) De Aristoph. Eur. irris. p. 9.

diserte exponit, de comici fide dubitari non posse; quin etiam coniecturam facit, quanam re commotus sit Euripidis pater, ut in matrimonium duceret *λαχανοπωλήτριαν*.

Apertum est neque quisquam quod sciam negavit, probri illius unum fontem esse ipsum Aristophanem; ex quo Alexander sine dubio hausit sua, Theopompum vero cupide adripuisse illud convicium quid mirum? utpote qui maledicentissimus esse tradatur haud uno teste, quique Plutarcho (Lys. 30.) iudice dignior sit fide ubi laudat quam ubi vituperat. Itaque solius comici auctoritas in iudicium est vocanda.

Si quis humili loco ortus magnam in civitate auctoritatem sive ingenio sive rebus gestis adeptus est, fieri non potest, quin obtrectatores ei generis ignobilitatem obiectent. Sed haud raro etiam nunc evenit, ut de clarissimorum hominum genere fingantur fabellae, quae quamvis infirmo fundamento nitantur, tamen paullo post in omnium ore sunt. Accedere solent de vita eorum privata narratiunculae eo plures, quo quis minus in hominum conspectum venit. Quid igitur? talia ab Atheniensium moribus abhorrere numquis contendet? talia a comicis non modo non contempta, sed libentissime adhibita esse ad ridendos adversarios numquis negabit? An vero putandus est Aristophanes, antequam eius modi convicia comoediis suis insereret, inquisivisse diligenter, vera essent necne? Credat Judaeus Apella! Equidem sic existimo: si quid eius generis male dictum solius comici auctoritate nititur, maxime dubitandum esse, numquid veri subsit. At enim probe scio, non deesse, qui tali argumentatione Aristophanis sui auctoritatem labefactari non sinant. Quid vero quod illud ipsum de Euripidis matre obprobrium qui refellerent iam apud veteres extiterunt? quid quod summo loco natum esse Euripidem testantur auctores gravissimi? Apud Athenaeum X, 424 *E* leguntur haec: *ᾠνοχόουν τε παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οἱ εὐγενέστατοι παῖδες — καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐν παισὶν ᾠνοχόησε· Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ μέθης φησί. πυνθάνομαι ἔγωγε, καὶ Εὐριπίδην τὸν ποιητὴν οἰνοχοεῖν Ἀθήνησι τοῖς ὀρχησταῖς καλουμένοις.* Iam evolve Suidae de Euripide capitulum; invenies haece: *οὐκ ἀληθὲς δὲ ὡς λαχανό*

πόλις ἦν ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τῶν σφόδρα εὐγενῶν ἐτύγχανεν, ὡς ἀποδείκνυσι Φιλόχορος. Quos locos Rudloffius ne cognosse quidem videtur. Ego vere hoc mihi videor esse dicturus: cum Euripidis nobilitas a talibus confirmetur auctoribus, quales sunt Theophrastus et Philochorus, falsum esse et abiciendum comici convicium, quod unde conflatum sit nec sciri potest nec quaerere refert. Iam intellegimus, non sine recto indicio grammaticum quendam de genere Euripidis ita dixisse: τοῦτον οἱ τῆς ἀρχαιάς κωμῳδίας ποιηταὶ ὡς λαχανοπώλιδος κωμῳδοῦσι; nimirum illud probrum si non refutare at certe non confirmare voluit. Iam intellegimus, quid sit quod Valerius Maximus (III, 4 ext. 2) narrat: ‚Quam matrem Euripides (aut quem patrem Demosthenes) habuerit ipsorum quoque saeculo ignotum fuit.‘ Addit Valerius ‚Alterius (Euripidis) autem matrem holera venditasse omnium paene doctorum litterae locuntur;‘ quae verba ad nostram etiam aetatem aptissime quadrant. Inlustrissimum opinor hoc est exemplum non evitati illius periculi, de quo in huius dissertationis initio disputavi. Ceterum nominatim Euripidis matrem numquam adfert Aristophanes, et valde dubium est, num recte sit Clito a grammaticis nominata. Wilamovitium quidem audivi dicentem, non dubitare sese, quin commenticium sit illud nomen [1]. Sed haec hactenus.

Quodsi convicio illi merito denegavi fidem, hoc mihi videor meo iure contendere, ubicumque comici exprobrant inimicis humilitatem generis, cavendum esse, ne simpliciter credamus — id quod volgo fit — maledicentissimorum hominum testimonio. Etenim si unum eius modi probrum falsum esse intelleximus, de ceteris dubitari non potest, sed debet.

Nunc quoniam vidimus de genere Euripidis, transeamus ad ea, quae in ipsius poetae vita et moribus ludibrio fuerunt Aristophani. Ac principio hoc videtur praemonendum: Fuit Euripides, ut ait Suidas, σκυθρωπὸς τὸ ἦθος καὶ ἀμειδὴς καὶ φεύγων τὰς συνουσίας; remotam igitur a civium conspectu

[1]) Adde quod etiam Aristophanis matri falsum imposuerunt nomen, quo reperto olim exultabat gaudio Thierschius (in ed. Thesm. Halberst. 1832 p. X.), Zenodorae sc., quod nomen ne Atticum quidem est.

degit vitam, ita ut de domesticis eius rebus nihil fere scire possent. Solent autem, ut supra dixi, de eius modi maxime hominibus, cum praesertim praeter ceteros florent ingenio et arte, nasci narrationes famosae, quibus fidem habere summae est temeritatis. Accedit quod numquam defuerunt, qui ea adcuratissime scire sibi viderentur, quae scire non possent. Quid vero, si demonstrari potest vel probabiliter conici, ad ridiculas illas fabellas, quae vitam Euripidis deformant, fingendas ansam praebuisse unam quandam rem male intellectam?

Thesmophoriazusarum argumentum totum in eo positum est, quod mulieres inducantur ulturae Euripidem, quippe qui in tragoediis acerrimum se praebeat mulierum osorem easque pessimas et nequissimas esse viris persuadere studeat. Idem de tragico praedicat senum chorus in Lysistr. vs. 283, 368, 369; at in Acharnensium illa scaena nihil eius modi reperies; ex quo intellegitur, anno 425 Euripidem mulierum inimicum nondum audisse. Certissima est enim lex, si quis vellicandus in scaenam vocabatur, omnia protulisse comicum quaecumque de vita illius et moribus cognorat inridenda. Habes igitur certum temporis spatium, intra quod ortam esse illam fabellam possis adfirmare: annos sc 425 et 411. Cum autem luce clarius sit solos eius fontes esse illas tragoedias, quibus Medeae et Phaedrae et Melanippae repraesentabantur – memineris Thesm. vs. 546 sq. — efficitur, potuisse fieri, ut etiam anno 425 ridiculum illud mulierum odium tragico obiceretur; acta erat enim Medea 431, Hippolytus Coronifer 428. Sed postea demum invenisse sibi visus est nescio quis quod ad facetissimas cavillationes Aristophani ansam daret. Iam inspice Ranas: nova invenies [1]) inridendi causa commenta. Sic enim conclusisse videntur homines maledici ac petulantes: ‚Odit Euripides mulieres; quid ita? quia scilicet ipse suam uxorem deprehenderit malam et lascivam. Habet domi Cephisophontem adulescentem: nonne cohaerent?‘ Hinc illae de uxoris poetae vel uxorum adulteriis narrationes

[1]) v. vs. 1048. 1408.

Potestne quicquam adferri, quod labefactet optimi grammatici fidem? Ranas docuit Philonides, Proagonem idem, de Thesmophoriazusis nihil traditum est. Quod autem Acharnenses per Callistratum acta est, nihili facio; apertum est enim, eam comoediam rectius *πολιτικὴν* dici quam scriptam *κατ' Εὐριπίδου*. At enim de Nubibus exoritur dubitatio. Nubes si non docuit Philonides, ariolatur grammaticus, utpote qui *τὰ κατὰ Σωκράτους* illi mandata esse testetur. Recte de hac quaestione egit Bergkius in Fragm. Com. II. 918. Quod traditur Nubium argumentum V. (apud Meinekium) minime adversatur grammatico, neque quae ex scholiis adferuntur auctoritatem eius frangere possunt: Nubes docuit Philonides. Quaeret quispiam, quanam de causa unum genus fabularum Callistrato, Philonidi alterum mandarit poeta. Nescio neque est huius loci coniecturas explicare; res ipsa certissima est.

Venio nunc ad percensendas singulas res, quas Euripidi probro vertit comicus; atque priore quidem loco de eis agere in animo est, quae non poetae, sed privato homini obiciuntur. Primum igitur numquam destitit Aristophanes cavillari tragicum propter generis humilitatem; facetissime etiam atque etiam narratur, matrem eius holeribus venditandis quaestum sibi parasse. Legimus idem convicium Ach. vs. 457, 478; Equ. 17—19; Thesm. 387, 456, 910; Ran. 840, 947; quos locos si inspexeris, agnosces summi poetae ingenium, qui eandem rem alio loco aliter proferat, interdum summa cum urbanitate, sicut Ran. vs. 840, ubi versum simul Euripideum lepidissima parodia expressit. Ceterum de matre poetae idem memoriae prodiderant Alexander Aetolus teste schol. Ran. 840[1]) et Theopompus auctore Gellio XV, 20, crediderunt grammatici multi — non omnes —, adfirmant Aristophanis interpretes (etiam Droysenus). Rudloffius[2]) vero

---

[1]) Nominatur ibi Alexander; Aetolum intellegendum esse docuit Ritschl opusc. I, 17. Eiusdem de Euripide versus servavit Gellius XV, 20.

[2]) De Aristoph. Eur. irris. p. 9.

diserte exponit, de comici fide dubitari non posse; quin etiam coniecturam facit, quanam re commotus sit Euripidis pater, ut in matrimonium duceret *λαχανοπωλήτριαν*.

Apertum est neque quisquam quod sciam negavit, probri illius unum fontem esse ipsum Aristophanem; ex quo Alexander sine dubio hausit sua, Theopompum vero cupide adripuisse illud convicium quid mirum? utpote qui maledicentissimus esse tradatur haud uno teste, quique Plutarcho (Lys. 30.) iudice dignior sit fide ubi laudat quam ubi vituperat. Itaque solius comici auctoritas in iudicium est vocanda.

Si quis humili loco ortus magnam in civitate auctoritatem sive ingenio sive rebus gestis adeptus est, fieri non potest, quin obtrectatores ei generis ignobilitatem obiectent. Sed haud raro etiam nunc evenit, ut de clarissimorum hominum genere fingantur fabellae, quae quamvis infirmo fundamento nitantur, tamen paullo post in omnium ore sunt. Accedere solent de vita eorum privata narratiunculae eo plures, quo quis minus in hominum conspectum venit. Quid igitur? talia ab Atheniensium moribus abhorrere numquis contendet? talia a comicis non modo non contempta, sed libentissime adhibita esse ad ridendos adversarios numquis negabit? An vero putandus est Aristophanes, antequam eius modi convicia comoediis suis insereret, inquisivisse diligenter, vera essent necne? Credat Judaeus Apella! Equidem sic existimo: si quid eius generis male dictum solius comici auctoritate nititur, maxime dubitandum esse, numquid veri subsit. At enim probe scio, non deesse, qui tali argumentatione Aristophanis sui auctoritatem labefactari non sinant. Quid vero quod illud ipsum de Euripidis matre obprobrium qui refellerent iam apud veteres extiterunt? quid quod summo loco natum esse Euripidem testantur auctores gravissimi? Apud Athenaeum X, 424 *E* leguntur haec: *ᾠνοχόουν τε παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οἱ εὐγενέστατοι παῖδες — καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐν παισὶν ᾠνοχόησε· Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ μέθης φησί. πυνθάνομαι ἔγωγε, καὶ Εὐριπίδην τὸν ποιητὴν οἰνοχοεῖν Ἀθήνησι τοῖς ὀρχησταῖς καλουμένοις.* Iam evolve Suidae de Euripide capitulum; invenies haece: *οὐκ ἀληθὲς δὲ ὡς λαχανό*

πωλις ἦν ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τῶν σφόδρα εὐγενῶν ἐτύγχανεν, ὡς ἀποδείκνυσι Φιλόχορος. Quos locos Rudloffius ne cognosse quidem videtur. Ego vere hoc mihi videor esse dicturus: cum Euripidis nobilitas a talibus confirmetur auctoribus, quales sunt Theophrastus et Philochorus, falsum esse et abiciendum comici convicium, quod unde conflatum sit nec sciri potest nec quaerere refert. Iam intellegimus, non sine recto iudicio grammaticum quendam de genere Euripidis ita dixisse: *τοῦτον οἱ τῆς ἀρχαιάς κωμῳδίας ποιηταὶ ὡς λαχανοπώλιδος κωμῳδοῦσι*; nimirum illud probrum si non refutare at certe non confirmare voluit. Iam intellegimus, quid sit quod Valerius Maximus (III, 4 ext. 2) narrat: ‚Quam matrem Euripides (aut quem patrem Demosthenes) habuerit ipsorum quoque saeculo ignotum fuit.‘ Addit Valerius ‚Alterius (Euripidis) autem matrem holera venditasse omnium paene doctorum litterae locuntur;‘ quae verba ad nostram etiam aetatem aptissime quadrant. Inlustrissimum opinor hoc est exemplum non evitati illius periculi, de quo in huius dissertationis initio disputavi. Ceterum nominatim Euripidis matrem numquam adfert Aristophanes, et valde dubium est, num recte sit Clito a grammaticis nominata. Wilamovitium quidem audivi dicentem, non dubitare sese, quin commenticium sit illud nomen [1]. Sed haec hactenus.

Quodsi convicio illi merito denegavi fidem, hoc mihi videor meo iure contendere, ubicumque comici exprobrant inimicis humilitatem generis, cavendum esse, ne simpliciter credamus — id quod volgo fit — maledicentissimorum hominum testimonio. Etenim si unum eius modi probrum falsum esse intelleximus, de ceteris dubitari non potest, sed debet.

Nunc quoniam vidimus de genere Euripidis, transeamus ad ea, quae in ipsius poetae vita et moribus ludibrio fuerunt Aristophani. Ac principio hoc videtur praemonendum: Fuit Euripides, ut ait Suidas, *σκυθρωπὸς τὸ ἦθος καὶ ἀμειδὴς καὶ φεύγων τὰς συνουσίας*; remotam igitur a civium conspectu

[1]) Adde quod etiam Aristophanis matri falsum imposuerunt nomen, quo reperto olim exultabat gaudio Thierschius (in ed. Thesm. Halberst. 1832 p. X.), Zenoderae sc., quod nomen ne Atticum quidem est.

degit vitam, ita ut de domesticis eius rebus nihil fere scire possent. Solent autem, ut supra dixi, de eius modi maxime hominibus, cum praesertim praeter ceteros florent ingenio et arte, nasci narrationes famosae, quibus fidem habere summae est temeritatis. Accedit quod numquam defuerunt, qui ea adcuratissime scire sibi viderentur, quae scire non possent. Quid vero, si demonstrari potest vel probabiliter conici, ad ridiculas illas fabellas, quae vitam Euripidis deformant, fingendas ansam praebuisse unam quandam rem male intellectam?

Thesmophoriazusarum argumentum totum in eo positum est, quod mulieres inducuntur ulturae Euripidem, quippe qui in tragoediis acerrimum se praebeat mulierum osorem easque pessimas et nequissimas esse viris persuadere studeat. Idem de tragico praedicat senum chorus in Lysistr. vs. 283, 368, 369; at in Acharnensium illa scaena nihil eius modi reperies; ex quo intellegitur, anno 425 Euripidem mulierum inimicum nondum audisse. Certissima est enim lex, si quis vellicandus in scaenam vocabatur, omnia protulisse comicum quaecumque de vita illius et moribus cognorat inridenda. Habes igitur certum temporis spatium, intra quod ortam esse illam fabellam possis adfirmare: annos sc 425 et 411. Cum autem luce clarius sit solos eius fontes esse illas tragoedias, quibus Medeae et Phaedrae et Melanippae repraesentabantur — memineris Thesm. vs. 546 sq. — efficitur, potuisse fieri, ut etiam anno 425 ridiculum illud mulierum odium tragico obiceretur; acta erat enim Medea 431, Hippolytus Coronifer 428. Sed postea demum invenisse sibi visus est nescio quis quod ad facetissimas cavillationes Aristophani ansam daret. Iam inspice Ranas: nova invenies [1]) inridendi causa commenta. Sic enim conclusisse videntur homines maledici ac petulantes: ‚Odit Euripides mulieres; quid ita? quia scilicet ipse suam uxorem deprehenderit malam et lascivam. Habet domi Cephisophontem adulescentem: nonne cohaerent?‘ Hinc illae de uxoris poetae vel uxorum adulteriis narrationes

[1]) v. vs. 1048. 1408.

natae intra annos 410 et 405; nisi quis forte dubitat, quin, si cognosset illo anno Aristophanes, memoraturus eas fuerit in Thesmophoriazusis. Quid vero dicam de Choerila! Haud raro et factum est et fit, ut sero intellegantur quae re vera sint in propatulo. *Χοιρίλῃν* — haec est genuina forma — „Vulvulam sororem esse *Κερκόλα τοῦ Ἀνδρίου*", nomen a comicis fictum, tam manifestum opinor est, ut nemo semel monitus dubitet. Tamen primus videtur monuisse Wilamovitius (Anal. Eurip. p. 149 adn.) Quid autem statuamus de istis adulteriis? Ficta et commenticia esse adparet, si quidem falsa est illa qua nituntur argumentatio [1]). Quaerendum est igitur num recte perhibeatur Euripides mulierum osor. Satis longa opus esset disputatione, nisi consentirent fere viri docti [2]), nullo iure illum adpellatum esse *μισογύνην*. Sunt sane quae improbare soleat in mulierum ingeniis Euripides; sed minime desunt, quae summis laudibus tollat. Quis est, cui non in mentem veniat nobilissimi fragmenti Melanippae (497 apud Nauckium):

τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίγνεται
γυναικός, ἐσθλῆς δ' οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν
πέφυκ' ἄμεινον· διαφέρουσι δ' αἱ φύσεις.

Abiciamus igitur tandem aliquando illas de matre deque uxoribus Euripidis fabellas, abiciamus etiam quae de Cephisophonte narrantur. Qui anno demum 405 commemoratur in Ranis (vs. 944, 1408); nam ex Acharnensium vs. 396 sq. dudum eius nomen expulit Elmsleius [3]). Atque de adulteriis quidem vidimus. Praeterea comici adfirmant, adiutum esse Euripidem ab illo in tragoediis faciendis (Ran. vs. 944,

[1]) Eam non a me fictam esse docet vita illa Euripidis, (quam priore loco posuit Kirchhoff), ubi dilucide traditur, suae uxoris nequitia commotum Hippolyti fabulam scripsisse poetam.

[2]) Euripides mulierum osor num recte dicatur peculiari libello inquisivit Braut (diss. Berol. 1850). Recte in universum iudicavit W. Ribbeck in ed. Acharn. p. 261. 62.

[3]) Kockius (ad Ran. 944) tamen putat in Acharn. 395 sq. induci Cephisophontem, contra v., si tanti est Hilleri disputationem in Hermae vol. VIII, 446 sq.

frg. inc. IV, fortasse ex Gerytane petitum, Com. II, p. 1177). Eodem pertinent quae de Mnesilocho (v. Teleclid. frg. Com. II, p. 371) et Socrate (v. Teleclid. ibid. et Ar. Nub. I, frg. VIII, de quo cf. Wilamoviti obs. crit. p. 10) Euripidis adiutoribus finguntur. Credit illa hodie nemo, nec refutare tanti est.

Iam satis demonstrasse mihi videor, omnia, quae Aristophanes de genere et moribus et vita privata Euripidis facete protulit, plane ficta esse neque ulla fide digna. Quibus abiectis paucissima sane restant, quae de tragici vita habeamus explorata. Sed melius profecto est nihil scire quam falsa scire sibi videri.

Transeo ad alteram disputationes partem, quae est de Aristophane poesis Euripideae inrisore. Quam quaestionem non ita instituere mihi in animo est, ut ostendere coner, quid merito, quid immerito reprehenderit comicus; nam ut iam supra dixi, de arte tragica in universum esset disputandum, neque is sum, qui rem tam gravem tamque difficilem quaestionem parva hac dissertatione diiudicari posse existimem. Quapropter plane aliam viam mihi ingrediendam esse iudicavi, quae et certum aliquem finem habeat neque abducat in dubitationes infinitas. Demonstrabo igitur, ut brevi praecidam, quasnam Euripidis fabulas in eisque quidnam reprehendat Aristophanes.

De Euripide nuper optime meritus est Wilamovitius, [1]) qui v. d. cum alia permulta docuit tum hoc explanavit, (An. Eur. p. 144 sq.) a grammaticis Alexandrinis in catalogos relatas esse Euripidis tragoedias genuinas sexaginta septem, quarum nomina etiam nunc restitui possunt omnia. Accedit quod plurimarum etiam argumenta satis nota sunt; ac de omnium temporibus quaecumque sciri possunt adcuratissime Wilamovitius conlegit. Quo facto de poesis Euripideae aetatibus acutissime quaedam enucleavit (p. 172 sq.) in eaque disputatione (p. 179) etiam de Aristophane poetae inrisore obiter

[1]) Analecta Euripidea scripsit U. de Wilamovitz-Moellendorff, Berolini 1875.

adiecit non nulla, quae ad meam hanc quaestionem pertinent Itaque si adcurate omnia erunt conlecta et disposita, quae in singulis Euripidis tragoediis vituperanda vel inridenda putavit Aristophanes — quoad eius nunc fieri potest, — videndum erit, num eae tragoediae, quibus ille pepercit, habeant aliquid, quo differant a ceteris. Quod si demonstrari potest, certam quandam comici rationem in ridendo adversario perspicimus Recognoscam igitur Euripidis tragoedias omnes eo indice usus, quem dedit Wilamovitius (p. 147 sq.), et adscribam, quid in quaque habeat comicus quod reprehendat, si quidem eius mentionem faciat inridendi causa.

Iam vero si locos Aristophaneos omnes, qui huc pertinent, congerere suscipiemus, duo eorum inveniemus genera. Unum est eorum, ubi diserte declarat comicus, quid sibi videatur ridiculum et indignum tragica arte; velut in Acharnensibus enumerantur heroes, quos miserrimo habitu induxerat Euripides. Alteri generi adtribuo parodiarum magnam multitudinem. Est ubi ambo genera habeas coniuncta, sicut multis locis Ranarum.

Sed de parodiis non nulla sunt praemonenda [1]); varia enim earum inveniuntur genera atque quodam modo diversa. Saepissime Aristophanes aliorum poetarum versus aut ad verbum transcripsit aut paucis mutatis ita adscivit, ut statim sentirent auditores unde sumpsisset. Sensuros autem ubicumque illo artificio esset usus, persuasum ei fuit sine dubio; aliter enim nonne inepte fecisset et insulse? Ac tanta fuit in Atheniensibus liberalis eruditionis et humanitatis copia, ut etiam nihil moniti cognoscerent, ubi et unde alius poetae versus adhiberentur. Quamquam non desunt loci, ubi dilucide declaret Aristophanes, unde petiverit. velut in Thesmoph

[1]) De eis quae iam sum expositurus, dudum mihi constabat, cum casu quodam incidi in Taeuberi dissertationem de usu parodiae apud Aristophanem (Nachricht von dem Kgl. Joachimsthalschen Gymnasium, Berlin 1849). Quae dissertatio, egregia me quidem iudice, neglecta paene videtur a viris doctis; in plerisque rebus mecum sentit Taeuberus.

vs. 134 sq. Adfinis Euripidis [1]) inrisurus Agathonem sic adloquitur

καὶ σ' ὦ νεᾶνις. ἥτις εἶ κατ' Αἰσχύλον
ἐκ τῆς Λυκουργείας ἐρέσθαι βούλομαι.

secuntur verba Aeschylea, quibus in Bacchum invehitur Lycurgus. Parodiae autem nomine nihil aliud apud veteres designari videtur nisi illud ipsum artificium, quo alieni versus in comoediam transferuntur; v. Suidam s. v. *παρῳδούμενος* — *καὶ παρῳδία*); ludibrii inrisionisve notio per se non inest in voce parodiae. Sed quam apta sit tragicorum maxime versuum in comoediam translatio ad animum auditoris hilarandum risumque commovendum neminem sane potest fugere. Etenim si res levissimae tragica cum gravitate pronuntiantur, quis est quin rideat? si res tristissimae faceta imitatione ita exprimuntur, ut fiant ridiculae, quis est quin tollat cachinnum? Denique id quoque facile perspicitur, ridicula salsaque versuum imitatione posse fieri, ut alius poeta vel festive perstringatur vel acrius inrideatur vel acerbe reprehendatur. Iam tria habemus parodiarum genera. Primum est ubi alius poetae versus recipiuntur nulla alia de causa nisi quod animo comici obversabantur in scribendo et gratum facturum se spectatoribus existimabat, si oblata occasione admoneret celebrati alicuius loci velut Pindarici. Saepius inveniuntur tales loci in choricis partibus, in carminum initiis praecipue, sicut Equ. vs. 1263 sq., ubi Pindari, Pac. 775, 797, ubi Stesichori versus adferuntur; cf. Acharn. 532. sq., ubi Timocreontis carmen tangitur [2]). Neque desunt tragicorum versus ita adsciti: Ionis Chii fragmentum habes in Ran. vs. 706, Aeschyli in eiusdem comoediae vs. 992. Postremo Euripidis quoque versus plus semel recepit Aristophanes nullo inridendi consilio, sed quia celebratissimi erant ipsique comico probati. Luculentissima exempla adferam duo: unum invenitur in Acharn. vs. 659 sq, ubi leviter mutatos pronuntiat chorus nobilissimos

[1]) Mnesilochi nomen tollendum esse nuper docuit Hillerus in Hermae vol VIII. p. 449 sq.

[2]) Plura dabit volenti Taeuberus (de usu parod. ap. Ar.) p. 6sq

Euripidis versus, qui ab aliis etiam scriptoribus laudantur (v. Nauck. ad Eur. frg. 910). Deinde splendidam pacis laudem, quam cecinerat Euripides in Cresphonte (frg. 462) adscivit ex parte Aristophanes in Agricolarum frg. 8 [1]). Atque de hoc quidem parodiae genere vidimus; restant duo alia, quae quamquam adcurate mea quidem sententia seiungenda sunt atque distinguenda, tamen non solent satis distingui. Etenim si tragicorum loci cum vi quadam comica transferuntur, saepe fit, ut inrideatur poeta, sed fieri necesse est minime. Quocirca alterum genus parodiae statuamus, ubi tragici versus, qui per se nihil habent offensionis, cum festivo lepore in comoediam recipiuntur aut imitatione exprimuntur; tertium, ubi translatio cum ipsius poetae fit inrisione et vituperatione. Nam qui inridet habet quod reprehendat, nec reprehendit fere quicquam Aristophanes, quin inrideat aut eodem aut alio loco.

Refertae sunt omnes fere Aristophanis comoediae versibus Euripideis lepidissime aut adhibitis aut tactis; permulta igitur Euripidis fragmenta comico debemus. Sed in restituendis tragici verbis summa opus est cautione. Nam et mutavit suo arbitrio permulta et saepissime nullum certum imitatus locum tragica gravitate induit orationem, id quod *χαρατραγῳδεῖν* vocant grammatici; ex quo efficitur, ut haud raro diiudicare non queas, quid tragoediae adtribendum sit, quid comoediae, aut quam late pateat illius imitatio: iam aperitur campus coniecturarum sane quam incertarum. [2]) Praesto sunt exempla mihi non multum quaerenti. In Thesm. vs. 1029 sq. Adfinis Euripidis Andromedae personam induit, et tribuit ei Aristophanes canticum, quod maximam sane partem e clarissima illa tragoedia expressum videtur; sed qui ipsa poetae verba restituere conatus est Fritzschius plura scire voluit quam sciri possunt, id quod

[1]) Maiorem partem eius carminis invenis apud Polyb. XII 26.

[2]) ‚Apollinea arte opus fuerit, ut ubique dignoscas, quid tragoediae debeatur, quid comici sit generis, quid aliunde repetitum. Nam et tragoedia aliquando remissior est, et comicus lusus ut plurimos delibat aliorum poetarum flosculos, ita haud raro ampullas tragicas imitatione felicissima affectat.' Nauck, Fragm. Trag. p. XII.

plus semel accidit viro doctissimo; cautius rem agere solet Nauckius. Deinde in Lysistr. v. 742.

ὦ πότνι Εἰλείθυι' ἐπίσχες τοῦ τόκου

tragice loqui poetam nemo non sentit, cum praesertim ex ipso metro possit cognosci. Quapropter Meinekius in Vind. Aristoph, p. 129 ex Auga Euripidis petita esse illa verba non sine probabilitate coniecit; nec vero pro certo potest adfirmari. Quae cum ita sint, probabunt intellegentes, quod eorum tantummodo locorum qui sine dubio sunt Euripidei, certo fundamento niti volui.

Tragicorum parodias, quae apud comicos inveniuntur diligenter conlegit W. Ribbeckius in appendice editionis Acharnensium. Quocirca existimaverit quispiam, simpliciter me transcripsisse illius v. d. conlectionem. Quod cur non fecerim, sed totam multitudinem iterum congesserim, quae quidem ad Euripidem pertineat, iam est exponendum. Atque id quidem non ita magni duco, quod sunt quae fugerint Ribbecki diligentiam; nec enim contendere audeo, me praeterisse nihil. Sed maxime opinor improbandum est quod tria illa parodiarum genera adcurate distinguere fere omisit, ita ut saepe numero fiat periculum, ne in errorem delabantur lectores multorum interpretum communem. Cum enim noverint, perpetuum Euripidis inrisorem extitisse Aristophanem, ubicumque versus illius proferuntur aut tanguntur, inrisisse comicum opinantur et quidnam improbaverit circumspiciunt. Quam rationem falsissimam esse rectissime passim monuit Taeuberus neque is primus; exempli causa nomino Welckerum, qui in clarissimo illo de tragoediis Graecis libro etiam atque etiam negat, omnes Euripidis imitationes inludendi gratia esse factas (velut p. 333, 479, 872). Ac tam manifesta res est, ut neminem fugere possit neque fugerit Ribbeckium (p. 284 [1]); verum multum abest, ut in singulis locis tractandis eam sequatur rationem, quam rectam esse antea concessit. Equidem cum de Aristophane Euripidis inrisore disseram, operam dabo, ut adcurate eos locos distinguam, ubi cernitur inrisio; quapropter ceteri etiam loci commemorandi erunt, ut intellegatur, quonam differant ab illis.

[1]) Auch hier ist keineswegs alles, was sich davon auffinden lässt als Spott und Verhöhnung gemeint‘.

Quodsi contigerit, ut versus quosdam Aristophaneos aliter ac solent explicandos esse ostendam, ad artem et ingenium comici perspiciendum pro virili mea parte contulisse mihi videbor. Iam igitur percenseamus Euripidis tragoedias, Wilamoviti catalogum secuti [1]).

1. Alcestis pro satyrico dramate acta a. 438.

Facetissimus est locus Acharnensium (vs. 883), ubi Dicaeopolis anguillam ita adloquitur

πρέσβειρα πεντήκοντα κωπάδων κορᾶν,

quae verba lepidissima parodia exprimunt Aeschyli versum hunc (frg. 168)

δέσποινα πεντήκοντα Νηρῄδων κορῶν [2]);

vides poetae in augenda vi comica artem, ut qui pro Aeschyli δέσποινα et κορῶν posuerit πρέσβειρα et κορᾶν, quo graviore sono incederet oratio quoque magis fiat ridicula [3]). Ceterum facile intellegitur, minime id egisse poetam, ut inrideret tragicorum principem; immo in sola splendidi versus ad rem levissimam translatione posita est loci urbanitas. Simillima est ratio versuum 893, 4, ubi eandem anguillam idem salutat

μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἴην ἐντετευτλανωμένης.

verba ex Eur. Alc. 367, 8 expressa; Admetus fidissimae uxori adfirmat μ. γ. θ. π. σ. χ. ἐ. τῆς μόνης πιστῆς ἐμοι. Mira de hoc loco narrat Ribbeckius in commentario p. 253 ineptissimos esse Euripidis illos versus declarans; quod si quis credet, non dubitabit, quin Aristophanes idem senserit idcircoque perstrinxerit poetam. At spero fore qui non credant. Ribbeckius postquam sex adtulit locos Aristophaneos, quibus Alcestidis versus tangantur, addit (p. 287), illam potissimum fabulam ansam praebere et tamquam evocare ad parodiam faciendam, quoniam perversa et inepta sint in ea fere omnia. Nolo hic de Alcestide plura disputare, quamquam satis temere

---

[1]) Fragmentorum numeros referas ad Naucki Fragm. Trag. Graec. Lipsiae 1856.

[2]) Ita scribo cum Bentleio.

[3]) propterea non concedo Nauckio, πρέσβειρα etiam Aeschylo esse restituendum; consulto sine dubio mutavit comicus.

iudicasse Ribbeckium arbitror; id iterum contendo, qui eius v. d. verba legat, necessario adduci, ut opinetur idem Ribbecki quidem sententia sensisse Aristophanem. Quid vero quod haec secuntur verba: ‚Alles dies sieht selbst schon wie Parodie aus und musste sehr zur Nachahmung herausfordern auf der komischen Bühne, die aber hier wohl nicht kritisiren wollte'?! ‚Non cohaerent' dixeris tuo iure. Sed gaudeo, quod tandem elicuimus veram Ribbecki sententiam, quae mirifice concinit cum mea. Noluit Aristophanes severe iudicare aut reprehendere Alcestin;' igitur non inrisit; nam, ut supra dixi, qui inridet, habet quod reprehendat. Sed inspiciamus iam illos sex locos In Ach vs. 893, 4 nihil inesse inrisionis monuit Taeuberus (de usu par p. 12); idem facile concedetur de Equ. 1250 sq. (= Alc. 181,2), idem equidem sentio de Av. vs. 1244 (= Alc. 675) [1]). Vesp. vero vs. 751, quem ad Hippolyti vs. 230 referunt scholia, ad Alc. vs. 866 (quem contulerat Berglerus) revocat Ribbeckius, fortasse omnino huc non pertinet, si quidem poterat poeta illa verba tragice pronuntiare, etiamsi nolebat certum ullum locum exprimere Restant Nub. vs. 1415 et Thesm. vs. 194, quibus festive tangitur Alc. vs. 691. Mirum est sane illud Admeti cum patre conloquium, neque negaverim inNub. illo versu praecipue posse aliquid ludibrii inesse; sed quamquam certo diiudicari ea res nequit, tamen equidem statuo, etiam sine inrisione Aristophanem illos locos proferre potuisse. Quod utut se habet, nec Fritzschio (ad. Thesm. 194) concedendum est, ‚saepe ac multum rideri' Alcestin, nec Wilamovitio (An. Eur. p. 179), infesto odio ab Aristophane exagitari.

2. Andromacha docta per Democratem initio belli Peloponnesiaci.

In Nub. vs. 717 sq. tragice conqueritur Strepsiades, nec vero ita, ut ad certum ullum locum Euripidis aliusve poetae verba eius possint referri. Ad Andr. 1078 revocari vult Rib-

---

[1]) Av. vs. 589 conferas cum Alc. 442; num de industria imitatus sit illo loco Aristophanes valde dubito.

beckius [1]), ad Hecub. vs. 161 probabilius Kockius et Wilamovitius (An. Eur. p. 151); scholia nihil habent eius modi. Certe comparari possunt et illi et alii fortasse tragicorum loci; nec vero credendum est, Aristophanem ad certi ex eis unius similitudinem consulto scripsisse Nub. vs. 717. Quod autem Aristophanes teste Phrynicho ἀκύμων dixit pro ἄγονος (v. Bergk. frg. Ar. inc. 123) sicut Euripides in Andr. vs. 158, in parodiarum numero non reponam [2]). Itaque Andromacham a comico tactam esse non potest probari, nedum inrisam.

3. Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος acta 438.

Eupolis in Ar. Equ. vs. 1302 usus est versu Euripideo ex hac fabula petito; utrum quid mutaverit necne, ignoramus; inrisio cernitur nulla.

4. Aeolus acta ante 421.

Hanc fabulam, quae apud posteros haud mediocrem adepta est laudem — ‚nobilis est Canace fratris amore sui', — severe graviterque non semel reprehendit Aristophanes. Argumentum ut foedum ac turpe detestatur in Nub. vs. 1371, 2, qui ad alteram editionem revocandi videntur, deinde in Ran. vs. 850 et 1081. De Aeolosicone accedit Platoni testimonium, quod supra (p. 11) adscripsi; sed quemadmodum in illa comoedia rem egerit incertissimum est; v. Welckerum de trag. Graec. p 871, 2 et Bergkium Com. II, p. 943, qui frg. 8 huc revocandum coniecit. Legebatur in Aeolo famosus ille versus (frg. 19) τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ; quem Lais traditur adhibuisse ad inridendum Euripidem; v. Machonis versus apud Athenaeum XIII, p. 582 d. Cernitur in eo sophistica quaedam ratio, quam facetissime inlusit atque explosit Aristophanes in Ran. vs. 1475 [3]). Restant Pac. vs. 114 et

[1]) Vesp. vs. 995 sq. exprimi Andr. 1076 sq. non audeo adfirmare cum Ribbeckio.

[2]) ‚Blosse Wiederholungen ohne ersichtlichen parodischen Zweck werden nicht erwähnt werden' promittit Ribbeck. p. 284; iam quaero, quam in voce ἀκύμων parodiae rationem perspexerit.

[3]) Ran. vs. 1474 etiam ex Aeolo adscitum esse coniecit Fritzschius; v. quae supra exposui p. 20 et Nauckii verba adscripta in adn. 2

119 (= frg. 17, 18), in quibus nihil invenias inrisionis, et Thesm. vs. 177, 8, ubi leviter mutati repetuntur Euripidis versus (frg. 28) fortasse ad spinosam eius dicendi artem perstringendam.

5. Alexander acta 415.

Ridet Aristophanes translationem, quae inest in verbis καὶ χρόνου προὔβαινε πούς, ut παρακεκινδυνευμένον τι in Ran. vs. 99. 100, cf. vs. 311.

6. Andromeda acta 412.

Lysistr. 962 sq. num expresserit comicus Andromedae verba (frg. 116) ποῖαι λιβάδες, ποία σειρήν, id quod adfirmat scholiasta, equidem admodum dubito et malo illos versus ipsius Aristophanis ingenio adtribuere. In Ran. vs. 105 legimus

μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν· ἔχεις γὰρ οἰκίαν;

ubi schol.: καὶ τοῦτο παρὰ τὸ ἐν Ἀνδρομάχῃ· ‚μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν, ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω'. Qui versus cum non legatur in Andromacha, ἐν Ἀνδρομέδᾳ correxit Matthiae (v. Nauck. frg. 145), Sed quae contra disputavit Fritzschius in comment ad Ran. p. 71, 2, minime sunt aspernanda. Inspiciendus est Suidas, ut qui pleniore scholiorum usus sit exemplari; apud quem invenimus haece: ‚μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν· ἔχεις γὰρ οἰκίαν' παρὰ τὸ ἐν Ἀνδρομάχῃ Εὐριπίδου· ἢ οὕτως· ‚μ. τ. ἐ. ο. ν. ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω. Qui haec scripsit grammaticus meminerat fortasse Andromachae vs. 581; versum autem illum, quem recte seiunxit Suidas, ex alia Euripidis fabula petitum esse credibile puto. Risit comicus iterum audacem translationem, quae cernitur in verbis μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν; cf. Ran. vs. 100.

Relinquitur lepidissima illa Thesmophoriazusarum scaena, qua Euripidis nobilissima tragoedia repraesentatur quaque nihil umquam facetius scriptum est. Adfinis Euripidis captus a mulieribus et a Scytha custoditus partes agit Andromedae, ipse Euripides primum Echus, deinde Persei induit personam. Quanta vero festivitate Aristophanes ornaverit illam scaenam, quam urbanis salibus condiverit, quam ridiculam induxerit Scythae importunitatem nemo non sentit. Cum autem difficillimum sit ubique diiudicare, quid Euripidi tribuendum sit,

quid Aristophani, efficitur ut quae in singulis tragoediae versibus offensioni fuerint definiri non possit, nisi quis totam scaenam commentario inlustrare suscipiat, id quod ab hac dissertatione alienum est. In universum explodere mihi videtur Aristophanes duo Euripidis inventa: primum canticum illud Andromedae plenum miseriarum et querellarum, deinde mirum illud μηχάνημα, quo usus Echo poeta in scaenam vocaverat. Ceterum si tanta tragoediae pars parodia exprimitur, multa etiam transcribi, quae per se nihil habeant offensionis, vix necesse est ut addam.

7. **Antiopa** acta intra annos 411—408

Vehementer errat Ribbeckius, quod in Av. vs. 1381 Pithetaeri verba παῦσαι μελῳδῶν ex Antiop. (frg. 188,2) repetita esse ponit. Etenim Aves a. 414 docta, Antiopam autem post Andromedam esse actam docet schol. Ran. 53 (v. Wilam An. Eur. p. 148). Restat Thesm. II, frg. 9. Nota est tragicorum consuetudo, ut in nominibus propriis ex ipsa nominum notione capiant omen, quod quasi declaret hominis vel fortunam vel facta; est autem ubi aperte fingatur etymon, ut adhiberi possit illud artificium[1]). Egregie de eo disputavit Hermannus ad Soph. Aiac. vs. 430, ubi et cur eo uti possit tragoedia exponens. Sed aliter res se habet, cum talis nominis interpretatio pertinet ad ea quae evenerunt aut eveniunt, aliter cum nihil fere habet momenti ad ea quae geruntur inlustranda. V. c. si in Aeschyli Agam. vs. 681 sq. Helenae nomen recte illi mulieri inditum ostenditur, ut quae multas naves perdiderit (ἑλεῖν ναῦς), si Sophoclis Aiax intellegere sese pronuntiat, nomen suum tamquam concinere cum exclamatione αἰαῖ, si in Euripidis Bacch. vs. 508 Dionysus monet Pentheum, nomen eius πένθους esse quasi praedictionem, confert hoc artificium aliquid ad animum spectatoris aut lectoris permovendum. Sin autem in Iphig. Taur. vs. 32 Thoantis nomen ducitur ab adiectivo θοός, neque cerni potest, qui id pertineat ad tragoediae argumentum, merus hic est lusus neque ita ingeniosus; qua-

[1]) Exempla satis multa conlegit Weckleinius ad Iphig. Taur. vs. 32.

propter suo iure Aristophanes versum illum faceta imitatione inrisit in Lemn. frg. 2. Simili modo peccasse Euripides videtur in Antiopa; ubi Zethi et Amphionis nominum ficta usus est etymologia (v. frg. 181, 2)[1]); quocirca ita inlusit poetam Aristophanes (Com. II, p. 1083):

Ἄμφοδον ἐχρῆν αὐτῷ τεθεῖσθαι τοὔνομα.

Ceterum τεθεῖσθαι num scripserit Aristophanes valde dubito.

8. **Archelaus** ἀδίδακτος (v. Wilam. p. 149).

In Ran. vs. 1206 sq. profertur fabulae Euripideae initium, ut rideatur iocoso additamento ληκύθιον ἀπώλεσεν; falso quidam (v. schol.) opinati sunt, ex Archelao illa verba esse petita; quorum errorem iam Aristarchus reiecerat neque debebat Kockius referre. Versus ab Aristophane adlegatos μὴ σῳζομένης tragoediae esse statuit Wilamovitius

9. **Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου** acta paullo post 406 teste schol. Ran. 67; quapropter non est mirandum, nullum nobis locum tradi, quo tetigerit eam Aristophanes. Nam in Ecclesiazusis et altera Pluto desunt versus, quibus Euripidis ullum locum exprimi certo possit demonstrari. De ceteris vero comoediis post Ranas doctis perpauca traduntur.

10. **Aegeus.**

Ar. Ach. vs. 119 hice est:

ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξυρημένε.

scholiasta adfirmat, factum eum versum ad similitudinem verborum ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον, quae in Euripidis Medea inveniantur. Atqui in ea non leguntur; ergo errasse scholiastam statuendam, nisi forte quis ad alteram si dis placet editionem confugiat, id quod nuper fecit Weckleinius (in ed Medeae p. 25). Veri autem simillimum est, ad aliam illa revocanda esse fabulam, quae simili argumento grammaticum ad errorem perducere potuerit. Peliadum igitur esse fragmentum coniecit Elmsleius, quod verum fere creditur (v. Nauck. ad Eur. frg. 852), Wilamovitius nuper ad Aegeum referre maluit non sine iusta causa (v. An. Eur. p. 150). Saepius

[1]) ‚Multa id genus admisit Euripides nullo alio fine nisi ut sophisticam promeret eruditionem.' Wilam. An. Eur. p 190, ubi exempla enumerantur plurima.

facit Euripides homines se ipsos ita adloquentes: *ω ψυχή, θυμέ, ω καρδία*; quae consuetudo sane eius propria non est [1]) Aristophanes iocose eam interdum adscivit, velut in Ach. vs. 450, Equ. vs. 1194, Vesp. 756, facetissime vero deflexit in Ach. illo vs. 119, quod nescio an iocandi potius quam inridendi causa fecerit.

11. **Alcmena.**

Schol. Ar. Ran. 536 adnotat: *ὅμοιον τῷ ἐν Ἀλκμήνῃ Εὐριπίδου·'* iam sequitur frg. 90. Consulto imitatum esse Aristophanem non concedo Wilamovitio, neque ita existimasse scholiasta mihi videtur. Relinquitur Ran. vs. 93, ubi sine dubio tangit poeta versus Euripideos a scholiasta servatos (frg. 89). Inrisionem tragici detexit Kockius; quippe inepte dici ab illo hirundinem avem Musarum. Si dixisset, sane ineptum se praebuisset, id quod Aristophanis editores libentissime de Euripide credunt. Nec vero debebat Kockius neglegere Meineki certissimam emendationem. Scripserat Euripides *ἀηδόνων μουσεῖον*, quod ingeniose mutavit comicus, ut *χελιδόνων μουσεῖον* designaret malorum poetarum loquacitatem. Itaque inrisionis hoc loco nec vola nec vestigium extat, id quod probe intellexit Ribbeckius.

12. **Alopa** numquam, quod quidem sciamus, ab Aristophane tacta.

13. **Antigona.**

Ran. 1182 et 1187 pronuntiat Euripides Antigonae suae primos versus, Aeschylus utrumque ineptum et perversum esse contendit; at luce clarius est, eum non minus subtili ac falsa interpretandi ratione uti quam paullo ante Euripidem. Hoc enim demonstrat Aeschylus, si quis ubique velit invenire quod reprehendat, semper eum inventurum. Ran. 1391 Antigon. versum levem esse prae Aeschyleo quodam ostenditur.

14. **Auga.**

Gravissime reprehenditur Euripides in Ran. vs. 1080, quod Augam induxerat in Minervae templo parturientem. De

[1]) v. Wecklein. ad. Med. vs. 1056.

Lysistr. vs. 742 supra disputavi (p. 21); etsi recte coniecit Meinekius, hoc quidem loco Euripides non inridetur.

15. **Bacchae** acta paullo post 406; v. quae ad Alcmeonem II, (no. 9) exposui.

16. **Bellerophontes** acta ante 425.

Notum est quam acerba vituperatione quamque faceto ludibrio hanc tragoediam Aristophanes persecutus sit. Iam primum enim in Acharnensium scaena Euripidea, ubi miserrimorum heroum, quos induxerat tragicus, quasi catalogus invenitur, proferuntur etiam *τὰ δυσπινῆ πεπλώματα, ἃ Βελλεροφόντης εἶχ' ὁ χωλὸς οὑτοσί* (vs, 426, 7, vs. 396 apud Ribbeckium, qui in commentario non celavit, quanto opere ipse hanc fabulam centemneret). Claudus igitur erat et veste sordida indutus Euripidis Bellerophontes, miserior etiam OeneoPhoenice Philocteta; itaque cum Telepho in primis inridetur, ubi *χωλοποιόν* Euripidem vocat comicus (v. Ran. vs. 846; cf, 842, 1063; Pac. 147, Thesm 24). Quantos vero risus commovisse putas Trygaeum, utpote qui cantharo insidens alter Bellerophontes ad caelum tolleretur! quam salse explicat filiae, cur hoc potissimum monstro utatur! quid facetius quam quod filia monet patrem (vs. 146 sq.) *ἐκεῖνο τήρει μὴ σφαλεὶς καταρρυῇς ἐντεῦθεν, εἶτα χωλὸς ὢν Εὐριπίδῃ λόγον παράσχῃς καὶ τραγῳδία γένῃ*! Vides inrideri Euripidis *μηχάνημα*, quo usus ad deos equitantem fecerat heroem, quem postea miserrimum induceret. Accedunt tres loci Aristophanei, ex quibus unum praetermisit Ribbeckius. Pac. vs. 722 ex Bellerophonte petitus (frg. 314) ridicule ad cantharum transfertur:

ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ.

In Equ. vs. 1249 sq. Euripideis verbis usus devictum se esse confitetur Cleo; vs. 1250 sq. ex Alcestide petuntur, vs. 1249 ex Bellerophonte (frg. 312), ita tamen, ut pro *κομίζετε* ponatur *κυλίνδετε*; scilicet machina opus est, si illam tragoediam imitari velis [1]). Postremo in Vesp. vs. 757 tangitur leviter et sine inrisione Eur. frg. 310; qui locus documento est, pauca

[1]) Etiam v. 1248 ex Bellerophonte receptum putat Kockius sine iusta causa.

verba, quae ipsa per se ne intellegi quidem possint, suffecisse, ut spectatoribus clarissimae illius tragoediae in mentem veniret.

17. Dictys acta 431;
numquam commemoratur in Aristophanis reliquiis.

18. Danae. Quam primae poesis Euripideae aetati tribuendam esse numerorum severitas ostendit; extant autem senarii septuaginta duo. (v. Wilam. An. Eur. p. 151; cf. p. 175).

De Thesm. vs 21 ambignum est iudicium; Sophoclem tetigerit an Euripidem, apud veteres iam in controversia fuisse docent scholia; fuerunt enim, qui Soph. frg. 13 Euripidis versum esse opinarentur. Sed respexit fortasse Aristophanes Eur. frg. 325, 3, quae est Naucki et Wilamoviti sententia. Hoc certum est, quicumque tangitur locus, inrideri eum minime; sententiam per se probabilem ridicule adhibet Euripidis Adfinis ad sophisticam eius doctrinam explodendam.

19 Hecuba acta intra annos 425—422[1]).

De Nub. vs. 718 supra exposui p. 24; in eiusdem comoediae vs. 1165,6, qui locus est alterius editionis, lepide, at sine in risione transferuntur Hecubae verba (vs. 171 sq), ut tragico sono evocet filium Strepsiades. summus autem lepos in eo cernitur, quod apud Euripidem Polyxenam evocat mater luctu adflicta, apud Aristophanem Phidippidem pater gaudio exultans, quod praeclaram Socratis eruditionem animo imbibisse dicitur bonus filius. Exordium illius tragoediae, quocum conferas Troad. vs. 1 et Andr. 1232, faceta parodia expressit comicus auctore Athenaeo III 112 e, ubi sic legitur: *Θεαρίων ὁ ἀρτοποιός, οὗ μνημονεύει Πλάτων ἐν Γοργίᾳ — καὶ Ἀρ. ἐν Γηρυτάδῃ καὶ Αἰολοσίκωνι διὰ τούτων*

Ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
λιπών, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια.

[1]) Actam esse Hecubam a. 425 aut 424 statuit Wilamovitius; sed Nub. 718 exprimi Hec. 162 mihi non persuasit. Post 426 doctam esse propter vs. 455 sq. posuerat Zirndorferus, cuius v. d. chronol. Eur. mihi non fuit praesto; ‚ultra 422 descendere metrum nos vetat.'

Athenaei verba si recte traduntur — neque offendit in eis Meinekius, — in utraque comoedia eidem illi versus ab Aristophane usurpati videntur, quae est Bergkii sententia (v. Com. II 946, 1009). Alii aliter existimant viri docti[1]). Utcumque ea res se habet, si mecum sentis, non risisse comicum Hecubae exordium, sed lepide tetigisse statues, sicut in Geryt. frg. I (Com. II p. 1005).

20 Helena acta cum Andromeda 412 (schol Ar. Thesm. 1012.

Huius fabulae primam partem facetissima parodia repraesentavit Aristoph. in Thesmoph. vs. 850 sq. Adfinis Euripidis postquam intellexit, frigidae Palamedis, cuius ipsum puderet imitatione non posse commoveri Euripidem, ut auxilio sibi veniret, haec secum reputat:

τῷ δῆτ' ἂν αὐτὸν προσαγαγοίμην δράματι;
ἐγᾦδα· τὴν καινὴν Ἑλένην μιμήσομαι.
πάντως δ' ὑπάρχει μοι γυναικεία στολή.

Iam igitur Helenae partes agit et pronuntiat tragoediae prologum saepius interpellatus ab irata Muliere, donec ipse Euripides adveniat Menelai tristi habitu indutus. Singula recognoscas cum Ribbeckio; hic exponere meum est, quidnam in illa tragoedia reprehenderit atque inriserit comicus. Quod significavit primum ipso vs. 850; nova enim illa Helena non modo est ‚nuper docta' ἡ πέρυσι (Ach. 378), sed fabula novo invento ornata; conferas Fritzschi et Engeri adnotationes. Novitas argumenti et insolentia exploditur; ac manifestum est profecto, quantum differat Helena Euripidea ab antiqua tragoedia. Quamquam enim in Aegyptum delata Helena inventa iam est a Stesichoro, quamquam similia Herodotus (II 112 sq.) memoriae prodidit, id tamen novum erat atque inauditum, quod fabula opinioni communi tam contraria repraesentabatur tragoedia, quae omni insolitae cuiusdam artis nitore distincta esset et inluminata[2]). Deinde

[1]) Grauertus scribi iubet *ἐν Γηρ. ἢ Αἰολ.*, melius Thonberus (de usu par. p. 16, 35) *ἐν Γηρ. ἢ καὶ Αἰολ.*, Dindorf. *ἐν Γηρ. διὰ τούτων · . . . . . . κἀν Αἰολοσ.*

[2]) ‚Argumentum haec fabula habet romanticis, quas dicunt, fabulis vicinum' inquit Hartungius, acerrimus ille Euripidis laudis vindex (Eur. restit. II, p. 848).

vero miserum Menelai habitum ridet Aristophanes, sicut Telephi Bellerophontis Philoctetae reliquorum. Mitto singulorum versuum urbanitatem, quae neminem intellegentem fugere possit.

21. Erechtheus acta ca. 421.

Lysistrata tragica cum gravitate adloquitur Athenienses et Spartanos; quod schol. ad vs. 1131 adnotat, totum versum ex Erechtheo petitum esse, id ad vs. 1135 revocandum ante Nauckium (frg. 365) intellexerat Meinekius (v. Vind. Aristoph. p. 137). Adde Thesm. vs. 120 ex eadem tragoedia receptum. In utroque loco [1]) nulla cernitur inrisio.

22. Epeus.

Huius fabulae obscurissimae nemo veterum meminit.

23. Heraclidae acta intra annos 429—427 [2]).

Non licet fidem denegare scholiastae, qui ad Equ. vs. 214 adscripsit *χαρφόησε τὸν ἴαμβον ἐξ Ἡρακλειδῶν Εὐριπίδου*; expressit Aristophanes versum nobis non servatum. Accedit Vesp. vs. 1160, ubi iocose imitatus est Heracl. vs. 1006; fugit hoc Ribbeckium. Inrisa esse haec tragoedia non videtur.

24. Herculos [3]) acta 423,2.

Hanc fabulam non commemorat Aristophanes.

25. Electra acta 413.

Ran. vs. 1307 sq. cantilena illa consuitur ex pannis carminum Euripideorum; vs. 1317 ex Electra petitus per se ipse non inluditur, quod facile est ad intellegendum.

26. Thyestes acta ante 425.

Panni Thyestei in Ach. vs. 433 commemorantur; deinde inrisit hanc tragoediam Aristophanes in Proagone (cf. p. 9), quod satis aperte demonstravit Bergkius (Com II, p. 1137; cf. frg. II, III). ‚Exhibuit comicus quasi Thyestem aliquem, qui ipse suorum liberorum artus comederat.'

[1]) Ar. Her. frg. XI, (Com. II, 1174) in parodiarum numero reponere non debebat Ribbeckius (cf. Eur. frg. 859).

[2]) v. Wilamoviti rectissimam ratiocinationem, An. Eur. p. 151, 2.

[3]) Falso additamento *μαινόμενος* liberavit fabulae nomen Wilam. An. Eur. p. 59.

27. Theseus acta ante 422.

Facetissime Aristophanes in Vesp. vs. 312 sq. versus Euripideos pro suo arbitrio mutatos adscivit. v. frg. 389, 390, quod fecit ioci, non inrisionis causa. Relinquitur Orci Ianitoris [1]) in Ran. vs. 465 sq. oratio plena ridiculi furoris (cf. Nauck. ad frg. 386), in qua haud pauca ex Theseo Euripidis petita esse narrant scholia. Sed equidem facere non possum, quin de his versibus adsentiar Wilamovitio. Qui v. d. postquam (An. Eur. p. 161 sq.) ingeniosissime de Pirithoo fabula spuria Critiae adtribuenda disputavit, suspicatus est (p. 171), in illa Janitoris oratione non Thesei, sed Pirithoi versus exprimi ad eamque fabulam Naucki frg. 386 - 288 esse referenda. Addit v. d.: ‚nolim tam clarum tam grave (schol.) testimonium puerili levitate vilipendere videar; non me fugit, sententiam quam amplexus sim evinci non posse, praesertim cum Theseus tragoedia obscurissima sit.' Temerarium sanequam esset, scholiastae testimonium reicere, nisi exempla similis erroris possent adferri. Atqui vidimus, Ach. vs. 119 a scholiasta Euripidis Medeae falso adscribi, quod ita explicavimus, ut aliam quandam tragoediam, in qua Medeae essent partes, grammatici menti obversatam esse statueremus. Quid igitur? Si in Ran. vs. 465 sq. omnia nos ducunt ad Pirithoum, id quod demonstravit Wilamovitius, num re vera tanto opere verendum est, ne iniuriam faciamus scholiastae aliam similis argumenti fabulam substituentes?

28. Hippolytus (Coronifer) acta 428.

Ar. Ran. 1043 gloriatur Aeschylus

ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας;

(cf. Thesm. 547). Priorem hic Hippolytum significari adfirmat Fritzschius propterea quod in argum. Eur. Hippol. haec leguntur: *ἐμφαίνεται δὲ ὕστερον| γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι.* Cui testimonio fidem non denego; sed vereor, ne alterius quoque Hippolyti argumentum improbaverit Aristophanes, ita ut utram-

[1]) Aeaci nomen expulit Hillerus in Herm. vol. VIII.

que Phaedram scortum adpellare potuerit. Argutias Euripideas inlusit Equ. vs. 16 (= Hippol. 345):

πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρῆς [1]) *λέγειν.*

Hipp. 374 orationem incipit Phaedra plenam gravissimarum sententiarum, cuius exordium bis inrisit Aristophanes, Equ. vs. 1290 et Ran. vs. 931 Tenendum est autem, explodere eum longas declamationes, quae ad philosophiam pertineant, cum praesertim a mulieribus proferantur; v. Ran. vs. 949 sq. Id quoque ridiculam putasse Aristophanem, quod noctu potissimum dicit Phaedra sese ita considerasse, non censeo neque omnino concedo Kockio, ridiculum esse, si quis de rebus gravissimis noctu cogitet. Splendidos deinde versus, quos in Hipp. (219 sq) admiramur, facete imitatus est Aristoph. in Anagyro (frg. VII) Restat versus ille quodam modo infamis

ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽, ἡ δὲ φρὴν ἀμώμοτος

(Hipp. 612), quae verba si e sententiarum continuatione eripias, multum sane habent offensionis. Quocirca ter ea inrisit Aristophanes, Thesm. vs. 275, Ran. 101 et 1471, ubi salsissime deflectuntur.

De Vesp. vs. 751 v. p. 23.

29. **Supplices** acta ca 421.

Av. vs. 829 utrum Eur. Suppl. vs. 447 an Soph. frg. 618, 1 expresserit Anristophanes non liquet. Welckerus (Gr. Trag. p. 755) vero ingeniosa, at sanequam incerta coniectura ad Meleagrum illum versum retulit, quod probavit Fritzschio [2]) et Wilamovitio (An. Eur. 155); cf. Nauck. ad Eur. frg. 526. Hoc quidem omnes concedent, minime illo loco inrideri Euripidem.

30. **Iphigenia Taurica** acta intra annos 411—409.

Huius tragoediae vs. 32 ridetur ab Aristophane in Lemn. frg. II; v. quae disputavi supra p. 26. in prologum cadit *τὸ ληκύθιον* Ran. 1233 [3]).

[1]) ita rectissime correxit Bergk. recepit Kirchhoff. De forma *χρῆς* saepius restituenda v. Wil. An. Eur. p. 45 (ad Iph. Aul 1014)

[2]) v. Kockium ad Ar. vs. 829.

[3]) Turpi errore lapsus est Ribbeckius, quod Ach. vs. 47 sq. Iphigeniae prologum inludi statuit (p. 304); plus decem annis ante docta est Acharnenses; ac ne scholiasta quidem ita existimasse mihi videtur. Omnino autem nego, versus illos ad Euripidis prologos pertinere, quod immerito scholiastae credunt viri docti.

31. **Iphigenia (Aulidensis)** acta paulo post 406.

cf. p. 27 ad Alcmeonem quae disputavi [1]).

32. **Jon.**

Av. vs. 524 ita scripsit Bergkius:

ὥσπερ δ᾽ ἤδη τοὺς μαινομένους
βάλλουσ᾽ ὑμᾶς κἂν τοῖς ἱεροῖς,
πᾶς τις ἐφ᾽ ὑμῖν δ᾽ ὀρνιθευτὴς
ἵστησι βρόχους ....

Meinekius post vs. 525 excidisse quaedam coniecit in Vind. Arist. p. 93 Hoc perspicuum videtur, verba *κἂν τοῖς ἱεροῖς* praecedentibus iungenda esse. Nemo opinor vs. 525 legit, quin meminerit Jonis Euripideae vs. 106 sq., ac nescio an eius admonere voluerit ipse Aristophanes

33 **Hippolytus** (Velatus) acta ante 428.

Argumentum detestatur Aristophanes ut inhonestum in Ran. 1043; v. p. 33. Celebratissimi erant versus Euripidei hi (frg. 639):

τίς δ᾽ οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;

quos etiam Plato commemorat (Gorg. p. 492 E.) Mulierem verba illa gravissima pronuntiasse docet Ar. Ran. vs. 1082, ubi probro ea poetae vertit Aeschylus; facetissime vero risit Ar. in Ran. vs. 1477, 8. Cuinam autem tragoediae tribuendum sit illud fragmentum non liquet, quia diversa traduntur; v. Nauck. ad frg. 639. Polyido adscribunt viri docti plerique, Hippolyto velato schol. Ar. Ran. 1478 secutus Wilamovitius (v. An. Eur. p. 157).

34. **Ino** acta ante 425.

[1]) Ran vs. 1309 sq. scholiasta tradit petitos ex Iphigenia Aulidensi tunc nondum scripta; ‚non unius versiculi comici meminerunt, quem grammatici postea frustra quaesiverunt' et ‚ad fabulosas priores vel posteriores editiones' retulerunt. Huc revocandi Ran. illi versus. Wilam. An. Eur. p 145, 6.

Inus panni ridentur Ach. vs. 434. Adde Vesp. vs 1412 sq.

> *καὶ σὺ δή μοι Χαιρεφῶν*
> *γυναικὶ κλητεύων ἔοικας θαψίνῃ,*
> *Ἰνοῖ κρεμαμένῃ προσπολῶν*[1]) *Εὐριπίδου.*

v. schol. 1413.

35. Ixion acta intra annos 410—408 non tangitur in Aristophanis reliquiis.

36. Cressae[2]) acta 438.

Semel hanc fabulam tetigit comicus neque id inridendi causa in Vesp. vs. 763 (Eur. frg. 468).

37. Cresphontes acta intra annos 430 425.

De Agricol. frg. VIII vidimus p. 20.

38. Cretes.

In Creticas *μονῳδίας* invehitur Aeschylus Aristophaneus Ran. vs. 849; deinde eiusdem comoediae vs. 1356 inluditur Cretes verbis ex Icari cantico petitis. Quidni igitur ad hanc potissimum fabulam referamus Creticas illas *μονῳδίας*? At concedendum fortasse est Fritzschio, non solam Cretes respici vs. 849, sed totum carminum genus, quod descripsit, ut solet, doctissime.

39. Licymnius.

fabula obscurissima; pertinere huc Ar. Av. vs. 1242 multi crediderunt, cf. Nauck. p. 402, 3; negavit Wilamov. obs. crit. p. 16 adn. 24.

40. Medea acta 431.

In Thesm. vs. 1130 Medeae suae (vs 298) verbis utitur Euripides; ipsa verba non ridentur. Atque quae praeterea Ribbeckius ad hanc tragoediam revocata vult, satis dubia sunt omnia. Nam primum quae nominatur in Pac. vs. 1013 Medea Euripidea certe non est; quapropter Morsimi eam fuisse coniecit Fritzschius (in Ar. Ran. p. 105); cf. Nauck. ad frg. adesp.

---

[1]) Ita scribendum puto cum Hermanno; recepit Meinekius.

[2]) Ex schol. Ach. 433 conlegerat Volckenaerius, eandem Cressas fabulam fuisse atque Thyestem, quod refutavit Wilam. obs. crit. p. 12, 18. Accessit certissimum testimonium marmoris Piraeici, quod depinxit idem v. d. in An. Eur. p. 137 sq.

4. Deinde num Ar. Nub. vs. 1397 ad Med. 1317 referendus sit, admodum dubito. Cur vero coniecerit Kockius, Nub. vs. 41 exprimi Medeae exordium, fateor me non intellegere; quod si cui persuaserit, ubicumque invenitur hoc dicendi genus: *εἴθ' ὤφελε τὸ δεῖνα μὴ γενέσθαι*, Euripidis imitationem statuere licebit. Quid loquar de reliquis omnibus locis, quos cum Medeae quibusdam possis comparare? Relinquitur, ut agam de Ar. Ran. vs. 1382, 3. Vincitur ibi Medeae primus versus Aeschyleo quodam, non inridetur. Exagitari hanc tragoediam ab Aristophane probari nequit.

41. Meleager.

De Ar. Av. vs. 829 sq. supra disputavi p. 34. Mentionem facit huius fabulae Euripides in Ran. vs. 864; eiusdem comoediae vs. 1238 demonstratur ad Meleagri primum versum quadrare *τὸ ληκύθιον*. In ridicula choricorum carminum farragine (Ran. 1309 sq.) ex Meleagro etiam petuntur frustula, v. frg. 527; manifestum est autem, non ipsa illa verba explodi, sed in locis inepte conexis positum esse ludibrium.

42. Melanippa Sapiens acta ante 411.

43. Melanippa Captiva.

In Thesm. v. 545 sq. indignatur Mulier Phaedras Euripidis fabulis repraesentari et Melanippas, non Penelopas. Deinde saepius ridet Aristophanes hunc versum, quem ex Sapienti Melanippa petitum esse probabili coniectura adsecutus est Berglerus

> *ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἴκησιν Διός* (frg. 491).

Primum enim his verbis utitur Euripides in Thesm vs. 272 iurans Adfini, se ei non esse defuturum; qui ridicula respondet. Exploditur poetae philosophia naturalis, sicut initio eiusdem comoediae[1]). Adde Ran. vs. 100 et 311. Ad Lysistr. v. 1125 extat scholium *ο στίχος* (*οἱ στίχοι* Put.) *ἐκ σοφῆς Μελανίππης*; quae verba Engerus Dindorfio duce ad vs. 1124 referri mavult. Alii v. d. plures ibi versus ponunt Euripideos; v. Nauck. ad frg. 487. Certo diiudicare eam rem non queas;

---

[1]) Etiam de philosophia Euripidea nova discimus a Wilamovitio, qui (Anal. Eur. 165, 4) hoc in primis docuit, Euripidem in cosmogenia minime sectatorem esse Anaxagorae.





inrisio inest nulla. Melanippae prologo ne adhaereat το ληκύθιον metuit Dionysus in Ar. Ran. vs. 1245.

Ceterum in Sapienti Melanippa satis libere de rebus divinis locutus est poeta; documento est nobilissimus ille versus

Ζεὺς ὅστις ὁ Ζεύς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ[1]).

Eius modi sine dubio respexit versus, cum scribebat Aristophanes

τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν, οὐκ εἶναι θεούς (Thesm. 451).

Postremo facere non possum, quin adscribam memorabilia illa verba, quibus respondit Euripides in Melanippa Captiva ad comicorum cavillationes (frg. 495);

ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος εἵνεκα
ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους· ἐγὼ δέ πως
μισῶ γελοίους, οἵτινες σοφῶν πέρι
ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα[2]), *κεἰς ἀνδρῶν μὲν οὐ*
τελοῦσιν ἀριθμόν, ἐν γέλωτι δ' εὐπρεπεῖς
οἰκοῦσιν οἴκους, καὶ τὰ ναυστολούμενα
ἔσω δόμων σῴζουσι —

44. Orestes acta 408.

Narrat schol. Ar. Ran. 303, Hegelochum histrionem Orestae versum 279

ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ

ita pronuntiasse, ut audirent spctatores *γαλῆν ὁρῶ* et tollerent cachinnum; id quod ansam dedit comicis ad iocandum. Exemplum habes in Ar. Ran. vs. 303, ubi cf. Kockium. Sed non inrideri poetam omnibus illis locis, quos adferunt editores, tam manifestum est, ut neminem tale quicquam somniasse putaveris. Tamen vir doctus et de Aristophane optime meritus Cobetus[3]) ita alucinatus est: ‚Notum, est quantum sibi placuerint comici in explodendo versiculo Eur. Or. 279.'

45. Oeneus acta ante 425.

---

[1]) Quem postea mutavit poeta; v. Nauck. ad frg. 483.

[2]) Huius fortasse loci memor Euripidem in Ran. (838) dicentem facit Aristophanes:

ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατές, ἀθύρωτον στόμα.

[3]) Obs. crit. in Plat. com. rell. p. 183.

Pannos Oenei ridet Aristophanes Acharn. vs. 418; eiusdem comoediae vs. 472 teste scholiasta *πεπαρῴδηται ἀσήμως ἐξ Οἰνέως Εὐρ.*; frg. 569, 2 aptissime adhibuit Ar. Ran. 72.

46. Oenomaus acta intra annos 411—408; numquam tangitur in Aristophanis reliquiis.

47. Oedipus acta post 425; non tangitur.

48. Peliades acta 455.

De Ach. vs. 119 v. p. 27.

49. Peleus acta ante 417 (?).

De Nub. vs. 1154, qui alteri editioni deberi videtur, v. Nauck. ad Eur. frg. 625; nescimus, utrum ille versus Euripidis sit an Sophoclis (frg. 448) an utriusque. Transfertur summo cum lepore, non inridetur.

50. Plisthenes acta ante 414.

Aristophanes Av, vs. 1232 expressisse videtur frg. 630, at sine ulla inrisione.

51. Palamedes acta 415.

Salsissime ridetur Thesm. vs. 770 sq. mirum illud *μηχάνημα*, quod Oeacem — is est enim *ἐκεῖνος* in vs. 770 — fecerat adhibentem Euripides; v. schol. 771. Accedit Thesm. vs. 848.

τὸν Παλαμήδην ψυχρὸν ὄντ' αἰσχύνεται;

Cetera incerta. v. Nauck. ad frg. 586 (Ar. Ran. 1443) et 592 (Av. 842).

52. Polyidus acta post 415 (v. frg. 642,3).

Frg 639 si recte Hippolyto velato tribuit Wilamovitius (v. p. 48), relinquitur, ut de Aristophanis Polyido disputemus. Quamquam, si verum fateri volumus, nihil certi de illa comoedia adfirmari potest, hoc tamen vix dubitandum videtur, Euripidem in ea aliquo modo esse inlusum[1]). Quam late autem patuerit eius inrisio, id pro certo adfirmare adrogantis est hominis, non intellegentis. Sed si omnia ea, quae de ceteris antiquae comoediae fabulis aut sciri aut probabiliter conici possunt, contulerimus, si consideraverimus, quaenam illarum genera etiam nunc possimus

---

[1]) ‚Ut optimos quosque fructus vespae invadere solent, ita hanc quoque tragoediam Aristophanes turpaverat'. Hartung Eur. rest. II, 215.



cognoscere, de Polyidi etiam argumento cum aliqua veri similitudine conligere quaedam licebit. Efflornit Atheniensium comoedia atque exculta est laetissimis rei publicae temporibus, cum nulla lex coerceret poetarum libertatem ac lasciviam neque res adversae rei publicae quasi hortarentur civem patriae amantem, sileret potius quam rideret (*σίγα, μὴ μνησικακήσῃς* Ar. Lys. 590). Extitit igitur *ταυροφάγος* ille Cratinus, summus poeta, qui indice Aristophane violento tamquam amnis impetu prostravit inimicos, comoediae parens. Ac licentia dicendi, praecisa illa lege, qua vetitum est *μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί*, paullo post est restituta. Cratini *Ὀδυσσῆς*, quae nihil aliud erat nisi Odysseae iocosa imitatio, illo tempore scripta videtur, quo valebat illa lex. Sed ne posteaquidem videntur poetae omnino abstinuisse illo, ut ita dicam, mansuetiore comoediae genere, quod ex antiquis fabulis petebat argumentum; obiter perstringendi viros in re publica principes occasio numquam non obferebatur. Huc revocanda videtur Aristophanis Centaurus, huc referenda Progaon, qua Thyestae fabulam expressam esse credibile puto; (cf. p. 32). Iam vero post cladem illam Siciliensem cum tristiora in dies evaderent rei publicae tempora, imminutam ac paene fractam esse comicorum lasciviam quid mirum? Itaque ne refricarent civium animos, non nisi levissime tetigerunt publica vulnera. Scripsit Aristophanes Thesmophoriazusas et Ranas, quae fere totae ad artem poeticam spectant; quamquam in Ranis plura invenies de re publica admonita, id quod non mirabimur, si reputaverimus quando docta sit ea comoedia. Illo igitur tempore etiam id genus floruisse, cui Centaurum tribui et Proagonem, non insulse suspicabimur. Eligebat poeta fabulam carminibus celebratam vel tragoediis inlustratam, quam faceta imitatione in risum deflecteret. Polyidi autem famam tractaverat Aeschylus in Cressis, Sophocles in Vatibus, in Polyido Euripides. Iam quartus accessit Aristophanes eandemque fabulam parodia expressit. Ac sine dubio non pepercit Euripidi: totam autem comoediam eius inridendi causa scriptam non modo non potest probari sed ne simile quidem est veri. Ex paucissimis fragmentis nihil fere elici potest. Frg. I, vs. 2

legitur in Sophoclis Electra, (vs. 1173) unde tollendum esse et Euripidis Polyido adscribendum coniecit Bergkius; habes versum e tragoedia in comoediam translatum, cetera obscura.

53. **Protesilaus.**

Huius fabulae apud Aristophanem mentio non fit.

54. **Rhesus** docta ab adulescentulo Euripide, Alexandrinorum iam aetate deperdita; non tangitur ab Aristophane.

55. **Stheneboea** acta ante 423.

Argumentum reprehenditur ut foedum et tragoedia indignum in Ran. vs. 1043. Mira narrant eiusdem comoediae vs. 1050, 1: adeo puduisse nobiles quasdam uxores Bellerophontis Euripidei, ut mortem sibi ipsae consciscerent. Quid nam veri subsit equidem statuere non audeo, praesertim cum ne scholiastam quidem de re illa permira perque obscura quicquam scisse videam. Quapropter cohibendum censeo adsensum ab eis, quae Welckerus de trag. Gr. p. 783, 4 et Fritzschius ad vs. 1051 exposuerunt; silet Kockius. In Thesm. vs. 403. 4 tangitur frg 667, non inridetur; etenim si callida ratione explicat Mulier, persuadere illo versu poetam maritis, ut uxoribus diffiderent, quo tandem nomine exploduntur ea verba, quibus nitatur tam ridicula ratiocinatio? Quasi vero cavere debeant poetae, ne quis petulanter verbis suis abutatur! Praeterea in Vespis bis tetigit comicus Stheneboeam; utroque loco (vs. 111 cf. frg. 668, vs. 1074 cf. frg 666) nihil cernitur inrisionis. Pac. vs. 126 totum ex eadem tragoedia petitum esse Meinekius coniecit, cf. schol. et Nauck. ad frg. 665. Denique tertio prologi versui adhaeret *τὸ ληκύθιον* in Ran. vs. 1219.

56. **Scyrii**

non commemoratur apud Aristophanem.

57. **Troades** acta 415; non tangitur.

58. **Telephus** acta 438.

Nullam Euripidis tragoediam facetius inrisit, acrius reprehendit, crudelius laceravit Aristophanes quam Telephum. Itaque editores eius plerique non satis facturos sese muneri opinati sunt, nisi fortiter pronuntiassent, quanto opere ipsi contemnerent istam tragoediam. Aliter senserunt Athenienses,



aliter Aristoteles, aliter posteri: quid refert? At nolui de arte Euripidea disputare: revertor ad Aristophanem.

Lepidissima illa Acharnensium scaena in eo posita est, quod Dicaeopolis metuens, ut persuadeat choro mortemque effugiat, Euripidem adit mutuaturus miserabilem aliquem vestitum. Iam sequitur miserrimorum heroum ille catalogus; at nullus tanta misericordia dignus videtur quanta Telephus mendicus. Eius igitur habitu indutus orationem suam habet Dicaeopolis plenam versuum ex illa tragoedia petitorum: scilicet imbibit etiam animo versutam illam ac spinosam dicendi artem, qua excellebat Telephus. Longum est singulos versus enumerare vel quid in quoque loco insit ludibrii adcurate exponere. Inridetur Telephi miseria ut indigna tragica arte, inluduntur ut ex trivio adreptae vilissimae illae res, quibus praeditum induxerat eum poeta [1]) exploduntur argutiae orationis. Omnia autem tam lepide, tam ingeniose, tam salse proferuntur, ut nihil umquam perfectius scripserit Aristophanes. Nec vero obliviscendum est, minime omnes versus, qui e tragoedia recipiuntur, inludi; utitur Dicaeopolis eis, qui quadrent ad rem exponendam. Sed inspiciamus iam ceteros locos, quibus tangitur eadem tragoedia. Dicaeopolis ubi videt Acharnensium furorem non posse mitigari, carbonum corbem adreptam clamat sese interfecturum, qua re commoventur carbonariorum animi. Ridiculam hanc esse imitationem scaenae illius, in qua parvulum Orestem adripit Telephus, in propatulo est At evolve scholia: ad vs. 332 haece invenies adscripta: *τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών.* Itaque Aeschyli Telephus eodem artificio est usus, neque Euripidis solius inventum a comico lepide transferri intellegitur, inrideri non dixerim [2]). Confert recte scholiasta Thesmophoriazusa-

[1]) *τἀκόλουθα* scil. *τῶν ῥακῶν*, velut *τὸ μύσιον πιλίδιον*, *τὸ πτωχικὸν βακτήριον*, similia, de quibus facete dicit Dicaeop.

χρέος μὲν οὐδέν, βούλομαι δ' ὅμως λαβεῖν.

[2]) Fuerunt qui errasse scholiastam contenderent et solum Euripidem designari a poeta; videlicet ne Aschylo obtrectasse videretur bonus Aristophanes; v. contra O. Jahn. ‚Telephus u. Troilus', p. 36, 38.

rum eum locum, ubi Adfinis Euripidis utrem eripit uni ex instantibus mulieribus (vs. 689 sq.); nimirum pro infante utrem habet illa, quem sibi ademptum misere vociferatur. In Ach. vs. 8 verba *ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι* ex Telepho recipiuntur sine ulla inrisione [1]) Transeamus iam ad alias comoedias. Atque in Ranis quidem iterum reprehendi eandem tragoediam eademque probro verti poetae necesse est; adde Thesm. 24. Alio autem loco exagitatur Telephus nullo. Etenim si in Equ. vs. 1240 Euripideis verbis utitur Cleo, aptissime ea adsciscuntur, inridentur minime. Ac plane idem equidem sentio de Equ. vs. 813 = Plut. 601 (ubi cf. Hemsterhusi adn.) = Tel. frg. 723 (ubi v. Naucki adn.), idem de Nub. vs. 891 (cf. frg. 721) et Pac. vs. 528 [2]) = frg. 727, idem denique de Lys. vs. 706 = frg. 704 [3])

59. Temenidae;

tangitur teste scholiasta in Ran. vs. 1338; in ridiculo illo cantico, quod Euripideo tamquam more componit Aeschylus, ex hac quoque trag edia quaedam petit, quae ipsa per se non inridentur; quae verba Euripidis fuerint difficile est ad definiendum.

60. Temenus numquam respicitur in Aristophanis reliquiis.

61. Hypsipyla acta intra annos 411—409.

Ad prologi tertium versum quadrare *τὸ ληκύθιον* ostenditur Ran. vs. 1213. In ridiculo carmine ex choricorum Euripidis poematum locis consuto vs. 1320 et 1322 Hypsipylae adtribuuntur; ipsa verba non exploduntur. Salsissime vero frg. 755 deflectitur in Ran. vs. 1327 ad carminum mendosam varietatem

[1]) Ach. vs. 659 sq., de quibus vidimus p. 19,20. ad Telephum retulit Bergk. (rell. com. ant. Att. p. 185. 6) sine iusta opinor causa; probavit tamen O. Jahn p. 26, 27.

[2]) De schol. Pac 528 v. Wilam. An. Eur. p 155.

[3]) De Telepho ab Aristophane inrisa adeo constabat grammaticis; ut interdum mera coniectura versus quosdam ad eam videantur retulisse. Huc revocandum schol. Ach. 472: *τοῦτο κεκωμῴδηται ἀσήμως ἐξ Οἰνέως Εὐρ.: ἀλλὰ Σύμμαχος καὶ ἐκ Τηλέφου φησὶν αὐτό.* Ran. vs. 1400, quem Aristarchus ad priorem Telephi editionem revocavit, *μὴ σῳζομένης* tragoediae erat (v. Wilam. p. 146, 1). Frg. 878 facetissima parodia exprimitur Ran. vs. 840; Telepho fortasse recte adtribuit Musgravius.

inridendam. De eiusdem comoediae vs. 64 recte iudicavit Kockius, quem Ribbeckius videtur non satis adcurate inspexisse: ille enim negat, inrideri Euripidem, ac rectissime negat. De Nub. 603 sq. non debebat Ribbeckius credere scholiastae. Eccles. vs 110 et 115 e tragico dramate petitos esse indicat scholiasta (ἐκ τραγῳδίας τοῦτο). Quaerenti ex quonam respondit ex Hypsipyla Meinekius in Vind. Aristoph. p. 186; quae coniectura quamvis sit ingeniosa, tamen satis incerta est et dubia. Etenim fieri potuit, ut scholiasta nulla alia de causa illam adnotationem scriberet, nisi quod sentiebat, tragice loqui poetam. Sed petierit illos versus ex Hypsipyla Aristophanes: inrisionem cognosces nullam. Postremo Dindorfi opinionem, in Lemniis eam maxime tragoediam esse exagitatam, satis refutavit Bergkius in Com. II, p. 1096, 7.

62. Phoenissae acta 411—409.

Scripserat etiam Aristophanes Phoenissas, quam totam spectasse ad tragoediam Euripideam deridendam satis futtilis est Dindorfi opinio[1]); frg. II ad similitudinem Eur. Phoen. vs. 236 compositum videtur, ac ne hic quidem cernitur inrisio. Omnia quae de Polyido copiosius supra exposui, revoca ad Phoenissas: cognosces, quid de hac fabula cum aliqua probabilitate conligi possit[2]). Ceterum non est neglegendum scholium ad Ran. vs. 53 adscriptum: (Andromedae meminit poetae) διὰ τί δὲ μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν, Ὑψιπύλης Φοινισσῶν, Ἀντιόπης; — ἀλλ' οὐ συκοφαντητὰ ἦν τὰ τοιαῦτα; ex quo licet concludere, doctissimum illum quidem grammaticum de Hypsipyla aut Phoenissis aut Antiopa ab Aristophane inrisa nihil habuisse compertum.

63. Philoctetes acta 431.

[1]) Recte eam aspernatur Ribbeckius; sed cur idem Strattidis Phoenissas, cuius eadem prorsus ratio est, totam in Euripide inludendo versatam esse putat, equidem non intellego.

[2]) Cf. Bergk. Com. II, p. 1167. Welcker de trag. Gr. p. 583. Hartung. Eur. rest. II, p. 469, 70. Quod Wilam. Anal. Eur. p. 179 adfirmat, scripsit contra Euripidem Polyidum et Phoenissas minime probo.

Miseri Philoctetae panni ridentur in Ach. (vs. 423, 4); frg. 786, 1 respicit Aristophanes in Ran. vs. 282 sine ulla cavillatione.

64. Phoenix acta ante 425.

Caecitas Phoenicis ludibrio est comico in Ach. vs. 421.

65. Phaetho acta ante 425.

non tangitur.

66. Phrixus.

Prologi secundo versui adfigitur τὸ ληκύθιον in Ran. vs. 1226. Quae de duplici tragoediae huius recensione traduntur explosit Wilam. An. Eur. p. 158.

67. Chrysippus acta intra annos 411—409;

non tangitur in Aristophanis reliquiis.

Quos versus Euripideos ex incertis fabulis petitos tetigerit Aristophanes enumerare mihi non est in animo. Neque enim huc pertinent, ubi de singulis tragoediis quaeritur. Ceterum non ita multi sunt, et si qui forte adhuc latent, id quod nec negari potest nec adfirmari, latere pergent propterea quod numquam adcurate dispicias, quid comico sit παρατραγῳδοῦντι, quid tragico tribuendum.

Nunc quoniam omnia contulimus, quae ad singulas tragoedias spectant inrisas, restat, ut subducamus summam et explicemus, quaenam inde perspiciatur Aristophanis ratio in exagitando Euripide. Reminiscamur igitur, quas fabulas invenerimus a comico ita respectas, ut cerneretur aliquid inrisionis; nec enim ceterae hic veniunt in censum. Iam primum neminem fugere potest, si ita distinguuntur facete dictorum genera, ut ego in singulis locis enumerandis recte opinor distinxi, mirum quantum minui earum fabularum numerum, quas re vera inrisit Aristophanes. Accedit quod inter eas sunt, quae uno loco perstringantur satis leviter, quarum unus vel pauci versus improbentur. Eius generis sunt Alexander Antiopa Iphigenia Taurica; addenda fortasse Hecuba, atque etiam Polyidum et Phoenissas adnumeraverim, si quidem singulos tantum earum locos inlusos esse veri est simile. Quid? si in Alexandro legebatur illa quam perstringit comicus translatio χρόνου προὔβαινε ποὺς, idcircone statuemus, rideri i-

psam tragoediam? Si facete exploditur inutile poetae artificium, quo Thoantis nomen duxit a θοός, idcircone arbitrabimur, improbari ipsam Iphigeniam? ‚At vituperatur prologus'. Recte mones. Prologi simplicitas ac tenuitas inluditur μὴ σῳζομένης cuiusdam tragoediae Hypsipylae Stheneboeae Phrixi Iphigeniae Meleagri Melanippae Itaque alterum fabularum genus statuere licebit, quarum certa quaedam pars sola irridetur; quo revocandae Hypsipyla Phrixus Iphigenia Meleager. Forsitan quispiam addiderit Alcestin, in qua Admeti cum patre conloquium explodi erunt qui contendant, non qui mihi persuadeant. Accedit fortasse Cretes, cuius cantica sola videntur vexata. Iam supersunt septemdecim tragoediae, quarum latius pateat inrisio.

1.	Telephus	acta 438
2.	Philoctetes	„ 431
3	Hippolytus I,	„ ante 428
4.	Hippolytus II,	„ 428
5.	Bellerophontes	„ ante 425
6.	Thyestes	„ ante 425
7.	Ino	„ ante 425
8.	Oeneus	„ ante 425
9.	Phoenix	„ ante 425
10.	Stheneboea	„ ante 423
11.	Aeolus	„ ante 421
12.	Palamedes	„ 415
13.	Auga	„ post 415
14.	Andromeda	„ 412
15.	Helena	„ 412
16.	Melanippa Sapiens	„ ante 411
17.	Melanippa Captiva	

Iam conferamus quae Wilamovitius (Anal. Eur. p. 172) sq. de poesis Euripideae aetatibus enuncleavit, ubi singulorum dramatum tempora etiam adcuratius definivit.

‚Euripides iuvenis ad id incubuit, ut novis et inauditis fabulis Atheniensium animos delectaret.' Probari enim potest aut conligi non sine veri specie, ante annum 430 doctas esse decem eius fabulas, quibus nova in scaenam induxit, eodem-

que revocari posse alias tres. Cuius generis sunt Aeolus Bellerophontes Oeneus Stheneboea Ino Phoenix; ex tredecim igitur illis inrisit Aristophanes sex, improbans nova argumenta ut indigna tragica arte et turpia. Contra vulgaris argumenti ante 430 doctae videntur quinque tragoediae, ex quibus tres exagitavit comicus Thyestem. Telephum Philoctetam. Accedit prior Hippolytus; si ultra 430 progredimur, incidimus in Hippolytum alteram. Iam vero inde ab anno 428 usque ad 415 magna hiat lacuna. Num id soli casui tribuemus? Quid? si ostenditur, intra hos annos certi cuiusdam generis tragoedias actas esse omnes?

‚Euripides postquam tragoediis, quales prima aetate composuit plausus Atheniensium sibi parare non potuit, — ad Atticas fabulas se convertit; itaque ad Aeschyli exemplum civium animos permovere studuit fabulis ita dispositis, ut res publica Atheniensium agi videretur consiliaque dari praesenti rerum statui convenientia'. (Wilam. An. Eur. p. 178, 9). Quo consilio scripsit Herculem Heraclidas Cresphontem Erechtheum Supplices Ionem, quas omnes eo tempore, quod inter illos terminos iacet, actas esse potest probari. Adde Andromacham, qua id egit poeta, ut Argivorum contra Spartanos odia incenderet ‚Illas autem fabulas,' inquit Wilamovitius, ‚Aristophanes vix semel bisve neque semper inridendi causa respicit'. ‚neque umquam inridendi causa' rectius dixisset. Quod si tenemus, ecce inlustratur quodam modo illud Agricolarum fragmentum, quo eximium Cresphontae Euripideae carmen expressit Aristophanes.

Sed illud etiam fabularum genus abiecit senex Euripides[1]) Etenim inde ab anno 416 vulgaria praecipue argumenta tractavit, at novis ac portentosis inventis inluminata; cuius generis quindecim nominari possunt tragoediae, cum nova argumenta quattuor tantum illius temporis dramatis protulerit. Aristophanes autem non desiit, inaudita illa μηχανήματα explodere, non destitit, novam et sermonis et musicae artem a-

[1]) Quod cur fecerit certo diiudicare nemo volet; sed ingeniosissimam coniecturam fecit Wilamovitius p. 179.

cerbe reprehendere, non dubitavit, mulieres illas, quas induxit Euripides philosophantes magnisque animi perturbationibus commotas, spernendas esse atque reiciendas proclamare. At memorabile videtur, non posse ostendi, ullam tragoediam post 411 doctam a comico esse inrisam; qua de re coniecturam periclitari non audeo.

Iam vero ut finem faciam, brevi comprehendere mihi in animo est quae hace dissertatione demonstrasse mihi videor. Statuendum igitur arbitror

primum: omnia, quae ab Aristophane de Euripidis genere moribus rebus domesticis salse proferuntur, ficta esse et fide indigna et a vitae scriptoribus reicienda;

deinde: si adcurate inquirimus quasnam fabulas Euripideas ab Aristophane inrisas ostendere possimus, exiguam tantum modo earum partem re vera explosam inveniri; id quod solo casu factum non est. Vidimus enim, secundae illius aetatis fabulas numquam esse exagitatas; ex quo intellegitur, eam quidem poesis Euripideae partem non improbandam indicavisse Aristophanem. De ceteris tragoediis non inlusis equidem nihil adfirmo; quamquam nescio an contingere possit, ut vir doctior me et peritior aliquid eruat. Cui si ego prolusisse quasi viamque aperuisse videbor, magnopere gaudebo. Hoc autem loco unum mihi liceat addere. Omisi eas res enumerare, quae poesi Euripideae in universum obiciuntur, omisi quae de singulis tragoediae partibus proferuntur singillatim enarrare. Quid enim iuvat, ea repetere, quae ipse Aristophanes in Ranis tam egregie declaravit? an vero tamquam auxilio venire debui eis, qui divinam illam comoediam non legerint? Accedit, quod non inepte suspicabimur, quae in universum contra Euripidem dicuntur ad eas potissimum fabulas pertinere, quas nominatim adlatas alibi invenimus Omisi denique copiosius exponere, merito male dixerit Euripidi Aristophanes necne; neque vero dissimulavi, minime stare me ab eorum partibus, qui de hac etiam quaestione comici, ut ita dicam, recinunt dictata.

VITA.

Natus sum Carolus Lessing Berolini die XIV mensis Augusti anno h. s. LIII patre Maximiliano, matre Berta e gente Steindorff, quos ambo adhuc superstites veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Sex annos natus scholae reali quam vocant traditus postquam primis litterarum elementis imbutus sum, transii triennio post ad gymnasium illud celeberrimum, quod a vetere monasterio nomen traxit. Ubi a Bellermanno directore in IV classem receptus reliquos deinceps altiores gradus adscendi. Anno h. s. LXVII Hermannus Bonitz scholam illam regendam in se suscepit, cui viro et doctissimo et humanissimo maximam me gratiam et debere et habere libentissime profiteor. Maturitatis testimonium adeptus anno LXX universitatem adii Berolinensem, cuius civis fui per octies sex menses. Praeceptoribus usus sum hisce v. d.: Althaus, Bellermann, Bonitz, Bresslau, Curtius, Droysen, Hassel, Haupt, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Lazarus, Mommsen, Mullach, Nitzsch, Solly, Steinthal, Wattenbach, Wilamovitz, Zeller. Ad exercitationes philologicas et epigraphicas Huebnerus et Kirchhoffius, ad Aristotelicas Bonitzius, ad historicas Mommsenus et Nitzschius aditum mihi benigne concesserunt; postremo Wiliamovitio permulta debeo, cuius societati philologicae per sex menses fui adscriptus. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Examen rigorosum Halis die XII mensis Decembris a. LXXVI, examen pro facultate docendi Berolini sustinui h. a. die XXIII mensis Januarii.

Sententiae controversae.

I.

Ar. Vesp. vs. 530 delendum puto.

II.

Soph. O. C. vs. 560,1 ita scripserim:

δίδασκε· δεινὴν γάρ τιν' ἂν πρᾶξιν τύχοις
λέξας, ὁποίας ἐξαφισταίμην ἐγώ;

III.

Hor. Serm. II 3,11 Platonen designari nou philosophum clarissimum, sed mediae comoediae poetam, persuasit mihi Wilamovitius.

IV.

Valeri Flacci Argonautica ad finem perducta fuerint necne di iudicari nequit. Sed in ipsis octo qui extant libris imperfecti carminis certa deprehendi indicia, persuasit mihi neque Thilo neque Schenkelius. Rectius de hac re iudicavit Baehrensius, qui tamen et ipse multa protulit improbabilia.

V.

Recte Grotius et Stedefeldtius statuerunt, in oratione contra Agoratum habita temporum ordinem consulto esse a Lysia mutatum.

VI.

Cleophonti Atheniensi iniuria fieri solet ab historiae Graecae scriptoribus.

DE ENUNTIATORUM INTERROGATIVORUM APUD ARISTOPHANEM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
ALBERTINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XXII. MENS. JUL. A. MDCCCLXXXII. HORA XI.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

THEODORUS LUDWIG
SEEBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
RUDOLFUS HECHT, DR. PHIL.,
OSCARUS KUHFELDT, CAND. PHIL.

REGIMONTII PRUSSORUM.
MDCCCLXXXII.
TYPIS KIEWNINGIANIS.

ARTHURO LUDWICHIO

S.

De enuntiationibus interrogativis, quales ipsae sint apud Aristophanem, in universum disputaturi, nonnunquam tantummodo levius rem nos perstrinxisse, ne quis credat, id monemus, nobis in mente non esse, in hac dissertatione, quae vulgo nota sunt, fusius explicare. Immo vero satis habebimus, quae cum aliis scriptoribus Aristophani communia sunt, paucis tantum complecti quaeque ei propria accuratius diligentiusque tractare permultisque exemplis ex Aristophane petitis docere. Qua in re, quamquam non ignoro, de enuntiatis interrogativis in universum a recentibus grammaticis, velut a Matthiaeo, a Thierschio, a Kruegero, imprimis autem a Kuehnero luculenter tractatum et ab aliis viris doctissimis hic illic nonnulla scitu dignissima hac de re addita esse, tamen spero, cum nemo adhuc, quod vidi, sermonem alicuius scriptoris Graeci hanc in partem perquisiverit, operae fore pretium, materiam institutam absolvere, quod et non pauca, quae arti criticae usui erunt, proferam et de locis quibusdam dubiis certum aliquo modo iudicium facere nonnullaque non recte in comicum nostrum illata eiicere conabor.

Sed priusquam ad id, quod nobis proposuimus, propius accedamus, paucis in universum dicendum est. Duo sunt genera enuntiatorum interrogativorum, prout interrogatio elatione vocis sola efficitur aut exprimitur per vocabulum aliquod vere interrogativum, sive id est pronomen vel adverbium interrogativum sive particula interrogativa. Ac primum quidem prioris generis interrogationes apud Aristophanem cum non sint admodum crebrae neque multum prae-

beant difficultatum, non est, cur separatim de iis solis disputemus; quibus in adhibendis quod Aristophanes ab aliorum scriptorum loquendi ratione differt quodque notatu dignum videtur suo semper loco afferemus Liceat igitur transire ad enuntiata interrogativa per vocabulum aliquod interrogationi proprium prolata. Quibus in describendis ea utar distributione, ut primum de interrogationibus per pronomina vel adverbia expressis disseram, altero deinde capite quae per particulas interrogativas fiunt interrogationes explicem, denique qui modorum in interrogationibus apud Aristophanem usus sit paucis dicam. Laudo Aristophanem ex editione Meinekiana.

Caput primum.

De enuntiatis interrogativis, quae per pronomina vel adverbia interrogativa inducuntur.

Ac primum quidem harum interrogationum rectarum, quae vocantur, formas, quales sint apud Aristophanem, ut consideremus, facile, si in universum judicaverimus, reperiemus, ut apud ceteros auctores ita apud Aristophanem interrogationes rectas proferri per pronomina vel adverbia interrogativa *τίς, πότερος, ποῖος, πόσος, πῇ, ποῖ, ποῦ, πῶς, πόθεν, πότε.* Quibus vocibus interrogativis sicut ceteri ita etiam comicus noster saepius atque saepius in interrogationibus obliquis, quae dicuntur, utitur, quod silentio transmisissem, nisi G. A. Hirschigius in philolog. vol. V. p. 276. seq. non paucis locis Aristophani illam constructionem abrogasset certisque tantum condicionibus admisisset ideoque nonnullis locis optimam manuscriptorum lectionem commutasset. Quorum versuum cum nonnulli postea aliis de causis mihi afferendi sint, hoc loco occasione data rem veritatemque paucis verbis in lucem proferam. Hirschigius enim, cum

censeat, vocabula interrogationi rectae propria in interrogationibus obliquis tantummodo adhibenda esse, si interrogationes ab imperativis *φράζε, φράσον, κάτειπε,* sim. pendent, non paucis locis, in quibus interrogationes ab aliis verbi formis pendent neque incidendum est inter verbum et vocabulum, quod interrogationem profert, corrigens relativi formam tam pronominis quam adverbii restituit. Recte quidem vir doctus illos imperativos *φράζε, φράσον, κάτειπε,* sim. extra interrogationem positos esse dicit, nam revera interrogationes ab illis imperativis pendentes quasi rectarum interrogationum modo interrogant [1]). Sed his locis solis quis est qui Hirschigio assentiatur pronomina vel adverbia interrogationi rectae propria adhiberi? Loci, quos Hirschigius correxit in Aristophane, sunt:

Plut. 23. *λῆρος· οὐ γὰρ παύσομαι*
πρὶν ἂν φράσῃς μοι τίς ποτ' ἐστὶν οὑτοσί·

pro *μοι τίς* scribendum esse putat *ὅστις.* nisus versibus qui leguntur in Plut. 56. 18. Nub. 359. 374. Pac. 428. 1053. ubi *ὅστις* reperitur. Eadem ratione correxit

Plut. 1171. *τίς ἂν φράσειε, ποῦ 'στι Χρεμύλος μοι σαφῶς;*
Lys. 1086. *τίς ἂν φράσειε, ποῦ 'στιν ἡ Λυσιστράτη;*
in fragm. apud Phrynich. p. 367. edit. Lobeck.
τίς ἂν φράσειε, ποῦ 'στι τὸ Διονύσιον;

legendo *φράσει' ὅπου* pro *φράσειε ποῦ.* Plut. 1171. iam Cobetus scripserat *φράσει' ὅπου,* quem valde miror secutum esse hoc uno loco Meinekium in Aristoph. ed., qui duobus aliis locis traditam lectionem recte servavit.

Plut. 53. *ἣν δ' ἡμῖν φράσῃ*
ὅστις ποτ' ἐστὶν οὑτοσὶ καὶ τοῦ χάριν
καὶ τοῦ δεόμενος ἦλθε μετὰ τῶν ἐνθαδί,

Hirschigius non levi mutatione scribit *χὤτου χάριν — χὤ-*

---

[1]) cfr. Kruegerum in gramm. 51. 17. 2.

του δεόμενος pro tradito *καὶ τοῦ χάριν — καὶ τοῦ δεόμενος,* ad rationem versuum, qui sunt

Plut. 259. *πρὶν ταῦτα καὶ φράσαι μοι*
ὅτου χάριν μ' ὁ δεσπότης ὁ σὸς κέκληκε δεῦρο.

et Pac. 89. *χὤτου ποτ' ἐστὶ δαιμόνων ἡ προσβολὴ*
οὐκ οἶδ'.

Legit Eccl. 867. *οὗτος γὰρ ἀνὴρ ἕνεκά γε στεναγμάτων*
οἶδ' ὅ τι πρωκτὸς βούλεται χεζητιῶν.

pro tradito *οἶδα τί πρωκτὸς κτέ.*

Av. 1210. *οὐκ οἶδα μὰ Δί' ἔγωγε καθ' ὁποίας πύλας;*
pro codicum lectione *κατὰ ποίας πύλας.*

Quas omnes coniecturas concedendum est cum salvo metro fieri posse, sed omnes, ne quid gravius dicam, supervacaneas esse neque minimam exstare causam, cur a tradita lectione recedamus, nunc brevi exponamus. Ac primum quidem quis est, qui nonnullorum exemplorum auctoritate alios locos ab illis discrepantes apud omnes vero scriptores non raro lectos corrigendos esse putet? Tum vir doctus, id quod maximi momenti est, non omnes hujuscemodi constructionis apud comicum locos sanavit, pauci tantum sunt, quos correxit, multo plures non attigit. Quos omnes si considerasset, facere non potuisset, quin intellegeret, in multis eorum metrum emendationem vix pati multisque in versibus relativi formam et pronominis et adverbii metri gratia nullo modo restitui posse. Quo certius de hac re constet, haec afferam exempla.

Av. 404. *κἀναπυθώμεθα τούσδε, τίνες ποτὲ*
καὶ πόθεν ἔμολον,
ἐπὶ τίνα τ' ἐπίνοιαν.

Thesm. 4. *παρὰ σοῦ πυθέσθαι, ποῖ μ' ἄγεις, ὦὐριπίδη;*

ibid. 408. *ἀνὴρ ἐρωτᾷ, τῷ κατέαγεν ἡ χύτρα;*

Ran. 1252. *φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω,*
τίν' ἄρα μέμψιν ἐποίσει . . . .

Pac. 20. *ὑμῶν δέ γ' εἴ τις οἶδ' ἐμοὶ κατειπάτω*
πόθεν ἂν πριαίμην ῥῖνα μὴ τετρημένην;

Quibus allatis dubium non esse potest, quin apud Aristophanem vocabula interrogationi rectae propria etiam in obliqua interrogatione adhibeantur omnibusque in illis locis ab Hirschigio correctis nihil mutandum, sed quas codices exhibent lectiones verae recipiendae sint. Nam nemo Hirschigio adstipulabitur, qui illis, quas antea commemoravi, coniecturis factis ita disserit: „Ex his omnibus luce clarius apparet, corrupta esse, quae metrum mutari sineret, sana vero, quae non sineret.“ Denique videas velim, quid Elmsleius ad Euripid. Med. v. 1103. de nonnullis eorum, quos Hirschigius correxit, versuum dixerit quidque Ellendtius in Lex. Sophocl. p. 731. ea de re adnotaverit quaeque exempla contulerit, in quibus *τίς* pronomen a Sophocle pro *ὅστις* pronomine in interrogatione obliqua usurpatur.

Sed haec hactenus. Transeamus ab hac quaestiuncula nimis levi et quae minimi momenti ad maiora. Nullus exstat apud comicum locus, in quo quibus interrogationes obliquas profert pronomina vel adverbia interrogativa ad interrogationem rectam exprimendam adhibuit. Cuius regulae exceptió esse videtur, revera autem non est, si quis ad interrogationem responsurus quaestionem repetens *ὅστις, ὅπως, ὅπου, ὁπόθεν* sim. pro *τίς, πῶς, ποῦ, πόθεν* sim. usurpat, quoniam in animo subaudit *ἐρωτᾷς;* Sic Av. 299. Euelpidi quaerenti: *τίς γάρ ἐσθ' οὔπισθεν αὐτῆς;* Epops interrogans respondet: *ὅστις ἐστί; κειρύλος.* ibid. 997. Pisthetaero quaerenti *σὺ δ' εἶ τίς ἀνδρῶν;* Meton *ὅστις εἴμ' ἐγώ; Μέτων — ὃν οἶδεν Ἕλλας χὼ Κολωνός.* Nub. 214. interroganti Strepsiadi *ἀλλ' ἡ Λακεδαίμων ποῦ 'σθ';* Socratis discipulus: *ὅπου 'στίν; αὑτηί.* Cuius rei alia exempla habes Av. 164. 959. 1498. 1529. 1640. Thesm. 96. 203. 252. 483. Nub. 677. 689. 753. 760. 1248. 1495. Eq. 128. 1073. Vesp. 48. 798. 956. 1443. Ach. 105. 595. 959. Ran. 198. Plut. 139. 349. 462. Eccl. 521. Pac. 701. 883. 1215. Lys. 187.

Quae dicendi ratio ab omnibus scriptoribus Graecis constans quasi Graeci sermonis lex observata et a nostro poeta tot

locis recte usurpata mirum est quod in sex locis ab Aristophane neglegitur. Respondet enim Av. 608. choro quaerenti: παρὰ τοῦ; Pisthetaerus παρὰ τοῦ; παρ' ἑαυτῶν. ibid. 1234. Pisthetaero interroganti: τί σὺ λέγεις; ποίοις θεοῖς; Iris: ποίοισιν; ἡμῖν τοῖς ἐν οὐρανῷ θεοῖς. Nub. 664. Strepsiadi quaerenti: πῶς δή; φέρε. Socrates: πῶς; ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών. Pac. 847. famulo interroganti: πόθεν δ' ἔλαβες ταύτα σύ; Trygaeus: πόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ. Ran. 1424. Euelpidi quaerenti: ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην; Liber: τίνα; Eccl. 761. civi cuidam interroganti πῶς; alter πῶς; ῥᾳδίως.

Quae cum ita sint, quid mirum, quod multi et docti critici hos versus librariorum culpa corruptos et depravatos esse censentes emendare conati sunt, quo factum est, ut tres quidem loci, Av. 608. ibid. 1234. Pac. 847. facili mutatione sanati esse mihi videantur. Et quidem Av. 608. Bekkerus in sua Aristoph. editione conjectura, quae satis mihi probatur, pro altero παρὰ τοῦ legendum proponit παρ' ὅτου, attamen in contextu traditam lectionem servavit, qua in re eum secutus est Dindorfius. Meinekius vero et Kockius hanc commutationem perfacilem receperunt. Quod legitur Pac. 847. Fam. πόθεν δ' ἔλαβες ταύτα σύ; Tryg. πόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ. Cobetus qua literarum mutatione nulla esse potest levior plane sanavit scribendo: Fam. πόθεν δ' ἔλαβες ταύτας; Tryg. ὁπόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ. quod idem Meinekius solus recepit. Versum, qui est in Av. 1234. ubi Pisthetaero quaerenti τί σὺ λέγεις; ποίοις θεοῖς; Iris respondet: ποίοισιν; ἡμῖν τοῖς ἐν οὐρανῷ θεοῖς. Meinekius ita correxit, ut pro ποίοισιν scriberet οἵοισιν. In his tribus locis fatendum quidem est manuscriptorum lectionem facillima semper emendatione ad consuetum dicendi usum revocari posse. Quod idem esse primo obtutu videtur, revera autem non est, ut paulo post demonstrabimus, Nub. 664. ubi codices praebent: Str. πῶς δή; φέρε. Socr. πῶς; ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών. Hoc loco iam Hoogeveenus conjecit, forte legendum esse: Str. πῶς δή; φέρ'. Socr. ὅπως; ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών. quod

G. Hermannus ad Viger. ed. IV. p. 445. reponendum esse censet et in Nub. editione in contextum recepit, qua in re eum secutus est Meinekius, qui tamen, cum Rav. codex praebeat πῶς; in vindic. Aristophan. libro p. 73. dubius haeret, Hermanni distinctionem probet an hanc: Str. πῶς δή, φέρε πῶς; Socr. ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών. quae ei maiorem commendationem habere videtur. Equidem hoc loco Ravennati codici, quem in his sex locis falsam lectionem exhibere constat, non tantam fidem haberem, ut πῶς retinendam esse censerem; immo vero Hoogeveeni emendationem quam levissima mutatione factam sine dubitatione acciperem, nisi metrum ea perimeretur et altera, quam paulo post afferam, mihi constaret causa, qua hanc emendationem per se admodum probabilem repudiare cogor.

Versum qui est Eccl. 761. Chrem. κακοδαίμων ἄρ' εἶ
νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα. Civ. πῶς. Chr. πῶς; ῥᾳδίως.
sensu cassum et corruptum multi iam dudum opinati sunt, quae suspicio valde augetur, quod nemo adhuc quid ῥᾳδίως hoc loco sibi velit, recte intellexit. Bothius, qui hoc in loco iocum inexspectatum inesse voluit, nihil ad ῥᾳδίως vocabulum recte explicandum attulit. Quare Bergkius mutandum esse putavit

κακοδαίμων ἀρεῖς;
νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρ' ἀποίσω. — δαιμονᾷς;

cui assentiri nullo modo possum, cum emendatio ab eo, quod codices praebent, nimis multum recedat cumque in locis, qui sermonis Graeci quasi legi cuidam adversantur, emendandis si lectiones in optimis codicibus traditas adeo mutamus, latissimus conjecturis campus pateat. Meinekius traditam quidem scripturam in contextum recepit, attamen in adn. critic. ad h. l. πῶς; ῥᾳδίως. corrupta esse censet et in vindic. Aristoph. libro p. 202. aut a sciolo hunc versum esse illatum suspicatur aut πῶς per incuriam iteratum esse

et *εἰ* particulam extrivisse opinatus totum locum ita restituendum esse existimat:

> Chr. *μέλλεις ἀποφέρειν;* Civ. *πάνυ γε.* Chr. *κακοδαίμων ἄρ' εἶ νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα.* Civ. *πῶς;* Chr. *εἰ ῥᾳδίως*
> *[αὐτὸς τὰ σαυτοῦ. χρήματ' ἀποβαλεῖς τάλαν.]*

Blaydesius valde miror quod in novissima Ecclesiazusarum editione codicum lectione in contextum recepta ad hunc locum adnotavit: „Corrupta haec videntur Bergkio, lacunosa Meinekio, quare non video. Offendere non debet *πῶς* pro usitatori *ὅπως* positum."

Non minorem nobis movet dubitationem qui ut paucis de eo disputemus superest versus Ran. 1422, ubi quaerenti Euelpidi *ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην;* Liber respondet *τίνα;* Id quod Bernhardyus in libro suo, qui inscribitur „Wissenschaftliche Syntax der griechischen Sprache" p. 443. voluit, *τίνα* alterum Euripidis verbis ita coniungendum esse, ut cum emphasi quadam ab Euripide iteraretur, hoc loco recte sese non habere, quod cum nisi in concitata oratione non fieret, satis recte Meinekius affirmavit, quam ob rem in vindic. Aristoph. l. p. 180. sibi aliam quam ipsa sententia ostendisset viam ineundam esse putavit. Itaque cum spurium hunc versum esse ab eodem interpolatore confictum, cui tot alii in hac fabulae parte versus debentur, ut demonstraret studeret, primam vidit offensionem in praecedenti versu

> *πρῶτον μὲν οὖν περὶ Ἀλκιβιάδου τίν' ἔχετον*
> *γνώμην ἑκάτερος; ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ.*

„Satis mirabiliter", inquit l. c., „dictum est *δυστοκεῖ*, quod cum significet ‚partu laborat' non intellego, quo id pacto huic loco accommodari possit. Intellegerem, si scriptum esset *διστομεῖ* ‚ambigue loquitur'." Equidem elegantissime hoc loco *διστομεῖ* e verbo *δυστοκεῖ* a Meinekio factum esse iudico, ut statim acciperem, si ullum huius verbi apud alios scriptores exstaret vestigium. Revera *δυστοκεῖ* quid sibi velit hoc loco facile non est intellectu. Sin vero Meinekii

coniecturam refutandam esse negas, casu potius ut nulla alia huius verbi vestigia exstent factum esse existimas, quoniam *δίστομος* adiectivum non raro nobis occurrit, Meinekius recte monet, ineptum esse, Euripidem e Libero quaerere *ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τίνα γνώμην;* spuriumque hunc versum ab interpolatore quodam additum esse necesse est.

Velsenius in novissima Ranarum editione tradita lectione in contextum recepta in adnotatione: „offensio illa", inquit, „quam in *τίνα* voce repetita inesse putat Meinekius, facile removeri potest, si scribitur: *ΕΥΡ. ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τὰ νῦν γνώμην τίνα; — ΔΙΟ. ποθεῖ κ. τ. λ.*"

Quae coniectura sine magna mutatione facta primo obtutu magnam commendationem habere videtur, qua in aliis verbis huius versus, in quo omnia alia verba, vocabulo interrogativo excepto, per se aptissime quadrant, nihil mutetur. Attamen comprobare eam non possum, nam primum *τίνα* pronomen interrogativum, quod nonnunquam ab Aristophane substantivo postpositum esse paulo post demonstrabimus, hoc loco non bene sequitur *γνώμην* vocem, tum altera difficultas, quam in sensus connexu positam esse iudico, non tollitur, cum versus sequens *ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ἔχειν.* pessime coëat cum interrogatione *ἔχει δὲ περὶ αὐτοῦ τὰ νῦν γνώμην τίνα;*

Quibus rebus expositis satis apparet, exempla, quae adversantur regulae, ut ad interrogationem respondentes, quaestionem si repetunt, relativi formam tam pronominis quam adverbii interrogativi adhibeant, facillima semper emendatione, ut nonnulli iudicaverunt, ad consuetum dicendi usum revocari non posse. Itaque ut nostram de his sex locis sententiam dicamus, primum contendo, cum contra communem dicendi consuetudinem Atticorum nostrum comicum scripsisse non facile putem, in his sex locis quem exhibent codices soloecismum, id, quod omnes praeter Meinekium Aristophanis editores fecerunt, pro vera lectione in contextum recipiendum non esse. Equidem hos sex locos

in duas divido partes, quarum prior continet illos tres locos, quos primos attuli, Av. 608. ibid. 1233. Pac. 847. in quibus corruptelam librariorum tantum neglegentiae tribuo. Quos si accuratius perspexeris, facile invenies, unumquemque eorum ad sensum explendum non solum opus esse, sed etiam quam aptissime congruere depravationemque eam esse, quae facile a librariis fieri potuerit quaeque quam facillima emendatione ad consuetam dicendi rationem revocari possit et iam ab illis, quos antea commemoravi, viris doctis revocata sit. Quam ob rem nullus ego dubito, quin revera Aristophanes scripserit Av. 608. *παρ' ὅτου* pro altero *παρὰ τοῦ;* Pac. 847. *πόθεν δ' ἔλαβες ταύτας;* Tryg. *ὁπόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ.* Av. 1234. incertum est, scripseritne comicus *ὁποίοισιν*, correpta antepaenultima *οι*, an *οἵοισιν;* quod Meinekius praetulit propter Plut. 849. Bleps. *ποῖός τις;* Chrem. *οἷος;* Bleps. *λέγ' ἀνύσας ὅ τι φῄς ποτε.* Equidem facio cum Meinekio, cum praesertim, si hanc coniecturam amplector, non opus habeam, parvum admodum exemplorum numerum, quae correptionem, quam vocamus, prae se ferunt, hoc meo adaugere. [1])

His tribus locis addiderim quartum, Nub. 664., sed non cum ea emendatione, quam proposuit Hoogeveenus, G. Hermannus et Meinekius in contextum receperunt. Nam quod illi viri scripserunt: Str. *πῶς δή; φέρ'.* Socr. *ὅπως; ἀλεκτρυὼν κά-*

[1]) videas velim quae exempla huius rei ex Aristophane Kockius ad Eq. 189 contulerit, qui inter alia etiam affert Vesp. 1369. Bdelycl. *οὐ δεινὰ τωθάζειν σε τὴν αὐλητρίδα τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα;* Philocl. *ποίαν αὐλητρίδα;* ubi *ποίαν* voculae paenultima corripitur. Attamen hic versus nihil facit, cum corruptum eum esse duobus de causis inter alios imprimis Bambergius in dissertatione sua „De cod. Rav. et Venet." p. 26. satis demonstraverit.

Aliter de hoc versu Bachmannus in dissertatione sua: ‚Coniecturarum observationumque Aristoph. Spec. I.' p. 127 indicavit. „Meinekius", inquit, „inconsiderate *οἵοισιν;* scripsit, sine causa me iudice dubitans restituere *ὁποίοισιν;* correpta antepaenultima, quod praesertim in 1. trim. pede facile excusatur."

λεκτρυών. duobus de causis ferri non potest. Ac altera quidem difficultas in eo posita est, quod hac emendatione metrum perimitur, qua cum singulae theses ita dividantur, ut una unius, altera alterius loquentis sit. Quatuor huiuscemodi locos, qui apud comicum inveniuntur, collegit Bambergius in dissertatione „de cod. Rav. et Venet," p. 27. Loci sunt.

Ach. 912. Nic. *ἐγὼ τοίνυν ὁδὶ*
φαίνω πολέμια ταῦτα. Boeot. *τί δαὶ κακὸν παθών;*

Nub. 1192. Str. *ἵνα δὴ τί τὴν ἕνην προσέθηκεν;*
Phid. *ἵν' ὦ μέλε.*

Ach. 800. Meg. *αὐτὸς δ' ἐρώτη.* Dic. *χοῖρε χοῖρε.*
Puell. *κοΐ κοΐ.*

Pac. 195. Tryg. *ἴθι νυν κάλεσόν μοι τὸν Δί'.* Merc.
ἰὴ ἰὴ ἰή,

e quibus duos primum allatos iam plane sanatos esse in editione Meinekiana, ubi rectissime priore loco *τί δέ* pro tradito *τί δαί*, altero *προσέθηχ';* pro *προσέθηκεν;* legitur, reliquos duos autem nihil valere, cum interiectionum singularis ratio sit, idem vir doctus bene addidit. Quibus allatis satis apparet, in Aristophanem per coniecturam eiusmodi exemplum inferri non oportere. Altera autem causa mihi est, cur illam coniecturam repudiem. Non raro enim, ut in altera huius dissertationis parte demonstrabimus, comico nostro placuit, interrogationibus imperativum *φέρε* particulae loco addere. qui semper, ut fas est, in sententiae initio positus undevicies apud nostrum poetam pronomini vel adverbio interrogativo praemittitur; sed nullus unquam locus exstat, ubi vocabulum *φέρε* vocibus interrogativis postpositum est. Deinde, quod ego ex thesauro, quem composuit Stephanus, videam, etiam apud ceteros scriptores hanc regulam comprobatam invenio; tum vero quippe cum ad augendam vim et vivacitatem loquentis pertineat hoc vocabulum omnino non secundo loco poni

debere nego. Qua ex re sequitur, ut *φέρε* vocula Strepsiadis verbis *πῶς δή;* nullo modo addenda sit.

Utraque autem difficultas tollitur, si scribis, id, quod Meinekius Hoogeveeni conjecturae postposuit:

Str. *πῶς δὴ, φέρε πῶς;* Socr. *ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών.*

ita ut *πῶς* cum emphasi quadam ab Euripide iteretur. Sed ne haec quidem coniectura satis mihi probatur. Nam ut concedam, Strepsiadem hoc loco cum emphasi quadam interrogare, ita ut vocabulum interrogativum repetat, quod quidem aegre concesserim, tamen Strepsiadem tam concitata oratio, ut non solum, quod fieri solet, voculam interrogativam iteret, sed etiam ad vim augendam alteri *πῶς* vocem *φέρε* praemittat, ad Socratem magistrum, a quo discere vult, prorsus dedecet, quam a Strepsiade revera alienam esse satis docent sequentia. Huc accedit, quod *φέρε* vox simili modo nunquam usurpata invenitur.

Omnia autem aperta sunt, si legis, quod ego Aristophanem scripsisse opinor:

Str. *πῶς δή; φέρ' ἴδω.* Socr. *ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών.*

Optime enim Strepsiades, quem Socrates ignorantiae stultitiaeque arguere et eiusdem verbis perstringere studet, cum se falsum aliquid dixisse sibi conscius non sit, e Socrate quaerat: *πῶς δή; φέρ' ἴδω.* ad quod ille statim cum ironia: *ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών.* Tum *φέρ' ἴδω* formula est more Aristophaneo, nam vicies bis a comico usurpata legitur. Denique videatur fortasse haec mea opinio eo confirmari, quod etiam in Lys. 574. provisor pari modo ex Lysistrata quaerit: *πῶς δή; φέρ' ἴδω.*

Sed revertamur ad duos locos, qui supersunt, Ran. 1424. et Eccl. 761. De quibus ut statim dicam, quid sentiam, utrumque versum Aristophaneum esse nego. In neutro versu, si accuratius consideramus, librariorum errorem videmus, immo vero in utroque interpolatoris cernimus manum, quam non paucis extremam Ranarum partem versibus locupletatam

esse constat.[1]) Ut spurii hi versus etiam ex eo cognoscuntur, quod uterque non solum non necessarius, sed etiam supervacaneus est, cum sensus connexus iis omissis non corrumpatur, sed mutetur in melius. Versum Ran. 1424. iam Meinekius supervacaneum iudicavit, ita tamen, ut pro tradito *δυστοκεῖ* scripserit *διστομεῖ.* Quod num recte coniecerit, iam antea dubitavi. Equidem Aristophanem scripsisse opinor *δυστομεῖ* „redet ihm uebel nach", quod certe Meinekium *διστομεῖ* vocabulo praelaturum fuisse puto, nisi verbum ei opus fuisset, quo recepto versus sequens plane supervacaneus esset. Sed utut haec res sese habet, dubium esse non potest, quin illo versu sublato Dionysii oratio sine offensione procedat et etiam illa *ποθεῖ μὲν .... ἔχειν* optime quadrent.

Idem statuendum est de altero versu, Eccl. 761., cuius vel singulae partes interpolationis speciem prae se ferunt. Ac primum quidem *νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα,* qua iurandi formula comicus noster nonnunquam usus est, sciolus quidam interpolator e memoria hoc loco iniuria inseruit. Nam omnibus, ubi invenitur, locis haec formula loquentis orationem incipit, (cfr. Plut. 879. Ran. 738. 1433. Eccl. 1045.) excepto uno loco, Eccl. 1103., ubi in aliorum verborum connexum immissa, attamen in versus initio posita est; sed nusquam, id, quod hoc loco, de quo agimus, vides, orationi postponitur. Tum id quod maioris momenti esse duco, qui loquitur ea formula ubique semper qua par est reverentia in bonam partem adhibet, quam ob rem fieri non potest, quin illa dira increpatio *κακοδαίμων ἄρ' εἶ* hac jurandi formula augeatur. Deinde ne *πῶς* quidem hoc loco bene quadrat, immo vero *τί* i. e. *διὰ τί,* quod est latinum „quid?" exspectamus. Denique alterum *πῶς* est soloecismus, qui vocatur, quem Aristophanes nullo modo admisit. Postremum

[1]) conferas velim quos non paucos versus ut spurios Meinekius sub contextum posuit.

quid ῥᾳδίως hoc loco sibi velit, nemo adhuc recte intellexit, ac ne nos quidem de hac vocula quidquam certi dicere possumus. Id unum addimus, hoc versu eiecto nihil esse, quod desideremus, immo vero quam optime civis alter formula τί δέ; de qua postea disputabimus, Chremis verba cum indignatione excipit.

Itaque ut summam faciam, utrumque versum interpolatum esse dico; sed quomodo ille sciolus adductus sit, ut hos versus inseruerit, ego nescio. [1])

Sed satis de hac re. Nullum inveniri exemplum, in quo pronomina interrogationi obliquae propria in recta interrogatione usurpantur, quia quod legitur Nub. 755. ὅπιὶ τί δή; et ibid. 784. ὅπῃ τί [2]); huc referri non potest, omitto; proximum est, ut de vocabulorum interrogativorum collocatione paucis disseramus. Ac primum quidem in universum tenendum est, enuntiata interrogativa ut apud ceteros scriptores ita apud Aristophanem a vocibus interrogativis incipere solere. At non pauci inveniuntur loci, in quibus illis voculis interrogativis alia praecedunt verba duabus de causis, quarum una est rhetorica, si interrogationis accentus non cadit in vocabula interrogativa, sed in alia verba, quod imprimis crebro fit in sententiis adversativis, velut

Av. 860. Euelp. τοῖς δὲ γαμψώνυξι τοισδί; Pisth. τὸν ὀβελίσκον ἁρπάσας
εἶτα κατάπηξον πρὸ σαυτοῦ. Euelp. τοῖσι δ' ὀφθαλμοῖσι τί;

Pac. 227. ἡμᾶς δὲ δὴ τί δρᾶν παρασκευάζεται;

Non raro etiam voces interrogativae extrema in sententia

---

[1]) Videas velim quid Elmslejus ad Euripid. Med. v. 1103 adnotaverit.

[2]) in Plut. 136. praebent Codd. Rav. et Vat. ὅπι τί δή· Venet. ὅπι δή; pro quo editores recte scripserunt ὁπῃ τί δή;

collocantur, ita ut alius sit sententiae finis, quam exspectas, qua re saepe necopinati quid exprimitur, ut

Eq. 353. ἐμοὶ γὰρ ἀντέθηκας ἀνθρώπων τίν';
ibid. 1078. τούτοις ὁ μισθὸς τοῖς ἀλωπεκίοισι ποῦ;
Eccl. 809. Καλλίμαχος δ' ὁ χοροδιδάσκαλος αὐτοῖσιν εἰσοίσει τί;

Pronomen interrogativum adiective adhibitum ut maiore cum gravitate dicatur substantivo postponitur Thesm. 1164. χρείᾳ δὲ ποίᾳ τόνδ' ἐπεσφέρεις λόγον; Eq. 1241. τέχνην δέ τίνα ποτ' εἶχες ἐξανδρούμενος; Plut. 974. ibid. 1056. 1176. Eccl. 673.

Nonnunquam enuntiatum interrogativum etiam incipit a verbo finito cum δέ particula adiecta pronomine interrogativo sequente, quae verborum collocatio eam habet vim, ut haec quaestio cum praecedentibus conjungatur. [1]) Ita legimus

Av. 1024. ἔπεμψεν δὲ τίς σε δεῦρο;
Nub. 239. ἦλθες δὲ κατὰ τί;

Hoc loco priusquam ad alteram vocabula interrogativa postponendi causam transeamus, id monemus, in multis generis adhuc allati exemplis collocationi multum tribuendum non esse, quippe cum saepe metrum solum illam positionem efficiat.

Altera postponendi causa, ut supra diximus, est grammatica, si interrogatio pendet a coniunctionibus, ubi more Graecis usitato enuntiatum secundarium per coniunctionem aliquam inductum vocabulo interrogativo subito intermisso in enuntiationem rectam, quae vocatur, transit, ita tamen ut constructio inchoata non mutetur [2]). Cuius generis apud nostrum poetam inveni exempla haec.

---

[1]) cfr. G. Herm. ad Sophocl. Oed. Col. v. 66.

[2]) De huius collocationis usu vide quae Lobeckius ad Aj. v. 77. copiose disputat.

Nub. 786. *ἐπεὶ τί ἦν ὃ πρῶτον ἐδιδάχθης; λέγε.*
ibid. 1061. *ἐπεὶ σὺ διὰ τὸ σωφρονεῖν τῷ πώποτ' εἶδες ἤδη ἀγαθόν τι γενόμενον, φράσον.*
Plut. 881. *ἐπεὶ πόθεν θοἰμάτιον εἴληφας τοδί;*
Lys. 258. *ἐπεὶ τίς ἄν ποτ' ἤλπισ' ὦ Στρυμόδωρ' ἀκοῦσαι — γυναῖκας;*
Eccl. 607. *ὥστε τί κέρδος μὴ καταθεῖναι; σὺ γὰρ ἐξευρὼν ἀπόδειξον.*

Duobus locis *ἵνα τί* sequente verbo invenitur
Nub. 1192. *ἵνα δὴ τί τὴν ἕνην προσέθηχ';*
Pac. 409. *ἵνα δὴ τί τοῦτον δρᾶτον;*
ubi cod. Rav. et Venet. exhibent *ἵνα τί δή, ἵνα τί δέ* reliqui, pro quo Bentleius optime scripsit *ἵνα δὴ τί*, quod recte recepit Meinekius. De *δή* particulae his in locis trajectione paulo post disseremus. *ἵνα τί* per ellipsin dictum ita ut in tempore praesenti *ἵνα τί γένηται;* in tempore praeterito *ἵνα τί γένοιτο;* supplendum sit, [1]) apud comicum legimus
Eccl. 790. Chr. *ἐπαναμένειν, ἔπειτα διατρίβειν ἔτι.*
Vir. *ἵνα δὴ τί;*
ibid 718. Prax. *ἔπειτα τὰς πόρνας καταπαῦσαι βούλομαι ἁπαξαπάσας.* Bdel. *ἵνα τί;*
ubi *ἵνα τί* voces ita in unum coaluerunt, ut melius sub uno scribantur accentu, quam scribendi rationem testantur perveterem Herodianus (tom. I p. 506,15 ed. Lentz.) et Grammaticus Hermanni p. 460. [2])
Addere liceat occasione data locum
Ran. 1371. *τόδε γὰρ ἕτερον αὖ τέρας*
νεοχμόν, ἀτοπίας πλέων,
ὃ τίς ἂν ἐπενόησεν ἄλλος;
ubi *τίς* pronomen interrogativum relativo postpositum est.
Sed haec hactenus; sequitur, ut de pronominibus interrogativis cum articulo conjunctis disputemus. Articulus

---

[1]) cfr. G. Herm. ad Viger. p. 847.
[2]) cfr. Lobeck. ad Aiac. v. 77.

ubi pronominibus interrogativis praemittitur, semper necesse est, ut in verbis eius, quem interrogamus, aliquid praecesserit, ad quod articulus spectat. Quem usum G. Hermannus in adn. ad. Viger. p. 705. distincte et accurate sic explicuit: „Is qui interrogat audiendi studio id quod alterum dicere vult, occupaturus ipse orationem inchoat, quam ab illo absolvi vult, ipse autem quia eam absolvere non potest, addit pronomen interrogativum. etc.“ Ea loquendi ratio vulgaris tantum sermonis propria fuisse videtur, cum Aristophane excepto, nisi me fallunt lexica, raro unquam inveniatur exemplum. Nullum apud nostrum habeo locum, in quo *ὁ* vel *ἡ* articulus pronomini *τίς* praemittitur, ita ut dicatur *ὁ τίς* vel *ἡ τίς;* sed complures extant, ubi *τὸ τί* dicitur pro *τί*, et quidem

Nub. 775. Socr. *ἄγε δὴ ταχέως τουτὶ ξυνάρπασον.* Str. *τὸ τί;*

Ran. 7. Lib. *νὴ Δία*
θαρρῶν γ'· ἐκεῖνο μόνον ὅπως μὴ 'ρεῖς, Xanth.
τὸ τί;

ibid. 40. Lib. *ὁ παῖς.* Xanth. *τί ἔστιν;* L. *οὐκ ἐνεθυμήθης;*
X. *τὸ τί;*

Plut. 902. Iust. *καὶ μὴν ἐπερωτηθεὶς ἀπόκριναί μοι.*
Syc. *τὸ τί;*

Vesp. 818. Philocl. *ἓν ἔτι ποθῶ, τὰ δ' ἄλλ' ἀρέσκει μοι.*
Bdelycl. *τὸ τί;*

Pac. 826. Serv. *ἴθι νυν κάτειπέ μοι.* Tryg. *τὸ τί;*

ibid. 696. Tryg. *εὐδαιμονεῖ, πάσχει δὲ θαυμαστόν.* Merc. *τὸ τί;*
quod exemplum G. Hermannus l. c. satis exposuit. Si pluralis numerus praecedit, *τὰ τί* sequitur, quod omnino, nisi fallor, uno tantum loco et quidem apud nostrum comicum legitur

Pac. 693. Merc. *οἷά μ' ἐκέλευσεν ἀναπυθέσθαι σου.*
Tryg. *τὰ τί;*

Quod idem *τὸ τί* significat „quare?“, „quid ita?“ in Ran. 1228., ubi Libero dicenti

ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν ἀποπρίω τὴν λήκυθον,
ἵνα μὴ διακναίσῃ τοὺς προλόγους ἡμῶν.

Euripides cum interrogatione respondet *τὸ τί;*
ἐγὼ πρίωμαι τῷδ';

Plut. 1076. Adulesc. *ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαί σοι.*
Chr. *τὸ τί;*

Av. 1037. Legislator. *ψηφισματοπώλης εἰμὶ καὶ νόμους νέους*
ἥκω παρ' ὑμᾶς δεῦρο πωλήσων. Pisth. *τὸ τί;*

Unus superest locus dignus, qui hic in censum vocetur. Stephanus in thes. ling. Graec. de pronomine interrogativo cum articulo coniuncto disputans primum exemplum affert versum qui est Nub. 500.

Socr. *κατάθου. τί ληρεῖς;* Str. *εἰπὲ δή νύν μοι* Socr. *τὸ τί;*
Str. *ἦν ἐπιμελὴς ὦ καὶ προθύμως μανθάνω,*
τῷ τῶν μαθητῶν ἐμφερὴς γενήσομαι;

Quam lectionem unde hauserit Stephanus nescio, cum nullus ex iis, quos contulerunt editores, quos vidi, codex eam exhibeat lectionem, immo vero in omnibus legatur: Str. *εἰπὲ δή νύν μοι τοδί* — *ἦν* etc. quod recentes editores, quamquam quin Socrates Strepsiadis orationem interrumpens cum emphasi quadam respondere potuerit *τὸ τί;* dubium non est, recte ediderunt. Nam ut id pro nihilo aestimes, orationis interruptionem hoc loco nimis subitam fieri, pronomen demonstrativum *τοδί*, quae forma iota demonstrativo apposito admodum crebro a comico usurpata graviter et manifesto demonstrandi habet vim, Strepsiadi attributum quam aptissime refertur ad sequentia *ἦν* etc.

Ex aliis pronominibus interrogativis articulus apud comicum nostrum pronomini *ποῖος* tantum praemittitur his tribus locis Ach. 418. ibid. 963. Nub. 1270.

Alia est dicendi ratio, si pronomen interrogativum substantivum cum articulo conjunctum sequitur; quod quibus in locis reperitur, ab interrogato, qui jam antea aliquid dixerit, ut accuratius ea de re disputetur, postulatur. Locorum, qui huc pertinent, numerus cum sit permagnus apud Aristophanem, paucos sufficiat attulisse. Legimus

Av. 94. *τίς ἡ πτέρωσις; τίς ὁ τρόπος τῆς τριλοφίας;*
ibid. 1021. *τίς ὁ Σαρδανάπαλλος οὑτοσί;*
Thesm. 137. *τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου;*

Sed satis mihi multa verba hac de re fecisse videor, paucis dicamus de proprietatibus quibusdam sermonis in pronominibus interrogativis. Ac primum omitto *τί* neutrum, ut „quid“ apud Latinos, pro *διὰ τί* adverbialiter dictum permultis locis apud comicum inveniri, significans „cur?“, „quare?“, „qua de causa?“, „quomodo?“. Quod *τί* nonnullis locis sequitur *οὐ* particula negativa, cui nonnunquam *οὖν* vocula additur, qua re enuntatio interrogativa gravior adhortandi vel iubendi formula fit, velut Eq. 1207. *τί οὐ διακρίνεις Δῆμ' ὁπότερος ....;* „cur non diiudicas, o Deme, uter“ ... i. e. diiudices. — Lys. 1103. *τί οὐ καλοῦμεν δῆτα τὴν Λυσιστράτην, — ἥπερ διαλλάξειεν ἡμᾶς ἂν μόνη;* i. e. καλῶμεν. — Ach. 359. *τί οὖν οὐ λέγεις ...;*

Quod ad tempus in hac loquendi ratione attinet, omnes, quos vidi, praeteritum frequentius esse quam praesens iudicaverunt.[1]) Quod quatenus de Aristophane valeat, nunc videamus. Praeteritum habemus

Vesp. 213. *τί οὐκ ἀπεκοιμήθημεν ὅσον ὅσον στίλην;*
Ach. 592. *τί μ' οὐκ ἀπεψώλησας; εὔοπλος γὰρ εἶ.*

---

[1]) cfr. Elmsleium ad Euripid. Heracl. 805., Kuehnerum ad Xen. Mem. III. 1. 10., Kruegerum in gramm. 53. 6. adn. 2., qui ita disserit: „In Fragen mit *τί οὐ* — steht der Aorist, indem die Verwunderung, dass die Handlung nicht schon eingetreten sei, eine dringende Forderung desselben enthaelt. Doch kann bei *τί οὐ* — auch das Praesens stehen.“

Quod idem *τὸ τί* significat „quare?“, „quid ita?“ in Ran. 1228., ubi Libero dicenti

ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν ἀποπρίω τὴν λήκυθον,
ἵνα μὴ διακναίσῃ τοὺς προλόγους ἡμῶν.

Euripides cum interrogatione respondet *τὸ τί;*
ἐγὼ πρίωμαι τῷδ';

Plut. 1076. Adulesc. *ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαί σοι.* Chr. *τὸ τί;*

Av. 1037. Legislator. *ψηφισματοπώλης εἰμὶ καὶ νόμους νέους ἥκω παρ' ὑμᾶς δεῦρο πωλήσων.* Pisth. *τὸ τί;*

Unus superest locus dignus, qui hic in censum vocetur. Stephanus in thes. ling. Graec. de pronomine interrogativo cum articulo coniuncto disputans primum exemplum affert versum qui est Nub. 500.

Socr. *κατάθου. τί ληρεῖς;* Str. *εἰπὲ δή νύν μοι* Socr. *τὸ τί;*
Str. *ἢν ἐπιμελὴς ὦ καὶ προθύμως μανθάνω,*
τῷ τῶν μαθητῶν ἐμφερὴς γενήσομαι;

Quam lectionem unde hauserit Stephanus nescio, cum nullus ex iis, quos contulerunt editores, quos vidi, codex eam exhibeat lectionem, immo vero in omnibus legatur: Str. *εἰπὲ δή νύν μοι τοδί — ἢν* etc. quod recentes editores, quamquam quin Socrates Strepsiadis orationem interrumpens cum emphasi quadam respondere potuerit *τὸ τί;* dubium non est, recte ediderunt. Nam ut id pro nihilo aestimes, orationis interruptionem hoc loco nimis subitam fieri, pronomen demonstrativum *τοδί*, quae forma iota demonstrativo apposito admodum crebro a comico usurpata graviter et manifesto demonstrandi habet vim, Strepsiadi attributum quam aptissime refertur ad sequentia *ἢν* etc.

Ex aliis pronominibus interrogativis articulus apud comicum nostrum pronomini *ποῖος* tantum praemittitur his tribus locis Ach. 418. ibid. 963. Nub. 1270.

Alia est dicendi ratio, si pronomen interrogativum substantivum cum articulo conjunctum sequitur; quod quibus in locis reperitur, ab interrogato, qui jam antea aliquid dixerit, ut accuratius ea de re disputetur, postulatur. Locorum, qui huc pertinent, numerus cum sit permagnus apud Aristophanem, paucos sufficiat attulisse. Legimus

Av. 94. *τίς ἡ πτέρωσις; τίς ὁ τρόπος τῆς τριλοφίας;*
ibid. 1021. *τίς ὁ Σαρδανάπαλλος οὑτοσί;*
Thesm. 137. *τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου;*

Sed satis mihi multa verba hac de re fecisse videor, paucis dicamus de proprietatibus quibusdam sermonis in pronominibus interrogativis. Ac primum omitto *τί* neutrum, ut „quid“ apud Latinos, pro *διὰ τί* adverbialiter dictum permultis locis apud comicum inveniri, significans „cur?“, „quare?“, „qua de causa?“, „quomodo?“. Quod *τί* nonnullis locis sequitur *οὐ* particula negativa, cui nonnunquam *οὖν* vocula additur, qua re enuntiatio interrogativa gravior adhortandi vel iubendi formula fit, velut Eq. 1207. *τί οὐ διακρίνεις Δῆμ' ὁπότερος ....;* „cur non diiudicas, o Deme, uter“ ... i. e. diiudices. — Lys. 1103. *τί οὐ καλοῦμεν δῆτα τὴν Λυσιστράτην, — ἥπερ διαλλάξειεν ἡμᾶς ἂν μόνη;* i. e. *καλῶμεν.* — Ach. 359. *τί οὖν οὐ λέγεις ...;*

Quod ad tempus in hac loquendi ratione attinet, omnes, quos vidi, praeteritum frequentius esse quam praesens iudicaverunt.[1]) Quod quatenus de Aristophane valeat, nunc videamus. Praeteritum habemus

Vesp. 213. *τί οὐκ ἀπεκοιμήθημεν ὅσον ὅσον στίλην;*
Ach. 592. *τί μ' οὐκ ἀπεψώλησας; εὔοπλος γὰρ εἶ.*

---

[1]) cfr. Elmsleium ad Euripid. Heracl. 805., Kuehnerum ad Xen. Mem. III. 1. 10., Kruegerum in gramm. 53. 6. adn. 2., qui ita disserit: „In Fragen mit *τί οὐ* — steht der Aorist, indem die Verwunderung, dass die Handlung nicht schon eingetreten sei, eine dringende Forderung desselben enthaelt. Doch kann bei *τί οὐ* — auch das Praesens stehen.“

Lys. 181. *τί δῆτα ταῦτ' οὐχ ὡς τάχιστα, Λαμπιτοῖ,*
ξυνωμόσαμεν, ὅπως ἂν ἀρρήκτως ἔχῃ;
ibid. 906. *φιλεῖς; τί οὖν οὐ κατεκλίνης, ὦ Μύρριον;*
in fragm. ap. Athen. IX. p. 380. d.
τί οὐκ ἐκέλευσας παραφέρειν τὰ ποτήρια;

Praesens adhibetur

Av. 149. *τί οὐ τὸν Ἠλεῖον Λέπρεον οἰκίζετον*
ἐλθόνθ';
ibid. 828. *τί δ' οὐκ Ἀθηναίαν ἐῶμεν πολιάδα;*
ibid. 1318. *τί γὰρ οὐκ ἔνι ταύτῃ*
καλὸν ἀνδρὶ μετοικεῖν;
Thesm. 389. *τί γὰρ οὗτος ἡμᾶς οὐκ ἐπισμῇ τῶν κακῶν;*
ibid. 1121. *τί δ' οὐκ ἐᾷς λύσαντά μ' αὐτὴν, ὦ Σκύθα,*
πεσεῖν ἐς εὐνὴν καὶ γαμήλιον λέχος;
ibid. 1193. *τί οὐ κατεύδει παρ' ἐμέ;*
Eq. 1207. *τί οὐ διακρίνεις Δῆμ' ὁπότερός ἐστι νῷν*
ἀνὴρ ἀμείνων περὶ σὲ καὶ τὴν γαστέρα;
Vesp. 273. *τί ποτ' οὐ πρὸ θυρῶν φαίνετ' ἄρ' ἡμῖν ὁ γέρων*
οὐδ' ὑπακούει;
ibid. 563. *φέρ' ἴδω, τί γὰρ οὐκ ἔστιν ἀκοῦσαι θώπευμ'*
ἐνταῦθα δικαστῇ;
Ach. 859. *τί οὖν οὐ λέγεις, ἐπίζηνον ἐξενεγκὼν θύραζ';*
Pac. 1027. *πῶς δ' οὐχί; τί γάρ σε πέφευγ'*
ὅσα χρὴ σοφὸν ἄνδρα; τί δ' οὐ
σὺ φρονεῖς ὁπόσα χρεών . . . ;
Lys. 1103. *τί οὐ καλοῦμεν δῆτα τὴν Λυσιστράτην;*

Praesens et praeteritum legimus

Lys. 1159. *τί δῆθ' ὑπηργμένων γε πολλῶν κἀγαθῶν*
μάχεσθε κοὐ παύεσθε τῆς μοχθηρίας;
τί δ' οὐ διηλλάγητε; φέρε τί τοὐμποδών;

Quibus locis allatis, quamquam praeterito rem multo gravius quam praesenti tempore designari non negamus, tamen illis viris doctissimis, quod ad Aristophanem pertinet, plane assentiri non possumus et valde dolemus, quod alios

scriptores in hanc rem inquirere nunc nobis tempus non permittat.

Sequuntur formulae *τί μαθών* et *τί παθών* dignae, quae hoc loco afferantur, praesertim cum apud comicum multo crebrius quam apud alios scriptores inveniantur. Quibus de formulis cum doctissimi viri varie senserint, alii aliud defenderint, aliquid longius repetendum est. Primum mirum videri debet, quod iuxta formulam *τί παθών* adverbialiter dictam altera formula *τί μαθών* eodem sensu usurpata reperitur, ut primo obtutu nobis suspicio merito non absit, quin hic librariorum error extet. Quae fortasse causa fuit, cur Brunckius in annot. ad Lys. 599. Plut. 908. Ach. 826. Nub. 1507. Scaligero monente *τί μαθών* formulam plurimis in locis vel omnium vel plurimorum vel optimorum codicum fide confirmatam e comici contextu expulsam velit. Cui assentitus est Elmsleius ad Ach. 826. et G. Hermannus ad Viger. p. 729. ed. IV. et in praefatione Nub. ed. II. p. 46. ubi accuratius distinctiusque agens *τί μαθών* formulam, ubicunque reperitur, optimis libris invitis in *τί παθών* mutandam esse censet. Aliter de ea re judicavit F. A. Wolfius, qui ad Demosth. Leptin. p. 348. longiore disputatione differentiam inter has binas loquendi formulas demonstrare studet et ut ejus verbis utar ‚excussis sedulo et Aristophanis et aliorum exemplis plurimis compertum habet, utriusque formae diversam potestatem esse, sed discrimen tenue'. Wolfium secuti sunt Matthiaeus in arte Graec. p. 1317. ed. III., Kuehnerus in gramm. ed. II. vol. II. p. 1019. Passowius in lex. Graec. vol. III. p. 123, omnes quos viderim Aristophanis editores; Kruegerus in gramm. ed. V. 56. 8. 3. rem in medio reliquit. Sed videamus exempla, quae apud poetam nostrum inveniuntur. Legimus

Nub. 401. *ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει καὶ Σούνιον*
ἄκρον Ἀθηνέων
καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας· τί παθών; οὐ γὰρ
δὴ δρῦς γ' ἐπιορκεῖ.

Nub. 340. *λέξον δή μοι, τί παθοῦσαι,*
εἴπερ νεφέλαι γ' εἰσὶν ἀληθῶς, θνηταῖς εἴξασι
γυναιξίν;

Vesp. 251. *τί δὴ μαθὼν τῷ δακτύλῳ τὴν θρυαλλίδ' ὠθεῖς,*
καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος, ὠνόητε; [1])

Ach. 826. *τί δὴ μαθὼν φαίνεις ἄνευ θρυαλλίδος;*

Plut. 907. Syc. *τῶν τῆς πόλεώς εἰμ' ἐπιμελητὴς πραγμάτων,*
καὶ τῶν ἰδίων πάντων. Iust. *σύ; τί μαθών;*
Syc. *βούλομαι.*

Lyc. 599. *σὺ δὲ δὴ τί μαθὼν οὐκ ἀποθνήσκεις;*

Nub. 1506. *τί γὰρ μαθόντ' ἐς τοὺς θεοὺς ὑβριζέτην;*

pro quo Meinekius edidit

τί γὰρ παθόντες τοὺς θεοὺς ὑβρίζετε; [2])

Huc referendus non est versus, qui legitur

Pac. 701. Tryg. *ἀπέθανεν*
ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον. Merc. *τί παθών;*
Tryg. *ὅ τι;*

et Ach. 912. *τί δὲ κακὸν παθὼν*
ὀρναπετίοισι πόλεμον ἦρα καὶ μάχαν;

nam utroque loco *τί παθών* adverbialiter dictum non est, sed significationem primariam servavit.

Quae exempla supra allata si accuratius perspexerimus, concedendum nobis erit, omnibus locis alteram formulam alterius loco collocari posse. Primariam vocum *τί μαθών* et *τί παθών* significationem si respicis, in Plut. 908. Vesp. 251. *τί μαθών* formula optime elegantissimeque sensui convenit; Ach. 826. et Nub. 1506. haud scio an *τί μαθών* formulae traditae praeferenda sit *τί παθών* formula, quam Meinekius in contextum posuit. Mihi quidem frustra in significationibus distinguendis laborari videtur. Neque

---

1) conferas velim Meinekii ad hunc locum adnotationem criticam p. LXVI.

2) cfr. de huius versus varia codicum lectione Brunckium ad h. l.

vero assentior illis viris, qui *τί μαθών* formulam, ubicunque reperitur, in *τί παθών* formulam mutandam esse judicaverunt. Quod quominus faciam, praeter librorum auctoritatem me prohibet formulae *τί μαθών* analogia, quam exhibet lingua hebraica, in qua מַדּוּעַ particula, quae est composita ex מָה pronomine interrogativo et יָדוּעַ participio verbi יָדַע, quod significat *μανθάνειν*, eadem significatione adverbiali ac *τί μαθών* formula usurpata est. [1])

Denique ne id praeteribo, nonnunquam apud scriptores Graecos duas interrogationes una comprehenduntur, [2]) ita ut binae voces interrogativae sine copula collocentur quo fit, ut vi quadam interrogetur totumque enuntiatum plus habeat vivacitatis. Quam dicendi rationem, id quod valde mirum est, comicus noster omnino repudiasse videtur, nam in sexcentis interrogationibus vix unum huiuscemodi exemplum invenitur. In Eccl. 655. codices praebent

ἓν ἔτι ζητῶ· πῶς ἤν τις ὄφλῃ παρὰ τοῖς ἄρχουσι δίκην τῳ,
πόθεν ἐκτίσει ταύτην;

ubi *πῶς* voculam, enuntiatione secundaria *ἤν τις — δίκην τῳ* interposita, soli admirationi significandae inservire puto, ut melius scribendum sit *πῶς; ἤν τις* etc., idque eo magis, cum *πῶς* particula hoc sensu non raro apud Aristophanem nobis occurrat. [3]) Vesp. 827. Meinekius pro codicum lectione *τί τις κακὸν δέδρακε τῶν ἐν τῴκίᾳ;* scripsit *τί τίς κακὸν* etc. Fatendum quidem est, hac facillima Meinekii mutatione facta totam quaestionem efficaciorem fieri quamque aptissime ad sensum congruere. Sed cum nullum huiusmodi con-

---

1) cfr. de hac re Gesenium in arte hebraica ed. XXII. p. 229, ubi מַדּוּעַ particulam idem valere ac *τί μαθών* formulam docet.

2) cfr. G. Herm. ad Sophocl. Ajac. 1185. et Lehrs. in epimetr. ad Aristarch. p. 383.

3) cfr. Hirschigium, qui in philolog. vol. V. p. 283., cum *πῶς* vocem hoc loco prorsus nihil significare censeat, *τοῦτ'* pro *πῶς* particula legit et sic interpungit; *ἓν ἔτι ζητῶ τοῦτ'· ἤν τις κτλ.*

structionis apud comicum vestigium exstet, a scriptura tradita *τί τις* recedendum non est.

Sed haec hactenus. Hic mihi esse locus videtur, ubi de particulis *δέ, δή, δῆτα, δαί, γάρ, οὖν, μέντοι*, quae omnes in enuntiatis interrogativis, iis potissimum locum habent, quae a pronominibus vel adverbiis interrogativis incipiunt, verba faciamus. Quarum particularum apud auctores Graecos usum in universum accuratius fusiusque explicuerunt Vigerus in libro, qui inscribitur „de praecipuis Graecae dictionis idiotismis“, cui G. Hermannus praeclarissimas addidit adnotationes, Hoogeveenus in sua „doctrina particul. Graec.“, Devarius disputans „de Graecae linguae particulis“, cuius librum Klotzius valde auxit, nec non Hartungius in tractatu suo „Lehre von den Particeln; accedit Baeumleinii liber „Untersuchungen über griechische Particeln.“ Attigerunt saepius rem Ellendtius in Lex. Sophocl. et Wehrius in dissertatione sua „de nonnullis particulis apud Aristophanem“. Itaque de origine et prima illarum particularum significatione tantum abest, ut hoc loco dicamus, ut satis habeamus, nihil nisi quod ad interrogationes pertinet afferre. Qua in re id primum curabo, ut proferam, quid illae particulae in collocatione habeant memorabile et quomodo coniungantur cum aliis particulis.

Ac primum quidem ab ea, quae una est omnium longe plurimis exemplis comprobata particula *δέ* exordiamur. Cuius particulae usus apud nostrum cum sit admodum varius, primum de ea id dico, saepissime eam esse traiectam, quam ob rem non opus est exempla enumerare. Non pauci inveniuntur loci, ubi *δέ* vocula substantivum ipsum cum articulo praepositivo coniunctum, quod ut cum gravitate pronuntietur, sequitur, velut

Eccl. 651. *τὴν γῆν δὲ τίς ἔσθ' ὁ γεωργήσων;*
Plut. 842. *τὸ τριβώνιον δὲ τί δύναται πρὸς τῶν θεῶν;*
ibid. 170. seqq. Pac. 186. Av. 576. Ran. 1456.

Duobus etiam locis, id quod rarissime in prosa legitur, *δέ* particula casui, qui a praepositione pendet, postposita est, in

Ran. 782. *μετ' Αἰσχύλου δ' οὐκ ἦσαν ἕτεροι σύμμαχοι;*
Lys. 997. *ἀπὸ τοῦ δὲ τουτὶ τὸ κακὸν ὑμῖν ἐνέπεσεν;*

Iam ad *δέ* particulae usum transeuntes primum id commemoramus, plerumque apud Aristophanem in interrogationibus orationi continuendae eam inservire, quibus in locis semper aliquid exstat aut in interrogantis mente supplendum est, quod ad oppositionem efferendam particulam *δέ* adhibet. Ac primum quidem permultis locis *δέ* voculam pronominibus et adverbiis interrogativis in interrogationibus maiore cum vi et gravitate proferendis sociatam invenimus. Neque vero rarius enuntiatis interrogativis sine ulla vocula interrogativa solo vocis sono expressis additur, cuius generis multa exstant exempla, in quibus verbo enuntiatum incipienti *δέ* particula postponitur, quam collocationem habere vim quaestionem cum praegressis dictis coniungendi iam antea de prononominum interrogativorum positione agentes demonstravimus. Exempla cum iam supra attulerimus non opus est hic iterum enumerare.

Tum loci examinandi sunt, in quibus *δέ* vox ita usurputa est, ut alii rei aliam adnectat. Quem particulae usum Devarius p. 59. *δέ* pro *καί* vocula nonnunquam in interrogationibus iteratis adhiberi censens exposuit, Klotzius vero ad. Dev. p. 362. in his enuntiatis interrogativis *δέ* particulam ita usurpatam esse iudicavit, ut ubivis opposito declararetur minimeque *δέ* pro *καὶ* posita esse videretur. Cui equidem, Aristophanem si respicimus, assentiri non possum, nam qui quae admodum pauca apud comicum inveniuntur exempla accuratius perspexerit, facere non poterit, quin oppositionem omnino nullo unquam loco declarari, immo vero *δέ* particulam loco *καὶ* vocis ad complures connectendas res usurpari intellegat. Ita Ran. 78. seqq. Hercules cum Liber Euripidis mortui poetae desidero flagrans dixisset *δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ. οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.*

quos bonos putavit poetas adhuc vivos tantum enumerat interrogans

τί δ'; οὐκ Ἰοφῶν ζῇ; ....
Ἀγάθων δὲ ποῦ 'σθ'; ....
ὁ δὲ Ξενοκλέης; ...
Πυθάγγελος δέ;

Similiter in eiusdem fabulae versu 1032. Aeschylus poetas quos *γενναίους* esse censet cum interrogatione affert

Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς .....
Μουσαῖος δ' ..... Ἡσίοδος δὲ
..... ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος ...;

Cuius generis reliqua quae sunt exempla, ne sim longus in locis explicandis, tantum enumerem. Legitur

Plut. 170. *μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομᾷ;*
ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται;
τί δέ; τὰς τριήρεις οὐ σὺ πληροῖς; εἰπέ μοι.
τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;
ὁ Πάμφιλος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον κλαύσεται;
ὁ βελονοπώλης δ' οὐχὶ μετὰ τοῦ Παμφίλου;
Ἀγύρριος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;
Φιλέψιος δ' οὐχ ἕνεκα σοῦ μύθους λέγει;
ἡ ξυμμαχία δ' οὐ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις;
ἐρᾷ δὲ Λαῒς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;

ibid. 449. *ποίοις ὅπλοισιν ἢ δυνάμει πεποιθότες;*
ποῖον γὰρ οὐ θώρακα, ποίαν δ' ἀσπίδα
οὐκ ἐνέχυρον τίθησιν ἡ μιαρωτάτη;

Them. 137. *τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; τί βάρβιτος*
λαλεῖ κροκωτῷ; τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ;
τί λήκυθος καὶ στρόφιον; ὡς οὐ ξύμφορον;
τίς δαὶ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία;

ubi *δαί* pro *δέ* metri gratia usurpatum est.

Lys. 962. *ποῖος γὰρ ἔτ' ἂν νέφρος ἀντίσχοι*
ποία ψυχή, ποῖοι δ' ὄρχεις,
ποία δ' ὀσφύς, ποῖος δ' ὄρρος;

Quae duo exempla postremum allata cum *δέ* particula non omnibus inseratur membris oppositionem nullam exstare satis demonstrant. [1])

Non raro *δέ* particula additur interrogationibus, quibus interrogantis indignatio et ira indicatur; quo in genere imprimis frequens apud comicum est formula *τί δέ;* Ita Ach. 454. Euripides iratus in Dicaeopolin invehitur his verbis *τί δ', ὦ τάλας, σε τοῦδ' ἔχει πλέκους χρέος;* Simili modo Eccl. 525. Blepyrus iratus alloquitur Praxagoram *τί δ' οὐχὶ βινεῖται γυνὴ κἄνευ μύρου;* ibid. 763. civem cives *τί δ'; οὐχὶ πειθαρχεῖν με τοῖς νόμοισι δεῖ;* Lys. 371. chorus senum mulierum chorum *τί δ', ὦ θεοῖς ἐχθρά, σὺ δεῦρ' ὕδωρ ἔχουσ' ἀφίκου;*

Formula *τί δέ;* etiam, ut id statim occasione data absolvamus, non paucis apud nostrum poetam locis orationi continuandae inserviens addit aliquid et quidem notabile, ita ut *τί* observatu aliquid dignum promittat, quod rei propositae novam vim adferat, *δέ* vocula transitioni inserviat. [2])

---

[1]) De varia lectione versus Lys. 962. ut paucis dicamus, codices exhibent

ποῖος γὰρ ἂν ἢ νέφρος ἀντίσχοι,
ποία ψυχή; ποῖοι δ' ὄρχεις etc.

pro qua scriptura Dindorfius cum disjunctivam particulam ante *νέφρος* vocem nullo modo ferri posse recte intellexisset, *ποῖος δ' ἂν νέφρος ἀντίσχοι*, edidit, sed in adn. ad h. l. p. 802. lectionem traditam revocandam esse censet. Mihi quidem Dindorfii emendatio non satis probatur, nam quid sibi velit *δέ* ante *ἄν* voculam parum intellego. Neque vero Bergkio, qui *ποῖος γὰρ νέφρος ἂν ἀντίσχοι*, edidit, plane assentiri possum, cum prima in *νέφρος* contra usum producta sit in ea emendatione, quod fieri non posse jam Meinekius in vindic. Aristophan. l. p. 184 recte affirmavit. Equidem maxime sto a partibus Meinekii, qui *ποῖος γὰρ ἔτ' ἂν νέφρος ἀντίσχοι*, scripsit, idque eo magis cum in codicibus *ἤ* et *ἔτ'* voces quam facillime inter sese commutari potuisse non difficile sit intellectu.

[2]) cfr. Hoogeveen. l. c. p. 809.

Loci, qui huc pertinent, sunt Nub. 481. Ran. 78. 798. Plut. 172. 1150. Eccl. 185.

Denique id commemoremus, *δέ* particulam multis locis conjunctam reperiri *δή* voculae. De quarum particularum usu cum Wehrius p. 19. fusius dixerit, non est, cur longius ea de re disputemus, illud tantum afferam, quod Wehrius non satis recte explicuit. Ac primum Wehrius *δὲ δή* particulas nisi in versibus trimetris iamb. apud Aristophanem non inveniri falso pronuntiavit, nam etiam in tetrametro iambico (Plut. 264.) et in anapaestis (Lys. 599.) leguntur. Neque vero qui versus

Ran. 865. *σὺ δὲ δὴ τί βουλεύει ποιεῖν; λέγ' Αἰσχύλε.*
Eccl. 542. *κατέλιπον ὤνερ. αἱ δὲ δὴ λακωνικαὶ*

legerit Wehrio l. c. *δὲ δή* particulis secundum semper in trimetro formari iambum contendenti assentietur.

Postremum ne id quidem praeteribimus, *δέ* particulam post *τί* pronomen interrogativum apud nostrum multis locis omitti, quo fit, ut crebro qui apud tragicos omissa *δέ* vocula post *τί* ortus rarissime reperitur[1]) hiatus apud comicos legitimus nascatur, de quo nunc occasione data paucis dicamus. Ac primum quidem e magno numero locorum, in quibus hiatus invenitur, concludere licet, Aristophanem hiatum post *τί* pronomen evitare non studuisse. Multis locis qui facilius excusatur hiatus ante longam syllabam positus legitur et quidem ante *οὖν* in Av. 172.[2]) 969. Thesm. 70. 208. 252. 635. 868. Nub. 88. 93. 176. 791. Vesp. 956. 1181. Ach. 359. Plut. 94. 460. 1155. Lys. 861. 906. Eq. 13. 1214. in fragm. ap. Athen. XV. p. 677 b., ante *οὐ* Av. 149. Thesm. 1198. Lys. 1103. Eq. 1207.

---

[1]) cfr. Ellendt. Lex. Sophocl. p. 731. et G. Herm. Element. doctr. metr. p. 50.

[2]) de dubia lectione cfr. Kockium et quae nos paulo post de modo in interrogationibus agentes disseremus.

Vesp. 213., ante *ἦν* Vesp. 183. 1509. Ach. 157. 767. Ran. 39. 438. 1209. Plut. 1097. Lys. 350. 445. Nub. 786. Av. 859. 1030. 1495. in fragm. ap. Athen. IX. p. 380 d., ante *ὦ* Av. 3. 1568. 1604. Nub. 746. Thesm. 892. Lys. 891., ante *αὖ* Thesm. 852., ante *εἶπε* (*εἶπας*) Eccl. 436. Thesm. 902., ante *ἐστίν* Av. 49. 225. 998. 1010. 1036. 1203. 1529. 1587. Thesm. 193. 733. 904. 1200. Nub. 80. 202. 825. 1248. Eq. 109. 123. 150. 157. 957. 999. Vesp. 37. 137. 836. 844. 1136. Ach. 156. 178[1]). 189. 284. 959. 1085. Ran. 40. 181. 273. 312. 653. 657. 1220. Pac. 181. 268. 281. Quibus omnibus locis *τί* in thesi, sequens syllaba longa in arsi collocata leguntur idque semper in trimetro exceptis his locis

Lys. 350. *ἔασον ὦ. τουὶ τί ἦν; ὦνδρες πόνῳ πονηροί·*
Ran. 438. *τουτὶ τί ἦν τὸ πρᾶγμα;*
Ach. 284. *Ἡράκλεις τουτὶ τί ἐστι; τὴν χύτραν συντρίψετε.*
ibid. 359. *τί οὖν οὐ λέγεις, ἐπίξηνον ἐξενεγκὼν θύραζ';*
Nub. 87. Str. *ὦ παῖ πιθοῦ μοι.* Phidip. *τί οὖν πίθωμαι δῆτά σοι;*[2])

Immerito hoc loco C. F. Hermannus, quem secutus est Meinekius, hiatum sustulit, ita ut scriberet *τί δέ* pro *τί οὖν*, nam hic ut Ach. 359 *τί οὖν* per synizesin dictum est. Neque vero assentior G. Hermanno, qui *μοι* eiecit, de qua re in tertio huius dissertationis capite fusius dicemus.

Tredecim exstant exempla, in quibus *τί* pronomen sequitur syllaba brevis, qua re fit, ut quem nunquam admiserunt tragici hiatus oriatur. Quo certius de hac re constet, ipsos afferam Aristophanis locos.

Nub. 21. *φέρ' ἴδω, τί ὀφείλω; δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ.*
ibid. 185. *τί ἐθαύμασας; τῷ σοι δοκοῦσιν εἰκέναι;*
ibid. 798. *ἀλλ' οὐκ ἐθέλει γὰρ μανθάνειν. τί ἐγὼ πάθω;*

---

[1]) cfr. Elmsleium ad h. l.

[2]) cfr. de codicum lectione Meinekii adn. critic.

Nub. 847. *φέρ' ἴδω, σὺ τοῦτον τί ὀνομάζεις; εἰπέ μοι.*
Eq. 119. *ἀνύσας τι. φέρ' ἴδω τί ἄρ' ἔνεστιν αὐτόθι.*
Vesp. 806. *ἰδού, τί ἔτ' ἐρεῖς; ὡς ἅπαντ' ἐγὼ φέρω*
Ach. 750. *τί; ἀνὴρ Μεγαρικός; ἀγορασοῦντες ἵκομες.*
ibid. 914. *καὶ σέ γε φανῶ πρὸς τοῖσδε. τί ἀδικείμενος;*
Plut. 335. *τί ἂν οὖν τὸ πρᾶγμ' εἴη; πόθεν καὶ τίνι τρόπῳ;* [1])
ibid. 464. *ἔμ' ἐκβαλόντε; καὶ τί ἂν νομίζετε;*
ibid. 1161. *ἐναγώνιος τοίνυν ἔσομαι. καὶ τί ἔτ' ἐρεῖς;*
Thesm. 707. *τί ἂν οὖν εἴποι πρὸς ταῦτά τις, ὅτε . . .;*
Av. 172. Ep. *τί ἂν οὖν ποιοῖμεν;* Pisth. *οἰκίσατε μίαν πόλιν.*

pro quo Aldina et Iuntina II. habent *τί οὖν ποιῶμεν;* quod falso receperunt Meinekius et Kockius; lectionem a codicibus exhibitam servandam esse postea de modo disputantes demonstrabimus.

His locis addi possunt

Nub. 22. *τοῦ δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ; τί ἐχρεσάμην;*
Ach. 540. *ἐρεῖ τις, οὐ χρῆν· ἀλλὰ τί ἐχρῆν εἴπατε.*

Sed redeat oratio unde digressa est. De *δέ* particula cum satis dixisse mihi videar, nunc consideremus, quem *δή* particulae in interrogationibus usum Aristophanes tribuat, ac primum quidem quatenus traiectionem, quae vocatur, adhibeat inquiramus. Qua non raro comicus usus est, nam multi inveniuntur loci, in quibus *δή* particula vocabulo interrogationi inferendae constituto praemittitur, semper fere *δέ* voce praecedente, velut Ran. 865. Av. 67. Plut. 264. Eccl. 542. Nub. 1178. Uno loco, Eccl. 604. *κατὰ δὴ τί;* particula *δή* inter praepositionem *κατά* et *τί* pronomen, id quod testibus grammaticis fieri potest,[2]) interposita est. Duo exstant versus, Eccl. 791. et Nub. 1192., in quibus *δή* vocula traiecta est coniunctione *ἵνα* antecedente, idque eo

[1]) cfr. Meinekii adn. critic. ad h. l.
[2]) cfr. Kruegerum in gramm. 69. 15. 2.

magis mirum est, quod *ἵνα τί* crebro usu ita nonnunquam in unum confluere, ut sub uno scribatur accentu, ante demonstravimus.[1])

Iam ad *δή* particulae in interrogationibus usum ut aggrediamur, omnibus, in quibus legitur, locis accuratius perspectis id affirmamus, pauca admodum inveniri, quae aut propria Aristophanis aut omnino minus usitata sunt. Ac primum quidem notandum est, id quod iam Wehrius recte observavit, in interrogationibus obliquis, quas dicunt, *δή* vocem apud Aristophanem non legi, si licet exempla, quae leguntur

Av. 67. *ὁδὶ δὲ δὴ τίς ἐστιν ὄρνις; οὐκ ἐρεῖς;*
Pac. 225. *εἰπέ μοι,*
ἡμᾶς δὲ δὴ τί δρᾶν παρασκευάζεται;

in rectarum interrogationum numerum referre, de qua re in huius dissertationis principio satis diximus. Tum in universum tenendum est, apud comicum *δή* particulam in interrogationibus primam suam vim non exuisse neque multum a primaria notione abhorrere, quamquam non paucis locis primaria potestas facile intellegi non potest. Ita multis locis obvia sunt *τί δή; πῶς δή;* uno loco, Vesp. 665. *ποῖ δή;* quibus in formulis *δή* particulae inest vis adhortandi, ut reddi possit „quaeso tandem.“ Pro *τί δή;* formula paucis locis vox *τιή* semper in versus fine posita legitur, Eq. 126. 731. Eccl 796. 1086. Pac. 927. Ran. 1478. in fragm. apud Athen. IX. p. 372. b., cui voculae per iterationem additur *τί δή;* formula Vesp. 1155. Thesm. 84. Pac. 1018., pro qua in Plut. 136. Chremylo interroganti

οὔκουν ὅδ' ἐστὶν αἴτιος, καὶ ῥᾳδίως
παύσει' ἄν, εἰ βούλοιτο, ταῦθ';

Plutus respondet *ὁτιὴ τί δή;* quod pro vulgata olim scriptura *τιὴ τί δή;* recentes editores ex cod. Rav. et Venet.

[1]) De dubia lectione versus qui est Av. 416. *τί φῄς; λέγουσι δή τινας λόγους;* vide quid Wehrius satis disseruerit.

receperunt in Nub. 755. Quod num recte fecerint, cum Socrates hoc loco per interrogationem rectam, quae dicitur, loquatur, Passowius in lex. ling. Graec. p. 1889. mea quidem sententia immerito dubitat. Equidem lectionem *ὅπῃ τί δή;* in optimo codice Rav. traditam, quamquam nullo, ut supra demonstravimus, loco Aristophanes, quibus interrogationes obliquae proferuntur vocabulis in interrogationibus rectis usus est, cum apud comicum *ὅπῄ* semper nihil aliud valeat atque latinum „quod“, vel ut nostra lingua dicamus „dass“, „weil“,[1]) hoc loco recipiendam esse puto, idque eo magis, quod paulo infra in versu 784. *ὅπῃ τί* in interrogatione recta omnes libri tradunt. In fragmento ex Horis apud Athen. IX. p. 372 d. nobis occurrit *τίη τι*, quod vitio non carere recte G. Hermannus ad Nub. 755. censet.[2])

Sequitur ut paucis commemoremus, *δή* particulam vim habere increpantis et aegre ferentis in Eq. 1224. Pac. 841. 1476. Lys. 987. Thesm. 889, ubi *δέ* est lectio codicum, quam Bentleius recte emendavit in *δή*; mirantis aut concitato animo interrogantis Nub. 148. 664. 673. 1073. Ran. 1162. Eccl. 604. 791. 858. Lys. 48. 371. 574. Ach. 310.

Denique de iis locis disserendum est, ubi *δή* particula cum aliis particulis in interrogationibus coniuncta legitur. De qua re cum Wehrius p. 66. multum egerit, equidem satis habeo id quod Wehrius non attulit, commemorare, *δή* vocem uno loco, Pac. 928. cum *δῆτα* particula ab eadem radice ducta sociatam inveniri, uno loco cum *ποτέ*, Lys. 48. *τίνα δὴ τόπον πόθ;* quod nostra lingua dicas „wie denn eigentlich in aller Welt?“ Octo locis semper *οὐ* particula negativa praecedente cum *πού* vocula coniuncta est, quae plerumque tam arte ad *δή* particulam se inclinat, ut utraque particula in unam confluat vocem *δήπου*, significans „videlicet“, „nimirum“.

---

[1]) cfr. Kockium ad Av. 150.

[2]) cfr. hac de re Lehrs. quaest. ep. p. 65.

Postremum id afferamus, non paucis locis interrogationes formulis *ἄγε δή; φέρε δή;* proferri, de qua re in altero capite fusius dicemus.

Sed satis mihi multa verba de *δή* particula fecisse videor, sequuntur nunc particulae *δῆτα, δαί, μέντοι*; de quibus cum Wehrius fusius diputaverit, longum est idem repetere. Accedamus ad *γάρ* particulam, quae, ut supra fecimus, quid in collocatione habeat memorabile primum videamus. Itaque ut ab interrogationibus per vocabulum interrogativum prolatis exordiamur, quamquam in multis huiuscemodi interrogationibus *γάρ* vocula legitur, tamen quinque tantum loci, Eq. 353. Plut. 130. 535. 786. 923. traiectionem, quae vocatur, habent, quibus omnibus *γάρ* particula *τίς* pronomini praecedit. Cuius traiectionis causam si quaeris, omnibus illis locis accuratius perspectis *τίς* pronomen, ut maiore dicatur vi ad sententiae finem collocatum esse cognosces. Nub. 1179. ut id addamus, veteres editiones cum *γάρ* particulae traiectione legunt *ἔνη γάρ ἐστι καὶ νέα τίς ἡμέρα;* Cod. Rav. a prima manu *τῆς ἡμέρας*; praebet. Recte vero recentes editores scripserunt *ἔνη γάρ ἐστι καὶ νέα τις ἡμέρα;* nam cum in versu sequenti Strepsiades Phidippidi filio interroganti responso non dato orationem suam continuet, Phidippidem difficile est cogitatu interrogasse *ἔνη γάρ ἐστι καὶ νέα τίς ἡμέρα;* immo vero patris verba valde admiratus filius exclamat: *ἔνη γάρ ἐστι καὶ νέα τις ἡμέρα;* „estne enim dies aliquis vetus et novus?“ Quod cum Bergkius recte intellexisset, non male quidem coniecit: Phid. *ἔνη γάρ ἐστι καὶ νέα τίς;* Str. *ἡμέρα — εἰς ἣν γεθήσειν κτλ.*, quae tamen coniectura non satis mihi comprobatur, quia nulla est ratio *ἡμέρα* vocem, quae quam optime cum *τίς* pronomine indefinito coniungitur, a voce *τίς* disiungendi inque Strepsiadis responsi initio collocandi.

Quibus allatis de *γάρ* particulae positione pauca habeo, quae addam. Non secundo, sed tertio loco, si eximis quod legitur Av. 304. *ἐπὶ τί γάρ;* ubi *γάρ* inter praepositionem et

casum collocari nullo modo potuit, et Pac. 222. *ἀλλὰ ποῖ γὰρ οἴχεται;* et Ach. 594. *ἀλλὰ τίς γὰρ εἶ;* et Lys. 463. *ἀλλὰ τί γὰρ ᾤου;* quia *ἀλλά* particula in sententiae principio collocari solita est, *γάρ* vocula posita est Ach. 1211. Eccl. 767. et quidem his duobus locis post substantivum cum articulo praepositivo coniunctum, Eccl. 377. *ἤδη λέλυται γάρ;* (sc. *ἐκκλησία*). Av. 1051. *καὶ σὺ γὰρ ἐνταῦθ' ἦσθ' ἔτι;* quo fit, ut *λέλυται* et *σύ* maiore cum vi et gravitate pronuntientur; quarto loco, Av. 1386., in sententiae fine Lys. 489.

Iam ad *γάρ* particulae usum transeuntes ut res omnibus notissimas omittamus, ea tantum commemorabimus, quae extra viam tritissimam posita sunt. Ac primum id affirmamus, *γάρ* vocis vim causativam „nam“, „enim“, aut conclusivam „igitur“ omnibus apud Aristophanem locis perspici posse. [1]) Quae vis non raro minus perspicua est, quamquam omnibus illis locis de vera particulae vi dubium esse non potest. Quos omnes locos enumerare resque explicare cum longum sit, nonnullos liceat mihi afferre, de quibus maximi critici varie egerunt. Legimus

Nub. 191. *τί γὰρ οἵδε δρῶσιν οἱ σφόδρ' ἐγκεκυφότες;*
ibid. 200. *πρὸς τῶν θεῶν, τί γὰρ τάδ' ἐστίν; εἰπέ μοι.*
ibid. 218. *φέρε τίς γὰρ οὗτος οὑπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ;*

quibus locis nec praecedit quidquam nec sequitur, quod efficiat, ut *γάρ* particula suam significationem servet, quam ob rem Brunckius *γάρ* voculam hic locum habere negans in versu 191. edidit *τί δ' ἆρ' οἵδε δρῶσιν;* Quod ut refutet G. Hermannus ad Viger. p. 800. „in omni“, inquit, „interrogatione locus est particulae *γάρ*, quia intelligitur semper ‚nescio' vel ‚dic mihi' vel simile quid. Unde et Latini ‚quisnam' vel ‚nam quis' et Germani ‚denn' dicunt“. [2]) Quam rem accuratius

[1]) cfr. Hartungium, qui in vol. I. p. 478. non pauca exempla ex Aristophane affert.

[2]) cfr. de hac disputatione Handtium in Turs. II. p. 388. seqq.

fusiusque in Nub. ed. ad h. l. persecutus est, exponens in versu 192. *τί γὰρ οἵδε δρῶσιν;* esse stupentis novo aliorum discipulorum adspectu, rationemque reddentis quare eos miretur.“ Similiter dictum esse censet quod legitur in versibus 200. et 218. Quae omnia tantum abest, ut plane mihi comprobentur, ut assentiar, quocum consentit Kruegerus in arte 69. 14. 8. et Kockius ad h. l. Klotzio, qui ad Dev. p. 249. in illis locis nihil ante *γάρ* particulam omissum esse, aut omitti potuisse iudicat Graecosque vocula *γάρ* etiam uti solitos esse, ubi per se minime videretur res ad aliam rem spectare de exemplis nostris multum disputans demonstravit.

Sed satis de hac re; de ceteris usus generibus nunc pauca dicamus. Ex iis, quae propria interrogationi sunt, vocabulis *τίς, πῶς, ποῖος, ποῖ, ποῦ* apud comicum additur *γάρ* vocula, ut intensiva interrogandi vis perhibeatur. Cuius generis exempla enumerare omitto, unum tantum affero locum, qui est Ran. 1189. quique suam postulat explicationem.

Eurip. *εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν.*
Aeschyl. *μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ' οὐ μὲν οὖν ἐπαύσατο.*
πῶς γάρ; ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον.

formula *πῶς γάρ;* absolute posita significat „quomodo enim?“, „quo enim pacto?“ i. e. „nullo modo“, supplendum est *πῶς γὰρ ἂν παύσαιτο;*

Formula *τί γάρ;* quae est locutio elliptica ab aliis scriptoribus usurpata ut aut interrogationis signum fiat, significans „nonne“ vel „nunquid“, aut ad novam aliquam rem transitio, apud comicum omnino, nisi fallor, non reperitur, nam quae legitur Ran. 1472. in versus fine *τί γὰρ οὔ;* formula, ubi ex praecedentibus *ἔκρινα νικᾶν Αἰσχύλον* subaudiendum est *τί γὰρ οὐκ ἂν κρίναιμι;* huc referenda non est.

Restat, ut de *γάρ* particula *οὐ* negandi voculae postposita paucis disseramus. *οὐ γάρ* saepe apud Aristophanem vehementius aut cum emphasi quadam interrogat et quidem Ach. 827. Ran. 25. Av. 611. 1402. 1525. 1606. Plut 429. 911.; cum indignatione quadam, ita tamen, ut ex inter

rogatione affirmatio inferatur, Eq. 392. Vesp. 682. 836. 1290. Ach. 576. Plut. 856; cum ironia profertur Eq. 200. Duo denique exstant exempla, Eccl. 765. et Pac. 970., ubi οὐ γάρ; formula in enuntiationis initio et separatim posita per sese interrogationem profert, qua alterius assensus quasi elicitur, quod nos vocibus „nicht wahr?" pronuntiamus.¹)

Quae de γάρ particulae in interrogationibus usu disputata volebamus cum ad finem perducta sint, proximum est, ut de οὖν vocula paucis disseramus. De cuius particulae collocatione, ut ex hac re exordiamur, pauca habeo, quae afferam. Οὖν particula vocabula interrogativa proxime sequitur, quod paucis tantum locis negligitur et quidem, si μὲν οὖν formulam exemeris et quod legitur Av. 127. ποίαν τιν' οὖν, Pac. 674. ποῖος τις οὖν, ubi pronomen indefinitum quam artissime cum ποῖος pronomine coniungitur, ἄν vocula interposita est in Thesm. 22. ibid. 707. Eq. 17. Vesp. 348. Plut. 835. Eccl. 363. Lys. 193, et μοί voce intermissa Vesp. 291. Tres tantum loci reperiuntur, qui traiectionem, quae vocatur, habent, Nub. 202. Ran. 1064. 1422. Denique afferendi sunt loci

Av. 1405. βούλει διδάσκειν καὶ παρ' ἡμῖν οὖν μένων;

ubi οὖν metri causa post ἡμῖν pronomen positum legitur, et

Plut. 848. καὶ ταῦτ' ἀναθήσων ἔφερες οὖν;

ubi οὖν in sententiae fine collocatum est ea de causa, quod ἔφερες verbum, quocum οὖν coniungendum est, metri gratia in sententiae initio collocari non potuit. Sed ne longus sim in positione explicanda ad particulae usum accedamus. Qui cum in interrogationibus et in aliis enuntiatis parum differat, ita ut primaria particulae potestas ubique satis perspicua sit, ne ea, quae vulgo nota sunt, repetamus, non est, cur fusius ea de re disputemus; pauca attulisse satis erit. τί οὖν particulas non raro coniunctas, ut hiatus existat, in-

¹) cfr. Klein. ad Dev. p. 699.

veniri iam antea de hiatu agentes exposuimus. τί οὖν; per ellipsin dictum ter apud comicum adhibetur, qua formula is qui interrogat alterius animam ad eam, quae sequitur, quaestionem vocat. Loci sunt Thesm. 208. Lys 861. Plut. 94. Tribus locis Nub. 1086. Ran. 556. ibid. 1422. μὲν οὖν formula legitur, de qua quid Wehrius p. 19. disseruerit videas velim.

De μῶν particula haud dubie ex μή et οὖν vocibus nata paulo post de οὐκ adverbio negativo interrogationem proferente agentes disputabimus.

Restat, ut de ποτέ particula pauca dicamus. Et cum de collocatione nihil habeam, quod commemorem, statim ad usum qualis sit aggrediamur. Ac primum quidem, qui legitur versus

Ach. 588. εἰπέ μοι, τίνος ποτὲ
ὄρνιθός ἐστιν; ἆρα κομπολακύθου;

cum obliqua interrogatio habenda non sit, apud comicum nonnisi in rectis interrogationibus ποτέ particulam legi notandum est. Ut vero ad ποτέ vocis usum transeamus, in universum dico, nullum inveniri locum, qui ab aliorum scriptorum usu tam multum abhorreat, ut longius de eo disputari hoc loco opus sit. Plerumque ποτέ interrogantis animum quam celerrime responsum accipiendi exprimit, qua re locutioni nova quaedam emphasis additur. Ad dubitantis sollicitudinem efferendam dictum est Vesp. 143. 203. 273. 1000. Av. 374. 606. 1652. Thesm. 1. Nub. 346. 874. Eq. 17. 97. 1240. Ach. 423. Ran. 1251. Pac. 62. 68. Lys. 476; cum percontantis admiratione pronuntiatur Av. 280. 291. 1207. Nub. 187. Eccl. 311. 877. Pac. 1231. Lys. 48. 258.

Sed satis de hac re; transeamus ad alteram, quam nobis proposuimus, partem, quae, ut supra commemoravimus, interrogationes per particulas interrogativas prolatas complectitur.

Caput alterum.

De interrogationibus, quas per particulas interrogativas inducuntur.

Incipiunt enim interrogationes etiam a particulis interrogativis, quas nunc deinceps tractabimus. Ordiamur ab ἆρα particula. De qua cum G. Hermannus in praef. ad Soph. Oed. Col. p. XVII. seqq. et Klotzius ad Devar. p. 183. longius fusiusque egerint et fere omnia ex Aristophane exempla attulerint, longum videatur hoc loco idem retractare. Sed ne quis rem graviorem, praesertim cum illi viri valde varie de eadem re senserint, me tacitum praetermisisse dicat, totam rem, quod ad Aristophanem pertineat, accurate inquirere constitui. Ac primum quidem quid ἆρα vocula in collocatione habeat memorabile videamus. Ut apud ceteros scriptores ita apud comicum nostrum longe plurimis locis ab ἆρα particula oratio incipit; pauca tantum exstant exempla, ubi ἆρα vox aliis quibusdam vocibus postposita est aut propter rhetoricam aliquam rationem, ita ut verba antecedentia magis pronuntientur, aut quod ἆρα magis ad singulare enuntiationis verbum spectat. Prioris generis exempla inveni haec.

Vesp. 233. ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν,
Εὐεργίδης ἆρ' ἐστί που 'νταυθὶ Χάβης θ' ὁ Φλυεύς;
Pac. 372. νῦν ἆρά με — ἅπασ' ἀνάγκη 'στ' ἀποθανεῖν;
Thesm. 1. Ὦ Ζεῦ, χελιδὼν ἆρά ποτε φανήσεται;

quibus addam

Ach. 75. ὦ Κραναὰ πόλις,
ἆρ' αἰσθάνει τὸν κατάγελων τῶν πρέσβεων;

alterius generis

Thesm. 7. Mn. οὐ δεῖ μ' ἀκούειν; Eurip. οὐχ ἅ γ' ἂν μέλλῃς ὁρᾶν.
M. οὐδ' ἆρ' ὁρᾶν δεῖ μ'; E. οὐχ ἅγ' ἂν ἀκούειν δέῃ.
σῖγα πᾶς. ἠκούσατ' ἄνδρες ἆρα τῆς εὐφημίας;
Eccl. 672. οὐδὲ κυβεύσουσ' ἆρ' ἄνθρωποι;

Similiter ἆρα particula tribus locis ad singulare quoddam enuntiati verbum collocata est, ubi interrogatio alio quodam modo inducta est.

Av. 89. Euelp. σὺ δὲ τὴν κορώνην οὐκ ἀφῆκας καταπεσών;
Pisth. μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε. E. ποῦ γάρ ἐστ';
P. ἀπέπτετο.
E. οὐκ ἆρ' ἀφῆκας; ὦγάθ', ὡς ἀνδρεῖος εἶ.

Vesp. 893. τίς ἆρ' ὁ φεύγων οὗτος; ὅσον ἁλώσεται.

quod G. Hermannus l. c. p. XVII. hoc esse statuit: τίς ὁ φεύγων; ἆρ' οὗτος; Concedendum quidem est, hunc versum si solum legimus ita explicari posse; sed si eorum quoque, qui praecedunt, versuum rationem habemus, apparet Philocleontem non interrogasse: τίς ὁ φεύγων; ἆρ' οὗτος; quisnam est reus? an hicce? sed τίς ἆρ' ὁ φεύγων οὗτος; quisnam est iste reus? [1]) Tum Aristophanem nullo unquam loco duas interrogationes in unam contraxisse iam antea ostendimus. Denique ab illa explicatione nos prohibet tertius huius generis locus, qui est

Pac. 1240. τί δ' ἆρα τῇ σάλπιγγι τῇδε χρήσομαι,
ἣν ἐπριάμην δραχμῶν ποθ' ἑξήκοντ' ἐγώ;

quem versum G. Hermannus l. c. p. XIX. negans ἆρα pro ἄρα voce a poetis usurpatum esse, ubi neque interrogationi neque exclamationi locus est, exclamatoriam interrogationem habet, paulo ante exponens, interrogationis atque exclamationis coniunctionem atque affinitatem esse, ut exclamatio fere nihil nisi interrogandi quaedam forma esse videatur, recteque addidit, sine exclamatione hoc loco τί δ' ἄρα dicendum fuisse. Cui opinioni quae adversantur non pauca exempla Hermannus optimis libris invitis aliter constituenda esse censet coniecturisque per se optimis, quas hoc loco afferre nolo [2]) in suum usum commutavit, qua in re omnibus

---

[1]) Meinekius non male scripsit
Philocl. τίς ἆρ' ὁ φεύγων; Bdelycl. οὗτος. Ph. ὅσον ἁλώσεται.

[2]) vid. Klotzium l. c. qui nonnullas coniecturas recte repudiavit.

locis perspectis, ubi ἆρα extra interrogationem ab Aristophane adhibita est, ei assentiri nullo modo possum. Neque vero adstipulor Klotzio, qui ad Devar. p. 185. ut refutet Hermannum longiore disputatione agens, quid intersit, utrum dicas τίς ἆρα an τίς ἄρα; — οὐκ ἆρα an οὐκ ἄρα; ut ostendat studet, mea autem sententia in levioribus versatur. Immo vero facio cum Ellendt. Lex. Sophocl. p 217 et Hartung. I. p. 455, qui ἆρα particulam versus lege nonnunquam pro ἄρα voce positam neque usu neque significatione ab ἄρα vocula differre docent. [1]) Quod quo facilius intellegatur, afferam exempla ex Aristophane petita, ubi ἆρα extra interrogationem et quidem uno loco excepto,

Vesp. 460. ἆρ' ἐμέλλομέν ποθ' ὑμᾶς ἀποσοβήσειν τῷ χρόνῳ.

aliis quibusdam verbis postpositum legimus.

Plut. 579. τὸν Δία φήσεις ἆρ' οὐκ ὀρθῶς διαγιγνώσκειν
τὸ κράτιστον.

Nub. 1301. φεύγεις; ἔμελλον σ' ἆρα κινήσειν ἐγὼ
αὐτοῖς τροχοῖς τοῖς σοῖσι καὶ ξυνωρίσιν.

Vesp. 839. τοῦτ' ἆρα πρῶτον τἀδίκημα τῷ πατρὶ
εἰσακτέον μοι· σὺ δὲ κατηγόρει παρών.

Av. 161. ὑμεῖς μὲν ἆρα ζῆτε νυμφίων βίον.

ibid. 1530. ἐντεῦθεν ἆρα τοὐπιτριβείης ἐγένετο.[2])

ibid. 1688. ἐς καιρὸν ἆρα κατεκόπησαν οὑτοιὶ
ἐς τοὺς γάμους.

Lys. 933. codices contra metrum praebent Cin. νὴ Δί' ἀπολοίμην ἄρα. Myrrh. σισύρας οὐκ ἔχεις. pro quo vulgo omnes ediderunt: C. νὴ Δί' ἀπολοίμην ἆρα. M. σισύραν οὐκ ἔχεις. Hoc loco ἆρα quid sibi velit parum intellego maximeque mihi probatur quod Meinekius emendavit: C. νὴ Δί' ἀπολοίμην. M. ἀλλὰ σισύραν οὐκ ἔχεις.

---

[1]) cfr. G. Hermann. ad Viger. p. 820.

[2]) hunc versum Meinekius cum interrogatione edidit.

Qua digressione facta de ἆρα particulae collocatione agentes iam usum vocis tetigimus, de quo nunc pauca addamus. Ac primum notandum est, ἆρα particulam in interrogatione obliqua, quae dicitur, a comico adhibitam non esse. Non desunt, qui ἆρα voculam nonnunquam eadem significatione ac ἆρ' οὐ formula, i. e. „nonne" a Graecis usurpatam esse censeant. [1]) Quod verum esse R. Kuehnerus ad Xen. Mem. II. 6. 1. negans, „significat quidem (sc. ἆρα)," inquit, „dubitationem, unde fit, ut plerumque negative usurpetur et vim Latini „num" habere videatur, sed Attica urbanitas utitur hac particula etiam in interrogationibus minime dubiis, h. e. ubi is, qui interrogat, certo scit, alterum responsionem affirmaturum esse: unde fit, ut, ubi ἆρα pro ἆρ' οὐ dictum videatur, orationi saepe color quidam ironiae admisceatur." Interrogationes non paucas apud Aristophanem per ἆρα particulam prolatas si consideramus, facile intellegimus multas earum esse exclamatorias, ita ut is, qui interrogat, responsum non exspectans orationem suam continuet, qua ex re satis perspicuum est, ἆρα vocem tantum interrogationi instituendae inservire. Non raro etiam haec particula adhibita est ita ut latine reddendum sit „num", ubi interrogans responsum exspectat negans id, de quo interrogaverat. Unus tantum locus exstat, qui eximendus est, Av. 797. Chorus postquam v. 785. dixit

οὐδέν ἐστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.

v. 797. interrogat.

ἆρ' ὑπόπτερον γενέσθαι παντός ἐστιν ἄξιον;
ὡς Διιτρέφης γε πυτιναῖα μόνον ἔχων πτερὰ
ᾑρέθη φύλαρχος, εἶθ' ἵππαρχος, εἶτ' κτέ.

quod vertendum est „nonne igitur alatum esse quantivis est pretii?" Id eo magis mirum esse videtur, quod comicus in

---

[1]) cfr. Stallbaum. ad Plat. Phileb. § 158. et Heindorf. ad Plat. Cratyl. § 17.

locis perspectis, ubi ἆρα extra interrogationem ab Aristophane adhibita est, ei assentiri nullo modo possum. Neque vero adstipulor Klotzio, qui ad Devar. p. 185. ut refutet Hermannum longiore disputatione agens, quid intersit, utrum dicas τίς ἆρα an τίς ἄρα; — οὐκ ἆρα an οὐκ ἄρα; ut ostendat studet, mea autem sententia in levioribus versatur. Immo vero facio cum Ellendt. Lex. Sophocl. p 217 et Hartung. I. p. 455, qui ἆρα particulam versus lege nonnunquam pro ἄρα voce positam neque usu neque significatione ab ἄρα vocula differre docent. [1]) Quod quo facilius intellegatur, afferam exempla ex Aristophane petita, ubi ἆρα extra interrogationem et quidem uno loco excepto,

Vesp. 460. ἆρ' ἐμέλλομέν ποθ' ὑμᾶς ἀποσοβήσειν τῷ χρόνῳ.
aliis quibusdam verbis postpositum legimus.

Plut. 579. τὸν Δία φήσεις ἆρ' οὐκ ὀρθῶς διαγιγνώσκειν
τὸ κράτιστον.

Nub. 1301. φεύγεις; ἔμελλον σ' ἆρα κινήσειν ἐγὼ
αὐτοῖς τροχοῖς τοῖς σοῖσι καὶ ξυνωρίσιν.

Vesp. 839. τοῦτ' ἆρα πρῶτον τἀδίκημα τῷ πατρὶ
εἰσακτέον μοι· σὺ δὲ κατηγόρει παρών.

Av. 161. ὑμεῖς μὲν ἆρα ζῆτε νυμφίων βίον.

ibid. 1530. ἐντεῦθεν ἆρα τοὐπιτριβείης ἐγένετο.[2])

ibid. 1688. ἐς καιρὸν ἆρα κατεκόπησαν οὑτοιὶ
ἐς τοὺς γάμους;.

Lys. 933. codices contra metrum praebent Cin. νὴ Δί' ἀπολοίμην ἄρα. Myrrh. σισύρας οὐκ ἔχεις. pro quo vulgo omnes ediderunt: C. νὴ Δί' ἀπολοίμην ἆρα. M. σισύραν οὐκ ἔχεις. Hoc loco ἆρα quid sibi velit parum intellego maximeque mihi probatur quod Meinekius emendavit: C. νὴ Δί' ἀπολοίμην. M. ἀλλὰ σισύραν οὐκ ἔχεις.

---

[1]) cfr. G. Hermann. ad Viger. p. 820.

[2]) hunc versum Meinekius cum interrogatione edidit.

Qua digressione facta de ἆρα particulae collatione agentes iam usum vocis tetigimus, de quo nunc pauca addemus. Ac primum notandum est, ἆρα particulam in interrogatione obliqua, quae dicitur, a comico adhibitam non esse. Non desunt, qui ἆρα voculam nonnunquam eadem significatione ac ἆρ' οὐ formula, i. e. „nonne" a Graecis usurpatam esse censeant.[1]) Quod verum esse R. Kuehnerus ad Xen. Mem. II. 6. 1. negans, „significat quidem (sc. ἆρα)," inquit, „dubitationem, unde fit, ut plerumque negative usurpetur et vim Latini „num" habere videatur, sed Attica urbanitas utitur hac particula etiam in interrogationibus minime dubiis, h. e. ubi is, qui interrogat, certo scit, alterum responsionem affirmaturum esse: unde fit, ut, ubi ἆρα pro ἆρ' οὐ dictum videatur, orationi saepe color quidam ironiae admisceatur." Interrogationes non paucas apud Aristophanem per ἆρα particulam prolatas si consideramus, facile intellegimus multas earum esse exclamatorias, ita ut is, qui interrogat, responsum non exspectans orationem suam continuet, qua ex re satis perspicuum est, ἆρα vocem tantum interrogationi instituendae inservire. Non raro etiam haec particula adhibita est ita ut latine reddendum sit „num", ubi interrogans responsum exspectat negans id, de quo interrogaverat. Unus tantum locus exstat, qui eximendus est, Av. 797. Chorus postquam v. 785. dixit

οὐδέν ἐστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.

v. 797. interrogat

ἆρ' ὑπόπτερον γενέσθαι παντός ἐστιν ἄξιον;
ὡς Διιτρέφης γε πυτιναῖα μόνον ἔχων πτερὰ
ᾑρέθη φύλαρχος, εἶθ' ἵππαρχος, εἶτ' κτέ.

quod vertendum est „nonne igitur alatum esse quantivis est pretii?" Id eo magis mirum esse videtur, quod comicus in

---

[1]) cfr. Stallbaum. ad Plat. Phileb. § [illegible] et Heindorf. ad Plat. Cratyl. § 11.

omnibus eiusmodi interrogationibus *οὐ* particulam negativam addidit, velut

Plut. 886. *ἆρ' οὐχ ὕβρις ταῦτ' ἐστὶ πολλή;*

Vesp. 575. *ἆρ' οὐ μεγάλη τοῦτ' ἔστ' ἀρχὴ καὶ τοῦ πλούτου καταχήνη;*

ibid. 463. 620. Eq. 322. Av. 720. Eccl. 1102. Lys. 54. Neque tamen quidquam nostro loco, quamquam *οὐ* particula mutatione facillima inseri potest, mutandum est. In omnibus quidem, quae Heindorfius et Stallbaumius ll. cc. attulerunt exemplis *ἆρ' οὖν* loco *ἆρ' οὐ* dictum est, sed quae G. Hermannus addidit ad Sophocl. Antigon. 628. e Xenoph. Cyrop. VII. 540. *ἆρα, ἔφη, ὦ ἄνδρες, νῦν μὲν καιρὸς διαλυθῆναι;* „nonne nunc tempus est discedendi?" et ad Viger. p. 821. ex Eurip. Alc. 341. *ἆρά μοι στένειν πάρα;* et v. 771. *ἆρα τὸν ξένον — στυγῶ δικαίως ἐν κακοῖς ἀφιγμένον;* ubi affirmans responsum sequi debet, optime nostro loco congruunt, cum his quoque locis *ἆρα* pro *ἆρ' οὐ* usurpatum esse liqueat.

Sed ne nimis diu in *ἆρα* particula explicanda morer, breviter tantum afferam, *ἆρα* voci alias particulas adiungi, velut *ἆρά γε* particulae leguntur Plut. 546. Nub. 465. Vesp. 1337. Av. 668. 1221. alia voce interiecta disiunctae Vesp. 4. Pac. 113. Av. 307. *ἆρα δῆτα* inveniuntur Eq. 322. Vesp. 463. *ἆρά ποτε* Vesp. 460. Thesm. 1, ubi codices *ἆρα πότε* exhibent.

Postremum paucis tantum commemoro, Fritzschium in Thesm. 260. ex cod. Aug. *ἦ ῥ ἁρμόσει μοι;* et ex cod. Rav. *ἦρ' ἁρμόσῃ μοι;* edidisse *ἦρ' ἁρμόσει μοι;* pro quo alii editores recte scripserunt *ἆρ' ἁρμόσει μοι;* quod paulo infra in v. 260. in eadem formula iidem codices praebent, quod etiam Fritzschius hoc loco recepit. In Pac. 113. Dindorfius e scholiasta Venet. *ἦρ'* pro *ἆρ'* scripsit, quod idem Fritzschius in Thesm. edit. p. 89. probat, cum censeat, librarios sine dubio *ἆρα* aliquoties suffecisse, cum ipsi *ἦρα* invenissent.

Sequitur *ἦ* particula, quae, si magnum numerum locorum, quos Ellendtius in lex. Sophocl. ex Sophocle collegit, respicis, admodum raro a comico in interrogationibus usurpata est, nam sexies tantum cum interrogatione dicta legitur. De collocatione nihil est dicendum, nisi ab *ἦ* vocula interrogationes incipere; cuius rei exceptionem non faciunt duo loci, Ach. 749. et Pac. 114. ubi vocativi *Δικαιόπολι* et *ὦ πάτερ, ὦ πάτερ* praecedunt, nam his quoque duobus locis *ἦ* particula in enuntiati initio posita est. De usu particulae ex parvo exemplorum numero nihil concludere audeo, attamen quid suspicor facere non possum, quin exponam. Equidem Aristophani particulam in interrogationibus non placuisse puto, cum in permultis versibus, ubi *ἦ* voculae locus fuisset, eam repudiaverit. Quae causa est, cur mihi Dobraei coniectura v. Nub. 483., quam Meinekius in contextum recepit, minime probetur. Codices exhibent:

Str. *τί δέ; τειχομαχεῖν μοι διανοεῖ πρὸς τῶν θεῶν;*
Socr. *οὐκ ἀλλὰ βραχέα σου πυθέσθαι βούλομαι,*
εἰ μνημονικὸς εἶ.

quod Dobraeus commutavit in

οὐκ, ἀλλὰ βραχέα σου πυθέσθαι βούλομαι,
ἦ μνημονικὸς εἶ;

qua in re vir ille doctus cum neque comicus noster neque quisquam scriptorum Graecorum testibus grammaticis hanc nostram particulam in interrogationibus obliquis usurpaverit, pro commate post *βούλομαι* punctum ponere cogebatur, quo fit, ut interrogatio, quam hoc in enunciati nexu a verbo *πυθέσθαι* pendere exspectamus, per se solam proferatur.

Hoc loco cum iam *εἰ* particulam in interrogatione tetigerimus, non alienum esse videtur inquirere, interrogationesne rectae, quae vocantur, per *εἰ* particulam apud poetam nostrum inducantur. Quo de usu qui disseruerunt viri doctissimi quid varie senserint vide Devar. p. 69. Klotz. ad Devar. p. 50. Hoogeveen. p. 226. Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 117.

Matthiae. in gramm. § 526. p. 1214. ed. II. Kuehner. in gramm. II. 2. p. 1033. adn. 24. et ad Xen. Mem. I. 1. 8. Equidem pro vero statuo, apud Aristophanem nullum inveniri exemplum, in quo interrogatio recta per εἰ vocem proferatur.

Proximae sunt εἶτα et ἔπειτα particulae. De quarum collocatione memorabile nihil habeo, quod dicam; nam ubique ut apud ceteros scriptores ita apud comicum nostrum in sententiae initio positae sunt. Cuius rei exceptionem si quis habet versum, qui est

Plut. 78. ὦ μιαρώτατε ἀνδρῶν ἁπάντων, εἶτ' ἐσίγας Πλοῦτος ὤν;

et Ach. 1023. ὦ τρισκακόδαιμον, εἶτα λευκὸν ἀμπέχει;

id tantum monemus, etiam aliis particulis, a quibus interrogationes incipere solent, vocativum nonnunquam apud comicum praecedere. Huc referenda non sunt exempla, in quibus εἶτα post participium aliquod collocatum abundare videtur.

Iam particularum usum, qualis sit apud Aristophanem, ut consideremus, id primum in universum disputamus, comicum multo crebrius quam plerosque alios scriptores interrogationes per εἶτα et ἔπειτα voces protulisse. Quod nullius esse momenti, immo vero casu potius factum esse, facile non crediderim; nam si quis accuratius multos apud Aristophanem locos inquisiverit, facile inveniet, poetam nostrum interrogationes, quibus maxima vehementia vel indignatio movenda est, libenter per εἶτα et ἔπειτα voces exprimere, qua in constructione εἶτα et ἔπειτα particulae elegantissime adhibitae eandem habent vim ac latina particula „itane"? Quae causa mihi esse videtur, cur viri doctissimi, qui de particulis Graecis scripserunt, de εἶτα et ἔπειτα vocibus agentes fere ex Aristophane solo exempla petierint. Quae omnia enarrare omitto, satis habeo, quae occurrunt mihi, afferre. Ach. 1021. in agricolam quendam quaerentem ἐπετρίβην ἀπολέσας τὼ βόε. Dicaeopolis v. 1024. invehitur ὦ τρισκακόδαιμον, εἶτα λευκὸν ἀμπέχει; Plut. 78. Plutum Chremylus pecuniae avidissimus iracunde alloquitur ὦ μιαρώτατε — ἀνδρῶν ἁπάντων, εἶτ' ἐσίγας Πλοῦτος ὤν; Similiter iracunde et indignabunde pronuntiantur

Ach. 311. οὐχ ἁπάντων, ὦ πανοῦργε; ταῦτα δὴ τολμᾷς λέγειν ἐμφανῶς ἤδη πρὸς ἡμᾶς; εἶτ' ἐγώ σου φείσομαι;

ibid. 562. εἶτ' εἰ δίκαια, τοῦτον εἰπεῖν αὔτ' ἐχρῆν;

alia exempla habes Av. 103. 278. 1585. Nub. 259. 347. 1249. Vesp. 52. 441. 845. 1133. Ach. 917. 1026. Ran. 21. 76. 138. 202. 543. 610. 647. 786. 935. 950. Plut. 45. 398. 794. 827. 938. 1148. Eccl. 132. 235. 335. 529. 535. Thesm. 143. 188. 637. Lys. 608. 911. 985. 1016. 1075. in fragm. ap. Plutarch. in vita Niciae c. 8., in fragm. ap. Polluc. IX. 46. [1])

Silentio praetereo, ut extra interrogationem ita etiam in interrogatione nonnunquam vacare videri εἶτα et ἔπειτα voces, cum his locis nihil attineant ad interrogationem.[2])

De iis particulis, quae εἶτα et ἔπειτα voculis adiunguntur, cum supersit, ut disputemus, id statuimus, δῆτα particulam solam cum εἶτα et ἔπειτα vocibus in interrogationibus apud comicum coniunctam inveniri, nam Nub. 259. εἶτα δὴ τί κερδανῶ; particulam δή ad τί pronomen referendam esse iam antea demonstravimus. εἶτα δῆτα legimus Av. 1585. Vesp. 441. Ran. 950. Plut. 794. Particularum ἔπειτα δῆτα arta coniunctio non reperitur, sed semper ἔπειτα — δῆτα intermissa aliqua voce legitur, velut Ach. 917. Lys. 914. 985.

Sed ad calcem perventum est in hac de nostris particulis commentatione; nunc de ea quae est ἀλλὰ verba faciamus. De cuius voculae in interrogatione usu alii aliud senserunt. Vigerus p. 471. huic particulae interrogandi vim tribuit; qua in re virum doctissimum valde errare Hoogeveenus p. 8. docere studet, in exemplis a Vigero allatis non ἀλλά, sed sequentes particulas ἆρα, ἦ, μή inter-

---

[1]) versum Lys. 24, quem delendum esse intellexit Nauckius, Meinekius sub contextum posuit.

[2]) hac de re videas velim G. Herrmann. ad Nub. 859.

rogare et *ἀλλά* suam potestatem *διαφορικήν* exercere recte demonstrans. Cui assentitur Zeunius in adn. ad Viger. p. 472. ed. IV. G. Herm. Cum Vigero conspirat Devarius p. 5, ad quem conferas Klotzium p. 13. De ea re quid senserit Kruegerus in gramm. § 69. 4. 4. satis perspici non potest; itaque eo magis iuvat. quod Kuehnerus in gramm. II. p. 1028. suam de hâc re sententiam aperte dixit. „*ἀλλά* = at“, inquit, „leitet häufig eine Frage ein. etc.“ Quibus praemissis ad particulae usum, qualis apud Aristophanem exstet, contemplandum transgrediamur et inquiramus, quatenus ea, quae illi viri disseruerint, de Aristophane recte sese habeant. Atque ut meam hac de re opinionem statim proferam, ego hanc particulam apud comicum non interrogativam esse, sed vim suam ac potestatem propriam retinere puto. Sed ut singulorum exemplorum genera perscrutemur, primum particula nostra plurimis locis invenitur cum aliis particulis iisque interrogativis coniuncta, ita ut in initio enuntiati locum habeat et adversationi inserviat. Cuius generis quae admodum pauca exempla exceptionem faciunt, nunc consideremus. Primum proferendi sunt tres loci, ubi obiectiones, quae cum interrogatione fiunt, non ineleganter efferuntur per *ἀλλά* particulam, quam vernacula reddimus „oder“,

Ran. 55. Herc. *πόθος; πόσος τις;* Lib. *μικρὸς ἡλίκος Μόλων.*
H. *γυναικός;* L. *οὐ δῆτ'.* H. *ἀλλὰ παιδός;* L. *οὐδαμῶς.*
H. *ἀλλ' ἀνδρός;* L. *ἀτταταῖ.* H. *ξυνεγένου Κλεισθένει.*

Hoc loco *ἀλλά* vocem interrogationi non inservire, immo vero tantum *οὐ δῆτ'* et *οὐδαμῶς* vocibus oppositam esse satis apparet. Quod idem facile intellegi potest

Plut. 903. Iust. *γεωργὸς εἶ;* Syc. *μελαγχολᾶν μ' οὕτως οἴει;*
I. *ἀλλ' ἔμπορος;* Syc. *ναί, σκήπτομαί γ' ὅταν τύχω.*

ibid. 372. Bleps. *μῶν οὐ κέκλοφας, ἀλλ' ἥρπακας;* Chr. *κακοδαιμονᾷς;*
B. *ἀλλ' οὐδὲ μὴν ἀπεστέρηκάς γ' οὐδένα;*
Chr. *οὐ δῆτ' ἔγωγ'.*

Praeclarum eiusdem generis extra interrogationem exemplum liceat afferre Ach. 302. ubi Dicaeopoli Euripidis servum iubenti evocare Euripidem, respondit ille

Serv. *ἀλλ' ἀδύνατον.* tum Dic. *ἀλλ ὅμως.*
οὐ γὰρ ἂν ἀπέλθοιμ', ἀλλὰ κόψω τὴν θύραν. etc.
407. Eurip. *ἀλλ' οὐ σχολή.*
Dic. *ἀλλ' ἐκκυκλήθητ'.* E. *ἀλλ' ἀδύνατον.* D. *ἀλλ' ὅμως.*
E. *ἀλλ' ἐκκυκλήσομαι· καταβαίνειν δ' οὐ σχολή.*

Eadem particula *ἀλλά* interrogantis non est tribus locis, Plut. 441., ubi Chremylus Blepsidemum aufugientem audito Paupertatis nomine compellat

οὐ μενεῖς;
ἀλλ' ἄνδρε δύο γυναῖκα φεύγομεν μίαν;

Av. 50. Euelp. *χὠ κολοιὸς οὑτοσὶ*
ἄνω κέχηνεν ὡσπερεὶ δεικνύς τί μοι·
κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἔστιν ἐνταῦθ' ὄρνεα.
εἰσόμεθα δ' αὐτίκ', ἢν ποιήσωμεν ψόφον.
Pisth. *ἀλλ' οἶσθ' ὃ δρᾶσον; τῷ σκέλει θένε τὴν πέτραν.*

Pac. 1060. Hierocl. *ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται.* Tryg. *μεμνήμεθα.*
ἀλλ' οἶσθ' ὃ δρᾶσον;

Duobus postremis locis si quis interrogationes per vocabulum interrogativum induci velit facili commutatione scribere possit *ἆρ' οἶσθ'*, quae formula saepe a nostro poeta adhibita est. Quod tantum abest ut opus sit, ut alienum et inutile, ne dicam falsum sit. Nam utroque loco *ἀλλά* vocula sua potestate primaria non orbata cum vivacitate alterius orationem excipiens optime cum obiectione a praecedentibus recedit. Quod idem fit quatuor locis, ubi *ἀλλά* voci particula *ἤ* adiuncta est,

Ach. 428. seqq. Eurip. *ποίας ποθ' ἁνὴρ λακίδας αἰτεῖται πέπλων;*
ἀλλ' ἦ Φιλοκτήτου τὰ τοῦ πτωχοῦ λέγεις;
Dic. *οὐκ ἀλλὰ τούτου πολὺ πολὺ πτωχιστέρου.*
E. *ἀλλ' ἦ τὰ δυσπινῆ θέλεις πεπλώματα,*
ἃ Βελλεροφόντης εἶχ' ὁ χωλὸς οὑτοσί;

Vesp. 8. Xanth. *οἶδ', ἀλλ' ἐπιθυμῶ σμικρὸν ἀπομερμηρίσαι.*
Sos. *σὺ δ' οὖν παρακινδύνευ', ἐπεὶ κἀντοῦ γ' ἐμοῦ*
κατὰ τοῖν κόραιν ἤδη τι καταχεῖται γλυκύ.
X. *ἀλλ' ἦ παραφρονεῖς ἐτεὸν ἢ κορυβαντιᾷς;*

in fragm. apud Polluc. VI. 24.
τί τὸ κακόν; ἀλλ' ἦ κοκκύμηλ' ἠκρανίσω;

Quibus locis quid significet *ἀλλά* particula primo obtutu facile intellegi non potest; *ἦ* vocem interrogare doctissimi, quos antea commemoravimus, viri rectissime animadverterunt. Sed quid valet *ἀλλά* vocula, cum nihil antecedat, ad quod particulae vis sive adversativa sive exceptiva referatur? Itaque nonnulli viri doctissimi *ἀλλ' ἦ* voces quam artissime coniungendas esse censuerunt interrogandique formulam habuerunt. [1])

At falluntur illi viri, quod ad Aristophanem pertinet. Nam his quoque quatuor locis, si rem accuratius perspexeris, invenies *ἀλλά* vocem suum obtinere locum optimeque a comico usurpatam esse, qua is, qui loquitur, sermonem interrumpat et antecedentia e conspectu alterius auferat.

Similiter *ἀλλά* vocula sola adhibita est

Ach. 186. *οἱ δ' οὖν βοώντων· ἀλλὰ τὰς σπονδὰς φέρεις;*

---

[1]) cfr. Hoogeveen. ed. Schuetz. p. 27. Valkenarium, qui ad Euripid. Hippol. 993. ita disserit: „est sane saepius *ἀλλ' ἦ* ‚num' formula interrogantis". Brunck. ad Ach. 1111. „*ἀλλ' ἦ*", inquit, interrogativum est, et valet ‚num'". Klotz. ad Devar. p. 51. Hartung. particul. Graec. doctr. II. p. 88. imprimis autem G. F. A. Kruegerum, qui in libro qui inscribitur „De formula *ἀλλ' ἦ* et affinium particularum post negationes vel negativas sententias usurpatarum natura et usu commentatio" longiore dissertatione de *ἀλλ' ἦ* formula disputat.

Quibus allatis unus restat locus dignus, de quo disputetur, Thesm. 143/144. Mnesilochus Agathonem semivirum vocans magna cum vehementia interrogat. v. 135. seqq.

ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα; τίς ἡ στολή;
τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; τί βάρβιτος
λαλεῖ κροκωτῷ; τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ;
τί λήκυθος καὶ στρόφιον; ὡς οὐ ξύμφορον.
τίς δαὶ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία;
σύ τ' αὐτός, ὦ παῖ, πότερον ὡς ἀνὴρ τρέφει;
καὶ ποῦ πέος; ποῦ χλαῖνα; ποῦ λακωνικαί;
ἀλλ' ὡς γυνὴ δῆτ'; εἶτα ποῦ τὰ τιτθία;
τί φῄς; τί σιγᾷς; ἀλλὰ δῆτ' ἐκ τοῦ μέλους
ζητῶ σ', ἐπειδή γ' αὐτὸς οὐ βούλει φράσαι;

Neque in his duobus versibus *ἀλλά* particula, vi primaria non exuta, interrogationi inservit, sed hic quoque adversativam naturam sapit. Ac primum in quaestionem vocandum est, utroque loco *ἀλλά* vocem non solam, sed cum *δῆτα* particula coniunctam legi. Tum priore loco *ἀλλὰ δῆτα* formula, si contemplamur, Mnesilochum adhuc negativo sensu locutum esse, suo loco est. Elegantius quidem ironia exprimitur, si in enuntiati fine *ἀλλ' ὡς γυνὴ δῆτ';* pro interrogandi signo punctum collocamus. Qua re recte intellecta Meinekius in ed. interpunctionem mutavit, id quod Schaeferus, quem secuti sunt Erfurdtius et G. Hermannus, recte monuit simili loco Sophocl. O. R. 1375.

ἀλλ' ἡ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος
βλαστοῦσ' ὅπως ἔβλαστε, προσλεύσσειν ἐμοί.

ubi vulgo scholiastam sequentes in versus fine interrogandi signum ponebant. In altero Thesm. versu

τί φῄς; τί σιγᾷς; ἀλλὰ δῆτ' ἐκ τοῦ μέλους
ζητῶ σ',

primitiva vocis *ἀλλά* potestas non tam facile percipitur. Meo quidem iudicio duae interrogationes *τί φῄς; τί σιγᾷς;* nullo alio ac negativo sensu prolatae sunt, ita ut Mnesi-

lochus, ut vernacula reddam, loquatur: „Du antwortest mir also nicht, sondern ich soll dich aus deinem Liede erkennen?“, qua ex re sequitur, *ἀλλά* locum suum recte obtinere.

Quae cum ita sint, his duobus locis, de quibus dixi, *ἀλλά* particulam interrogantis esse concedere nullo modo possum neque quidquam apud Aristophanem exstare, quo *ἀλλά* voculae interrogandi vim tribuere cogamur, demonstrasse mihi videor.

Sed satis de *ἀλλά* particula diximus; pervenimus nunc ad particulas negativas quae sunt *οὐ*, *μή*, *μῶν*, *οὐκουν*. Ad eas igitur contemplandas aggrediamur et qui proprius usus sit particularum apud Aristophanem videamus. Quo in describendo non id curo, ut, quibus permultis comicus locis usus est, eos omnes enumerem, immo vero satis habebo ea commemorare, quae ab usu vulgato recedant. Ac primum profero interrogationes, quae per *οὔ τί που* et *οὐ δή που* particulas exprimuntur; in his vocibus non, ut Kustero visum est, negandi vis, sed affirmandi potius inest, quod iam recte statuit scholiasta, qui ad Ran. 526.

> *τί δ' ἔστιν; οὐ δή πού μ' ἀφελέσθαι διανοεῖ*
> *ἅδωκας αὐτός;*

adnotavit: *„ἀντὶ τοῦ ὄντως διανοῇ, ὥστε ἀφελέσθαι μετὰ ὅπλα. ἡ γὰρ οὐ ἄρνησις συγκατάθεσιν δηλοῖ.“* Interrogationes enim ab *οὐ δή που* et ab *οὔ τί που* particulis incipientes nullum aliud responsum postulant nisi assensionem. Ei, qui quaerit, subito suspicio de aliqua re, quam non expectaverat, mota est, quam ob rem sententiam suam negativam cum interrogatione profert, qua ex altero eliciat, isne rem ita sese habere assentiatur.[1]) Quomodo *οὔ τί που* et *οὐ δή που* formulae inter se differant, Fritzschius ad Ran. 526. ita exponit: „Quae particulae hoc differunt, quod *οὐ δή που* levem tantum nulloque nixam certo judicio coniecturam ex-

[1]) cfr. Klotz. ad Devar. p. 428.

promit, *οὐ δή που* vero in re satis probabili gravem continet interrogationem“. Quod num recte de Aristophane dixerit, nunc videamus. Per *οὐ δή που* voces apud comicum inducuntur hae interrogationes. Eccl. 327. vir quidam Blepyrum conspiciens exclamat:

> *τίς ἔστιν; οὐ δή που Βλέπυρος ὁ γειτνιῶν;*

Hoc loco *οὐ δή που* voces affirmative tantum magna cum gravitate dictas esse luce clarius demontrant verba, quae idem vir statim addit: *νὴ τόν Δί' αὐτὸς δῆτ' ἐκεῖνος.* Quod idem facile intellegitur Ran. 526, ubi Xanthias servus a Libero domino sarcinas iterum portare severa voce iussus his verbis *ἀλλ' ἀράμεννος οἴσεις πάλιν τὰ στρώματα*, quamquam sibi persuasum habet, verba sua frustra futura esse, perterritus interrogat

> *τί δ' ἔστιν; οὐ δή πού μ' ἀφελέσθαι διανοεῖ*
> *ἅδωκας αὐτός;*

et revera, id, quod Xanthias metuerat, Liber statim affirmat interrogationem dicens *οὐ τάχ', ἀλλ' ἤδη ποιῶ.*

Similiter formula nostra dicta est

Av. 179. Pisth. *εἶδες τι;* Eq. *τὰς νεφέλας γε καὶ τὸν οὐρανόν.*
P. *οὐχ οὗτος οὖν δήπου 'στιν ὀρνίθων πόλος.*

ibid. 296. *νὴ Δί' ὄρνις δῆτα. τίς ποτ' ἐστίν; οὐ δήπου ταῶς;*

Ach. 122. *ὁδὶ δὲ τίς ποτ' ἐστίν; οὐ δήπου Στράτων;*

Exempla per *οὔ τί που* particulas prolata satis sit hoc loco enumerare, cum de nonnullis eorum Fritzschius l. c. fusius disputaverit neque ego multum habeam, quod adiciendum putem. Legimus

Ran. 522. *ἐπίσχες οὗτος. οὔ τί που σπουδὴν ποιεῖ,*
ὁτιή σε παίζων Ἡρακλέα 'νεσκεύασα;

Av. 433. *οὔ τί που — τόνδ; οὐδαμῶς.*

Lys. 354. *τί βδύλλεθ' ἡμᾶς; οὔ τί που πολλαὶ δοκοῦμεν εἶναι;*

Eccl. 329. *τί τοῦτό σοι τὸ πυρρόν ἐστιν; οὔ τί που*
Κινησίας σου κατατετίληκέν ποθεν;
Pac. 1211. *τί δ' ἔστιν, ὦ κακόδαιμον; οὔ τί που λοφᾷς;*
Nub. 1260. *τίς οὑτοσί ποτ' ἔσθ' ὁ θρηνῶν; οὔ τί που*
τῶν Καρκίνου τις δαιμόνων ἐφθέγξατο;

Unus etiam exstat locus, ubi interrogatio non per *οὔ τί που*, sed per *οὔ τι μή* particulas profertur, Eccl. 756.

τί δῆτ' ἐπὶ στοίχου 'στὶν οὕτως; οὔ τι μὴ
Ἱέρωνι τῷ κήρυκι πομπὴν πέμπετε;

Saepissime comicus ac saepius quam alius quivis scriptor Graecorum *οὐκ* interrogativum cum secunda persona temporis futuri indicativi coniunxit; quod ubi fit, *οὐκ* imperantis est et redditur vel „quin" vel per imperativum. Ita, ut exempla afferam, legimus

Av. 225. *οὐ σιωπήσεις;* „quin taces".
Thesm. 689. *ἆ ποῖ σὺ φεύγεις; οὗτος, οὐ μενεῖς;*
Nub. 1296. *οὐκ ἀποδιώξει σαυτὸν ἀπὸ τῆς οἰκίας;*

Alia exempla enumerare opus non est, cum in unaquaque fabula multa obvia sint. Quod dicendi genus per formam, quam nos vocamus imperativum, explicat Aristophanes duobus locis, quibus is, qui loquitur, cum per interrogationem iussa quaedam expresserit, statim per imperativum iubere pergit; Lys. 459. Lysistrata postquam dixit

οὐχ ἕλξετ', οὐ παιήσετ', οὐκ ἀράξετε;
οὐ λοιδορήσετ', οὐκ ἀναισχυντήσετε;

statim adiicit

παύεσθ', ἐπαναχωρεῖτε, μὴ σκυλεύετε.

Vesp. 448. Philocleon chorum allocutus

οὐκ ἀφήσεις οὐδὲ νυνί μ', ὦ κάκιστον θηρίον;

v. 452. addit

ἀλλ' ἄφες με καὶ σὺ καὶ σύ, πρὶν τὸν υἱὸν ἐκδραμεῖν.

Eodem modo *οὐ* particulam cum secunda persona praesentis indicativi, id, quod pauci scriptores perraro et quidem, quod

sciam, nonnisi in *ἰέναι* et *ἀπιέναι* verbi formis admiserunt, Aristophanes compluribus locis coniunxit. Loci sunt

Lys. 848. *οὐκ ἄπει δῆτ' ἐκποδών;*
ibid. 1222. *οὐκ ἄπιτε; κωκύσεσθε τὰς τρίχας μακρά.*
οὐκ ἄπιθ', ὅπως ἂν οἱ Λάκωνες ἔνδοθεν
καθ' ἡσυχίαν ἀπίωσιν εὐωχημένοι;
Eq. 728. *τίνες οἱ βοῶντες; οὐκ ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας;*
Ach. 166. *ὦ μοχθηρὲ σύ,*
οὐ μὴ πρόσει τούτοισιν ἐσκοροδισμένος.
Vesp. 458. *οὐχὶ σοῦσθ'; οὐκ ἐς κόρακας; οὐκ ἄπιτε;*

ibid. 1340. codicum scriptura est *οὐκ ἄπεισι*; pro quo Dindorfius recte scripsit *οὐκ ἄπει σύ;* quod etiam Meinekius in contextum recepit, at in adn. crit. ad h. l. dubius haeret, hanc emendationem probet, an *οὐκ ἀποίσεις;* quod opus non esse exempla supra allata satis docent. Quibus in locis haec temporis praesentis et futuri permutatio excusari potest, cum *ἀπιέναι* et *σοῦσθαι* verborum forma temporis futuri non exstet cumque *ἰέναι* verbum persaepe ut futurum usurpetur; sed aliter res sese habet Av. 1212., ubi Pisthetaerus ad Iridem dicit

πρὸς τοὺς κολοιάρχους προσῆλθες; οὐ λέγεις;
σφραγῖδ' ἔχεις παρὰ τῶν πελαργῶν;

ubi interrogationem *οὐ λέγεις;* imperativi loco adhibitam esse satis apparet. Quibus de causis Aristophanes permotus contra regulam hoc loco tempus praesens pro futuro usurpaverit, difficile est intellectu. Equidem nullam video causam, cur comicus ab usitata dicendi ratione recedat et *οὐκ ἐρεῖς;* formulam, qua in Pac. 185. et Av. 67. in eodem versus loco usus est repudiet. Quod eo magis mirum mihi videtur, cum in artibus lexicisque alia huius generis loquendi exempla frustra perquisiverim. Unum quidem locum Kuehnerus affert in art. II. 1. p. 150 ed. II. ex Plat. Lys. 903. B. *δεῦρο δή, ἦ δ' ὅς, εὐθὺ ἡμῶν. οὐ παραβάλλεις;* Sed si alia exempla non inveniuntur, quod hoc tempore

diiudicare non posse valde doleo, hic unus locus magni momenti non est, praesertim cum *οὐ παραβάλλεις* perfacile librariorum errore ex *οὐ παραβαλεῖς* exortum esse possit. Multo maioris momenti mihi est, quod G. Hermannus ad Viger. p. 740 ita disserit: „cum praesente (sc. *οὐ* particula coniungitur), sed eo tali, quod fere ubique futuri significationem habet. Quare in Eurip. Herc. fur. 1055. dedi *αἰάξετε* pro *αἰάζετε*." Ad nostrum versum ut redeam, tantum abest, ut codicum scripturam retinendam esse iudicem, ita ut singularis quaedam structura statuenda sit, haec videlicet, in qua loco temporis futuri usitatissimi praesens in huiuscemodi enuntiationibus in usu versatur, ut *οὐ λέγεις*; formulam errore librarii Aristophani illatam in *οὐκ ἐρεῖς*; mutandam esse censeam.

Denique notatu dignum est, in eiusmodi enuntiatis raro poni optativum cum *ἄν* particula coniunctum, qui quidem lenior est imperativo, „sed tamen", ut Hermanni de particul. *ἄν* p. 170. verbis utar, „quoniam permittendi speciem habet, ut pro vocis informatione etiam vel severior vel superbior videri possit." Quo in genere dicendi Aristophanes formulam *οὐκ ἂν φθάνοις;* ter adhibuit, Plut. 874. 1133. Eccl. 118., quibus locis Meinekius pro interrogandi signo punctum posuit, quod plane repudiandum non est. De loco Plut. 485. postea disputabimus.

Postremum missum non faciam, Elmsleium ad Oed. Col. 177. et ad Eurip. Med. 1120, cum censeat, ubi *οὐ μὴ* particulae cum futuro indicativi coniunguntur, id fieri cum interrogatione, novem Aristophanis locos interrogationis nota terminasse, de qua re conferas velim G. Herm. ad Electr. 1041. Quinque locis, Ach. 165. Nub. 505. Vesp. 397. Ran. 462. 524. Elmsleium secutus est Dindorfius. Meinekius vero, excepto Vesp. versu 397.

ὦ μιαρ' ἀνδρῶν, τί ποιεῖς; οὐ μὴ καταβήσει;

ubique punctum posuit. Accuratius et mea quidem sententia recte de hac re egit Baeumleinius in libro suo „Untersuchungen über die griech. Modi" p. 120. qui duobus locis, Ach. 166. et Vesp. 397. interrogationem statuit, attamen bene addit: „Dass in allen diesen Stellen die Frage auf den mit *οὐ μὴ* ausgedrückten Behauptungssatz zurück zu führen ist, ist so unleugbar, dass in mehreren die Auffassung zwischen Behauptung und Frage schwankt und überall wenigstens für den Sinn, wenn auch nicht für den Ton der Rede es gleichgültig ist, ob man den Satz als Behauptung oder als Frage nimmt."

μὴ interrogativum, quod sine ullo vocabulo interrogationi proprio addito primum et quidem saepius apud Aeschylum legi, Baeumleinius in libro, qui inscribitur „Griech. Partic." p. 303. docet, quodque significat, eum, qui loquitur, cum aliqua suspicione ac metu quaerere, quod nos dicimus „doch nicht etwa" ab Aristophane bis tantum adhibitum invenimus. Thesm. 1114. Euripidem lictor alloquitur *σκέψαι τὸ κύστο· μή τι μικρό φαίνεται;* Plut 650. mulier quaedam a Carione interrogatur

μὴ τἀγαθὰ
ἃ νῦν γεγένηται;

Idem fere ac *μή* vocula in interrogationibus valet particula *μῶν* ex *μή* et *οὖν* vocibus conflata, de qua re fusius egit G. Hermannus ad Viger p. 787. et Stallbaumius, qui ad Plat. Lys. p. 110. seqq. longiore disputatione *μῶν* particulae usum quidque *μή* et *μῶν* voces differant uberius exposuit. Itaque paucis de huius particulae apud comicum usu disputabimus. Ac primum statuendum est nullum apud poetam nostrum exstare exemplum, in quo, quod nonnulli fieri iudicant, [1]) res affirmatur. Primo obtutu quinque quidem locis id exsistere videatur, Eq. 786. Ach. 417. Eccl. 976. Lys. 24. Plut. 845. sed his omnibus locis, qui loquuntur, rem magis optant quam metuunt, qua de causa ita interrogant, ut se id, quod quaerant,

---

[1]) cfr. G. Herm. ad Viger. p. 787.

nolle simulent, cum tamen ab altero contrarium affirmatum iri praevideant. Et revera quatuor locis statim negans responsio datur.

Tum breviter afferam, *μῶν* voci *οὖν δῆτα* particulas adiungi uno loco,

Plut. 845. *μῶν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;*

ubi *μῶν* paene nihil est, nisi vox interrogativa.

Deinde non prateribo, duobus locis

Plut. 372. *μῶν οὐ κέκλοφας, ἀλλ' ἥρπακας;*

Pac. 281. *τί ἔστι; μῶν οὐκ αὖ φέρεις;*

ubi interrogatio negationem quandam postulat, *μῶν* voculae *οὐ* particulam adiungi.

μῶν μή, quae particulae coniunctae non raro apud alios scriptores inveniuntur, apud comicum non legi.

Denique duo exstant loci digni, qui hic proferantur,

Vesp. 276. *μῶν ἀπολώλεκεν τὰς*
ἐμβάδας, ἢ προσέκοψ' ἐν
τῷ σκότῳ τὸν δάκτυλόν που
εἶτ' ἐφλέγμηνεν αὐτοῦ
τὸ σφυρὸν γέροντος ὄντος;

Ach. 329. *μῶν ἔχει του παιδίον*
τῶν παρόντων ἔνδον εἵρξας; ἢ 'πὶ τῷ θρασύνεται;

Admodum raro enim invenies, in priore interrogationis membro *μῶν* praecedere, in altero *ἤ* sequi, in qua dicendi ratione non res contrariae vel diversae cum interrogatione proponuntur; structura tantum grammatica non sensus disiungitur. Quod in Vesp. loco statim apparet, neque vero difficile est intellectu altero loco allato.

Supersunt *οὐκοῦν* et *οὔκουν* particulae negativae. De accentu quid statuendum sit quidque *οὐκοῦν* et *οὔκουν* voculae differant G. Hermannus ad Viger. p. 729. Kuehnerus in excursu tertio „de duplici scriptura vocabuli *οὔκουν* et *οὐκοῦν*" ad Xen. Comment. p. 489—491, Ellendtius in lex. Sophocl. p. 431, accuratius fusiusque Breitenbachius in dissertatione

longiore „über die Particeln *οὐκοῦν* et *οὔκουν* in Z. A. W. 1841. p. 105—120 exposuerunt. In his vocabulis omnes omnium veterum scriptorum codices maximam sequi toni collocandi inconstantiam satis constat[1]), quam ob rem multis locis editores recte lectiones codicum immutantes id, quod sensui optime quadrat, scripserunt. Itaque comprobare non possum, quod J. Bekkerus in sua comici editione codicum scripturam singulari quadam constantia sequitur; rectius alii editores nonnullis locis, ubi sensu postulatur, id, quod codices exhibent, immutaverunt, ut fecerunt inter alios Dindorfius et Meinekius, qui omnibus locis, ubi *οὔκουν* sive *οὐκοῦν* invenitur, plane consentiunt. Quos si sequimur, apud Aristophanem *οὔκουν* particula, quatuor locis, (Vesp. 823. Eccl. 343. 350. 936.) exceptis, semper est in interrogatione significans „nonne igitur", nonne ergo".

Ut *οὐ* paritcula, ita etiam *οὔκουν* cum secunda futuri temporis persona non raro in interrogatione construitur, ut interrogatio iubendi sensum habeat. Unum sat habeo attulisse locum, qui etiam altera de causa dignus est observatu, Eccl. 1144.

οὔκουν ἅπασι δῆτα γενναίως ἐρεῖς
καὶ μὴ παραλείψεις μηδέν, ἀλλ' ἐλευθέρως
καλεῖς γέροντα μειράκιον παιδίσκον;

ex usitata dicendi ratione in altero, quod vetat, membro *μὴ* particula collocatur, ita ut *οὔκουν* ex priore supplendum sit, quod silentio praetermisissem, si plura eiusmodi exempla apud comicum exstarent; similes quidem loci per *οὐ μή* particulas prolati sunt Nub. 295. et Ran. 298, sed hos rectius sine interrogatione legi supra ostendimus. Denique ne id quidem omitto, codices hoc loco praebere *ἀλλ' ἐλευθέρως καλεῖν*, quod recepit Ald. Brunck. Bekker. Bergk. Quem

[1]) cfr. Stallb. ad Plat. Phaedr. p. 258. C. Bornem. ad Xen. Mem. II. 2. 3. Ellendt. Lex. Sophocl. p. 433.

librariorum errorem correxit Bl. cum in Praef. Av. p. V. scriberet *καλεῖς*, qua in re eum secuti sunt Cobet. Meinek. Dindorf. — Blaydesius. qui nuper Eccl. edidit, in contextum quidem recepit *καλεῖς*; attamen codicum scripturam non plane relinquere videtur, nam in adnot. tribus, qui coniecturam tueantur, locis allatis, dubitanter addit: „cfr. tamen Them. 157. *ὅταν Σατύρους τοίνυν ποιῇς καλεῖν με*; Fr. 559. *οὐκ ἔσθω κενέβρει' ὁπόταν θύῃς τι, καλεῖν με*. Ita enim locum depravatum corrigo.“ Ut omnis tollatur dubitatio, tres alios, quos Blaydesius non commemoravit, locos afferam nostro loco simillimos

Thesm. 696. *γυναῖκες, οὐκ ἀρήξετ'; οὐ πολλὴν βοὴν*
στήσεσθε καὶ τροπαῖον, ἀλλὰ τοῦ μόνου
τέκνου με περιόψεσθ' ἀποστερουμένην;
Ran. 524. *σὺ μὴ φλυαρήσεις ἔχων, ὦ Ξανθία,*
ἀλλ' ἀράμενος οἴσεις πάλιν τὰ στρώματα.
Nub. 505. *σὺ μὴ λαλήσεις, ἀλλ' ἀκολουθήσεις ἐμοὶ*
ἀνύσας τι δευρὶ θᾶττον;

Tum pro vero statuo hoc loco infinitivum imperativi loco ab usu Aristophaneo abhorrere, nam in sexcentis exemplis, in quibus is, qui loquitur, per huiuscemodi interrogationem iubet, nullum invenitur, in quo is, qui dicit, per formam, quam nos vocamus infinitivum, iubere pergit.

οὐκοῦν particula bis apud comicum in interrogationibus legitur, Plut. 1168. et Thesm. 159. utrumque autem loco non est interrogativa, sed potius conclusiva.

Restat *ἦ* particula. Ac primum quidem illi, quos multi viri de *ἦ* vocula agentes non satis recte distinxerunt, loci, ubi duae pluresve res contrariae vel diversae cum interrogatione proponuntur vel plane sibi opponuntur, ita ut *ἦ* nullam aliam habeat vim nisi disiunctivam, hic in censum non veniunt. Quos si recte eximis, non ita saepe Aristophanes hac particula in interrogatione usus est. Sic *ἦ* vocula, quam in altero interrogationis membro a ceteris scriptoribus quam freqentissime ita adhibitam legimus, ut prius membrum

nullum habeat vocabulum interrogativum, sed sola vocis elatione proferatur, admodum raro apud comicum eodem modo invenitur. Quatuor locis, Ach. 769. Lys. 303. Av. 606. 1652. sententia affirmativa, non interrogatio praecedit, ut *ἦ* nulli alii particulae interrogativae respondeat, sed is, qui loquitur, ei, quam disseruit, rei quasi contrarium cum interrogatione per *ἦ* vocem inducta ponit, quo magis intellegatur, illam rem ita sese habere. [1])

Longe plurimis locis in priore membro ponitur particula interrogativa; ac primum quidem plerumque legitur *πότερον* vel *πότερα - ἦ*. Non paucis locis Aristophanis editores alius alibi pro *πότερον* voce, quam codices exhibent, scripserunt *πότερα*, quod et saepe permutentur *πότερον* et *πότερα* et hoc magis Atticorum atque Aristophani usitatissimum sit. Sed neque hoc neque illud recte sese habet; nam Kruegero teste in art. 64. 5. 2. *πότερον* omnino saepius in usu versatur et apud Aristophanem ego quidem multo plures inveni locos, in quibus *πότερον* libri praebent, quam in quibus *πότερα* legitur. Concedo quidem uno vel duobus locis *πότερα* suavius ad sonum esse quam traditum *πότερον*, sed haec causa sola mihi satis non est, non paucis locis a

---

[1]) cfr. Nitzsch. ad Odyss. p. 251.

In Plut. 485. exhibent cod. Rav.

οὐκ ἂν φθάνοιτε τοῦτο πράττοντες εἴ τι γὰρ
ἔχοι τις ἂν δίκαιον ἀντειπεῖν ἔτι;

(*εἴ* mutata est in *ἦ* a tertia manu correctrice), Venet. *πράττοντες εἴ τι γὰρ*, Vat. et Par. *πράττοντες ἦ*, pro quo Meinekius cum Bergkio optime edidit:

οὐκ ἂν φθάνοιτε τοῦτο πράττοντες· τί γὰρ κ. τ. λ.

Bekkerus aliorum quorundam codicum lectionem *πράττοντ' ἢ τί* secutus *ἦ* voculam retinuit, scribens

οὐκ ἂν φθάνοιτε τοῦτο πράττοντ'· ἢ τί γὰρ.

In eo si quis offendat, quod hic *ἦ* vocula ante *τί* pronomen vacare videtur, cum nemo non videat, *ἦ* vocem non interrogare, sed tantum interrogationis vim consistere in *τί* pronomine, idem habet Av. 1652. et Lys. 303, ubi *ἦ* ante *πῶς* et *πότε* particulis eodem modo collocatum est.

manuscriptorum lectione recedere, praesertim cum nonnunquam illa mutatione metri difficultas exoriatur, de qua paulo post agemus. Equidem πότερον ex codicibus optimis recipiendum esse censeo in Nub. 637 [1]), 642. Ran. 69. 1049. Eq. 1243. Ach. 1116. Vesp. 498. Av. 102. 104. Eccl. 24. 754. 1071. Thesm. 141. Lys. 464. 982. [2]) Duobus locis, Plut. 56. et Vesp. 1422. Bentleius traditum πρότερον emendavit in πότερον, quod Meinekius solus in contextum recte recepit, alii editores repudiaverunt, quamquam in Plut. loco futurum φράσεις, quod optime quadrat huic loco, in imperativum φράσον commutare coguntur, qua mutatione facta nihilominus sensus admodum languet. Nub. 835 in optimis codicibus traditum est πότερ' ἄν, quod ferendum non est. Brunckius, quem Bekkerus secutus est, cum falso πότερα Aristophani usitatissimum putaret, versum edidit

πότερα παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω;

qua in re, id quod ipse ad Thesm. 730. in versibus iambicis improbat, anapaestum tribracho adiecit. Cuius generis exempla, quae apud Latinos creberrima sunt, num etiam apud Graecos in versibus iambicis exstent, G. Hermannus in Nub. ed. II. ad h. l. nescit; Reisigius vero in coniect. p. 53—86. tredecim exempla ex comicorum Graecorum trimetris afferre studet, quae omnia corrigenda et iam maxima ex parte correcta sunt. [3]) Sed etiamsi omnia, quae Reisigius collegit, exempla certissima essent, tamen tantum abest, ut illum parvum locorum numerum coniectura facta hoc meo augendum esse existimem, ut potius quod deteriores codices praebent πότερον verum esse statuam, cum praesertim πότερ' οὖν, quod in Ran. 1141. invenimus, in hunc locum non quadrare G. Hermannus l. c. recte demonstraverit.

[1]) cfr. G. Herm. in Nub. ed. II. ad h. l.

[2]) cfr. Meinek. adn. critic.

[3]) cfr. Bamberg l. c. p. 18. seqq.

πότερα recte legitur Nub. 203. 1111. 1280. Ran. 1139. 1455. Ach. 734. Av. 422. 1244. Thesm. 91. 1222. in fragm. ap. Athen. IV. p. 133. a. Versum Ran. 1452, in quo item πότερα reperitur, cum recentibus editoribus spurium iudico.

Addere liceat, Aristophani non parum placuisse, id quod alii scriptores perraro admiserunt, simplicem interrogationem per πότερον vocem inducere, nam inter viginti octo locos, ubi πότερον vel πότερα omnino adhibuit, octo reperiuntur, quibus quod exspectamus alterum interrogationis per ἤ particulam prolatum membrum non sequitur. Loci sunt Av. 104. 427. Ran. 69. 1052. 1141. 1458. Thesm. 141. Nub. 203.

Ex aliis particulis, quae interrogationem in se continent, ἤ voculae in priore interrogationis membro praecedit ἆρα in Vesp. 484. Plut. 969. Ran. 64. Quarto loco, Vesp. 234, Meinekius non male bimembrem interrogationem simplicem per ἆρα inductam reddidit, ita ut ἤ voculam e contextu eiiceret, auctorem mutationis afferens Hamakerum.

μῶν - ἤ legimus Vesp. 274. Ach. 329.

Sed iam nihil cum habeam gravius, quod aut de hac particula aut de toto huius capitis dicam, restat, ut de paucis quibusdam rebus minoris momenti sermonem faciam. Ac primum quidem de ἄγε et φέρε vocabulis nonnulla, quae notanda putavi, addam. Quas voculas non paucis locis, ubi particularum naturam induunt, comicus directis quae vocantur interrogationibus, quas maiore cum vi et efficacitate proferri vult, praemittit. Atque ut ab ἄγε voce exordiar, nullo unquam loco sola, sed semper in sententiae initio posita cum δή vel νῦν particulis coniuncta legitur, et quidem cum δή vocula sociatur undecim locis, quorum quatuor exhibent tempus praesens, Nub. 836. Eq. 482. Pac. 922. Av. 809, totidem coniunctivum deliberativum Pac. 263. Ran. 278. Av. 1504. Thesm. 652., quibus omnibus φέρε τί δρῶμεν; legitur, tres futurum, Plut. 56. Ran. 460. Thesm. 765. νῦν particula quatuor locis adiecta est, qui omnes inveni-

untur in Vespis, quorum tribus, 303. 381. 1174. legitur futurum, coniunctivus deliberativus in versu, qui superest, 211.

Multo crebrius *φέρε* vocula eodem modo a comico usurpata est eaque semper interrogationi per vocabulum aliquod interrogativum inductae praemittitur, excepto uno loco, qui est Nub. 366.

ὁ Ζεὺς δ' ἡμῖν, φέρε, πρὸς τῆς γῆς, οὑλύμπιος οὐ θεός ἐστιν;

Is quoque versus solus est, ubi *φέρε* non in interrogationis initio positum est, quod hoc loco facile excusatur. Id, quod Meinekius vult, *φέρε* cum *πρὸς τῆς γῆς* verbis coniungendum esse, qua de causa ita interpungit *ὁ Ζεὺς δ' ἡμῖν, φέρε πρὸς τῆς γῆς*, recte sese non habet, cum *φέρε* tantum ad interrogationem maiore cum vi et vivacitate efferendam ponatur.

Ex aliis particulis *φέρε* voci sociatum legimus *γάρ* Nub. 903, *δή* Nub. 939. Eq. 1058, in fragm. ap. Stephan. Byzant. s. v. *Τελμισσός*, *δή νυν* Thesm. 768, *νύν* Vesp. 826. Longe plurimis locis *φέρ' ἴδω* voculae coniunctae sunt, quae formula ubique, cum primariae significationis nihil in se contineat, semper particularum loco in constructionem venit. Cuius rei exempla afferre longum est, cum in omni fabula, ea, quae inscribitur Ranae, excepta, multa obvia sint.

Tum paucis afferam, Aristophani non displicuisse interrogationibus cum gravitate et vivacitate proferendis interrogationem *τί φῄς;* praemittere, velut Av. 302. 416. Plut. 81. 399. Nub. 235. Pac. 872.

Denique verbo tantum commemoro, *ἄληθες* neutrum accentu mutato [1]) in interrogatione mirabunda aut cum ironia prolata significans „itane?", „profecto?" [2]), quo Sophocles bis tantum hoc modo usus est, Aristophanem

[1]) cfr. Scholion ad Eq. 89. et Nub. 881.

[2]) cfr. Brunckium ad Ran. 839. et Dindorfium, qui ad l. c. Ioann. Alex. Ms. ex Herodiano locum de hac re longiorem adiecit.

decies ter usurpavisse, in Ran. 837. Nub. 839. Eq. 89. Ach. 557. Vesp. 1223. 1412. Av. 174. 1049. 1606. Lys. 433. 840. Plut. 123. 402.

Quibus allatis cum iam nimis diu in hoc dissertationis capite moratus esse mihi videar, quamquam non ignoro, non pauca exstare, de quibus hoc loco excursum facere oporteat, ut est quaestio, num Aristophanes in enuntiatorum interrogativorum fine voluerit *ἐστίν* copulae ultimam elidi, vel quatenus comico proprium sit in sententiis interrogativis cum ellipsi dicere, tamen ne tempus teram in proferendis rebus minoris momenti, praesertim cum de singulis rebus viri doctissimi hic illic abundanter egerint [1]), finem huic dissertationi faciendum esse puto. Transeamus iam ad huius dissertationis tertiam, quae superest, partem.

Tertium caput.

De modo in interrogationibus rectis.

Quia in hac parte id agendum mihi proposui, ut, qui modorum in interrogationibus rectis apud comicum usus fuerit, demonstrarem, primum moneo, cum neque omnino apud Graecos magna modorum varietas in enuntiatis interrogativis in usu sit neque Aristophanes ea in re multum ab aliis scriptoribus differat, mihi in animo non esse, totum hunc usum fusius explicare multaque exempla afferre; immo vero paucis tantum rem complectar et minus usitata proferam. Atque ut missum faciam, comicum frequentissime usurpasse coniunctivum, qui dicitur deliberativus, breviter tantum profero locos, ubi huic coniunctivo praemittitur *βούλει* vel *βούλεσθε*.

[1]) cfr. Reisig. Diar. Ien. a. 1817. n. 223. et Bamberg l. c.

Thesm. 553. *ἐπεὶ βούλεσθε πλείον' εἴπω;*
Ran. 416. *βούλεσθε δῆτα κοινῇ*
σκώψωμεν Ἀρχέδημον;
ibid. 127. *βούλει κατάντη καὶ ταχεῖάν σοι φράσω;*
Eq. 36. *βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω;*
ibid. 52. *βούλει παραθῶ σοι δόρπον;*
Lys. 821. *τὴν γνάθον βούλει θένω;*
ibid. 938. *βούλει μυρίσω σε;*

Qui idem coniunctivus deliberativus adhibitus est in interrogationibus cum admiratione vel ironia prolatis, ita quidem, ut verbum, quo in sententia antecedenti aliquid imperabatur, aut simile quoddam iteretur, velut

Thesm. 242. Euelp. *θάρρει.* Mnesil. *τί θαρρῶ καταπεπυρπολημένος;*
Ran. 117. Lib. *μηδὲν ἔτι πρὸς ταῦτ', ἀλλὰ φράζε τῶν ὁδῶν*
ὅπῃ τάχιστ' ἀφιξόμεθ' εἰς ᾅδου κάτω·
καὶ μήτε θερμὴν μήτ' ἄγαν ψυχρὰν φράσῃς;
Herc. *φέρε δὴ τίν' αὐτῶν σοι φράσω πρώτην; τίνα;*
ibid. 616. Xanth. *βασάνιζε γὰρ τὸν παῖδα τουτονὶ λαβών,*
κἄν ποτέ μ' ἕλῃς ἀδικοῦντ', ἀπόκτεινόν μ' ἄγων.
Aeac. *καὶ πῶς βασανίσω;*
ibid. 1132. Lib. *Αἰσχύλε, παραινῶ σοι σιωπᾶν· εἰ δὲ μή,*
πρὸς τρισὶν ἰαμβείοισι προσοφείλων φανεῖ.
Aeschyl. *ἐγὼ σιωπῶ τῷδ'* [1])
ibid. 1227. *ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν ἀποπρίω τὴν λήκυθον,*
ἵνα μὴ διακναίσῃ τοὺς προλόγους ἡμῶν;
Eurip. *τὸ τί;*
ἐγὼ πρίωμαι τῷδ'; [2])
Lys. 529. Lys. *σιώπα.*
Prov. *σοί γ', ὦ κατάρατε, σιωπῶ 'γώ, καὶ ταῦτα*
κάλυμμα φορούσῃ
περὶ τὴν κεφαλήν; μή νυν ζῴην.

[1]) cfr. Meinek. adn. critic.
[2]) codices praebent *ἐγὼ 'ποπρίωμαι τῷδ';*

Pac. 1277. Tryg. *ἀνδρῶν οἰμωγή; κλαύσει νὴ τὸν Διόνυσον*
οἰμωγὰς ᾄδων, καὶ ταύτας ὀμφαλοέσσας.
Puer. *ἀλλὰ τί δῆτ' ᾄδω;*
Eccl. 132. Prax. *λέγοις ἄν.* Mulier. *εἶτα πρὶν πιεῖν λέγω;*

Quo in genere loquendi qui optimos codices exaraverunt nonnunquam peccaverunt, nam non paucis locis libri indicativum, raro etiam optativum exhibent, qui modi omnibus his locis in coniunctivum illis exemplis allatis ducibus mutandi sunt. Loci sunt.

Av. 162. Pisth. *φεῦ φεῦ·*
ἦ μέγ' ἐνορῶ βούλευμ' ἐν ὀρνίθων γένει,
καὶ δύναμιν, ἣ γένοιτ' ἄν, εἰ πίθοισθέ μοι.
Ep. *τί σοι πιθώμεθ';* Pisth. *ὅ, τι πίθησθε;*

ubi cod. Veneti scriptura est Ep. *τί σοι πιθοίμεσθ';* Pisth. *ὅ, τι πίθοισθε;* cod. Ravennatis Ep. *τί σοι πιθώμεσθ';* Pisth. *ὅ, τι πείθοισθε;* [1])

Thesm. 936. Mne. *ὦ πρύτανι, πρὸς τῆς δεξιᾶς, ἥνπερ φιλεῖς*
κοίλην προτείνειν, ἀργύριον ἤν τις διδῷ,
χάρισαι βραχύ τί μοι, καίπερ ἀποθανουμένῳ.
Pryt. *τί σοι χαρίσωμαι.* Cod. Rav. *χαρίσομαι.*
Nub. 87. Str. *ὦ παῖ πιθοῦ μοι.* Phid. *τί δὲ πίθωμαι δῆτά σοι;*

quod legitur ex C. Fr. Herrmanni emendatione. Cod. Rav. exhibet *πιθοῦ μοι. — τί οὖν πείθομαι δῆτά σοι;* Cod. Venet. *πιθοῦμαί. — τί οὖν πείθομαι δῆτά σοι;* alii codd. *πιθοῦ. τί οὖν πιθοῦμαι δῆτά σοι;*

Vesp. 760. Bdelycl. *ἴθ' ὦ πάτερ πρὸς τῶν θεῶν ἐμοὶ πιθοῦ.*
Philocl. *τί σοι πίθωμαι; λέγ' ὅ τι βούλει πλὴν ἑνός.*

cod. Rav. et Venet. *τί σοι πείθομαι; πείθωμαί σοι;* reliqui.

[1]) cfr. Fritzsch. qui ad Thesm. 23. 24. versum ita legit:
εἰ πίθοισθέ μοι.
Ep. *τί σοι πιθοίμεσθ';* Pisth. *ὅ, τι πίθοισθε;*

Ach. 298. Dic. *ἀντὶ δ' ὧν ἐσπεισάμην οὐκ ἴστε. μάλλ' ἀκούσατε.*
Chor. *σοῦ γ' ἀκούσωμεν; ἀπολεῖ· κατά σε χώσομεν τοῖς λίθοις.*
Rav. *ἀκούσομεν;*

Verbo liceat mihi commemorare coniunctivum deliberativum excipi ab optativo cum *ἄν* particula coniuncto

Pac. 520. *ὦ πότνια βοτρυόδωρε, τί προσείπω σ' ἔπος;*
πόθεν ἂν λάβοιμι ῥῆμα μυριάμφορον
ὅτῳ προσείπω σ';

Av. 172. Meinekius pro tradita lectione *τί ἂν οὖν ποιοῖμεν;* ex Cobeti et Kusteri emendationibus scripsit *τί οὖν ποιῶμεν;* Fateor quidem hanc mutationem per se optimam esse, qua cum hic locus ad usitatissimum huius generis loquendi usum revocetur et gravis hiatus leniatur, attamen necessaria esse mihi non videtur, nam primum huiuscemodi hiatus non paucos apud comicum inveniri iam ante demonstravimus, tum optativum cum *ἄν* particula coniunctum in eodem genere dicendi praeter versum Pac. 521, quem paulo ante attuli, exhibet locus Ran. 296. *ποῖ δῆτ' ἂν τραποίμην;*

In paucis eiusmodi interrogationibus cum ironia et cum iracundia indignationeque prolatis, futuri temporis indicativus legitur, in

Ach. 811. *οὐχ ἁπάντων, ὦ πανοῦργε; ταῦτα δὴ τολμᾷς λέγειν*
ἐμφανῶς ἤδη πρὸς ἡμᾶς; εἶτ' ἐγώ σου φείσομαι;
Nub. 259. *εἶτα δὴ τί κερδανῶ;*
Vesp. 52. *εἶτ' οὐκ ἐγὼ δοὺς δύ' ὀβολὼ μισθώσομαι*
οὕτω σ' ὑποκρινόμενον σοφῶς ὀνείρατα;
Ran. 188. *εἶτα πῶς περαιωθήσομαι;*
ibid. 208. *κᾆτα πῶς δυνήσομαι*
ἄπειρος ἀθαλάττωτος ἀσαλαμίνιος
ὢν εἶτ' ἐλαύνειν;
Lys. 24. *κᾆτα πῶς οὐχ ἥκομεν;* [1])
ibid. 914. *ἔπειτ' ὀμόσασα δῆτ' ἐπιορκήσω τάλαν;*

[1]) cfr. Meinek., qui hunc versum ut spurium sub contextum posuit.

Silentio praetereo permultis locis apud comicum in interrogationibus optativum cum *ἄν* particula coniunctum inveniri, hoc unum addo, hanc loquendi rationem non raro optantis esse, ita quidem, ut is qui loquitur, de eo, quod optat, quaerat, quomode aliquid fiat, si fiat.[1]) Loci sunt.

Nub. 78. *ἀλλ' ἐξεγεῖραι πρῶτον αὐτὸν βούλομαι.*
πῶς δῆτ' ἂν ἥδιστ' αὐτὸν ἐπεγείραιμι; πῶς;
ibid. 874. *πῶς ἂν μάθοι ποθ' οὗτος ἀπόφευξιν δίκης*
ἢ κλῆσιν ἢ χαύνωσιν ἀναπειστηρίαν;
Eq. 15. *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν;*
ibid. 460. *πῶς ἂν σ' ἐπαινέσαιμεν οὕτως ὥσπερ ἡδόμεσθα;*
Vesp. 165. *οἴμοι δείλαιος·*
πῶς ἂν σ' ἀποκτείναιμι; πῶς; δότε μοι ξίφος
ὅπως τάχιστ', ἢ πινάκιον τιμητικόν.
Ach. 991. *πῶς ἂν ἐμὲ καὶ σέ τις Ἔρως ξυναγάγοι λαβών,*
ὥσπερ ὁ γεγραμμένος ἔχων στέφανον ἀνθέμων.
Pac. 68. *πῶς ἄν ποτ' ἀφικοίμην ἂν εὐθὺ τοῦ Διός;*
Av. 1436. Syc. *ὦ δαιμόνιε μὴ νουθέτει μ' ἀλλὰ πτέρου.*
Pisth. *νῦν τοι λέγων πτερῶ σε.* Syc. *καὶ πῶς ἂν λόγοις*
ἄνδρα πτερώσειας σύ;
Thesm. 1015. *φίλαι παρθένοι, φίλαι, πῶς ἂν οὖν ἐπέλθοιμι καὶ*
τὸν Σκύθην λάθοιμι;
ibid. 22. *πῶς ἂν οὖν*
πρὸς τοῖς ἀγαθοῖς τούτοισιν ἐξεύροις ὅπως
ἔτι προσμάθοιμι χωλὸς εἶναι τὼ σκέλη; [2])

[1]) cfr. G. Hermannum in dissertatione „de *ἄν* particula“ III. 10. p. 170., qui refutat Valkenarium dicentem, Sophoclem semel tantum *πῶς ἄν;* ita posuisse, et Klotz. ad Devar. p. 106.

[2]) cfr. de varia codicum lectione *ἐξεύροιμ'* et *προσμάθοι* Fritzsch. in Thesm. ed. ad. h. l. et Meinekii adn. critic.

Nub. 729. *οἴμοι τίς ἂν δῆτ' ἐπιβάλοι*
ἐξ ἀρνακίδων γνώμην ἀποστερητρίδα;
Vesp. 484. *ἆρ' ἂν ὦ πρὸς τῶν θεῶν ὑμεῖς ἀπαλλαχθεῖτέ μου;*
Lys. 1086. *τίς ἂν φράσειε ποῦ 'στιν ἡ Λυσιστράτη;*
Ran. 431. *ἔχοιτ' ἂν οὖν φράσαι νῷν*
Πλούτων ὅπου 'νθάδ' οἰκεῖ;

Atque hic movenda est quaestio admodum difficilis, num nudus optativus in interrogationibus apud Aristophanem inveniatur. Qua dicendi ratione quin Graeci scriptores omnino usi sint, nullo modo dubitari potest.[1]) Aristophanis codices optativum sine *ἂν* particula in interrogationibus praebent ter, in Plut. 374. 438. Eccl. 667. Recentes vero omnes, quos vidi, editores coniecturas Brunckii et Kusteri his tribus locis in contextum receperunt. Quod num recte fecerint, nunc paucis videamus ac primum locos ipsos contemplemur. Eccl. 667. Blepyro interroganti *οὐδ' αὖ κλέπτης οὐδεὶς ἔσται;* Praxagora respondit cum interrogatione *πῶς γὰρ κλέψαι μετὸν αὐτῷ;* optativum *κλέψαι* Brunckius in futurum *κλέψει* mutavit, qua in re eum secuti sunt omnes recentes editores. Plut. 438. Blepsidemus audito Paupertatis nomine aufugiens exclamat: *ἄναξ Ἄπολλον καὶ θεοί, ποῖ τις φύγοι;* pro quo Brunckius ceterique omnes editores scripserunt *φύγῃ;* Ibid. 374. Blepsidemus Chremylum frustra tentare atque explorare conatus exclamat *ὦ Ἡράκλεις, φέρε ποῖ τίς οὖν—τράποιτο; τἀληθὲς γὰρ οὐκ ἐθέλει φράσαι,* quod Kusterus mutavit in *φέρε ποῖ τις ἂν τράποιτο;* Atque ut ego quid sentiam his de tribus locis dicam, in locis corrigendis nullam litterarum commutationem faciliorem esse posse quam quae fit in Brunkii et Kusteri coniecturis satis apparet. Quae num omnino necessariae sint, nunc paucis consideremus. In Eccl. 667. *κλέψαι*

[1]) cfr. G. Herrmann. l. c. V. p. 154. seqq. Stallbaumium ad Plat. Civ. 518. E. Hartungium II. p. 270 seqq. Aken „Tempus et Modi" p. 197. seqq., qui quid intersit, utrum *τίς ἂν λέγοι* dicas, an *τίς λέγοι* optime exponit.

optativum nullo modo ferri posse liquet, itaque nullus ego dubito, quin Brunckii mutatio facillima pro vera emendatione recipienda sit. Plut. 438. *φύγῃ* coniunctivum deliberativum multo aptiorem esse optativo nemo negabit. Coniunctivus est deliberantis, optativus iudicium exquirentis.[1]) Nostro loco Blepyrus, postquam circumstantes Paupertatis nomine audito diffugerunt, perterritus aufugiens cum deliberatione vocem emittit: „O rex Apollo diique quo quis fugiat?" quod Graecorum est *ποῖ τις φύγῃ;* quam ob rem Brunckius verissime *φύγῃ* restituisse mihi videtur. Aliter iudico de versu, qui restat, Plut. 374. Hoc loco tantum abest, ut Kusteri coniecturam, quam omnes editores receperunt, veram atque bonam existimem, ut faciam cum G. Hermanno, qui l. c. p. 158. traditae lectionis sensum optime ad connexum congruentem exponit.

Sed satis de hac re. Tempus futurum indicativi modi cum *ἂν* particula coniunctum in interrogationibus apud comicum non inveni. Nam in eo, quod Nub. 465. nonnulli codices deteriores praebent *ἆρά γε τοῦτ' ἂν ἐγώ ποτ' ὄψομαι;* particulam *ἄν*, quam Brunckius recepit, non ad futurum, sed ad *τοῦτο* pronomen referendum esse G. Hermannus l. c. p. 33. recte docuit, qui idem Suidae et codicis Venet. lectionem *ἆρά γε τοῦτ' ἆρ',* quam Reisigius edidit, ferendam non esse, sed aliorum librorum scripturam *ἆρά γε τοῦτ' ἄρ',* cum *ἄρα* post *ἆρα* vocem defendi possit, pro vera reponendam esse demonstravit.

Postremum Aristophani non displicuisse in interrogationibus *ἂν* particulam repetere breviter tantum addam, cum quomodo id fiat, G. Hermannus l. c. p. 188. satis dixerit. Exempla apud comicum leguntur Nub. 840. Eq. 17. Vesp. 171. Ach. 306. Ran. 1449. Eccl. 118. Pac. 68. Lys. 145. 193. 962. Av. 1147. Thesm. 196. ad quem locum videas velim Fritzschium in Thesm. editione.

[1]) cfr. G. Hermann. l. c. p. 157.

Theses.

I. 1) In Euripid. Ion. versu 959.

ΠΑΙ. καὶ πῶς ἐν ἄντρῳ παῖδα σὸν λιπεῖν ἔτλης;

959. *ΚΡ. πῶς δ'; οἰκτρὰ πολλὰ στόματος ἐκβαλοῦσ' ἔπη.*

Elmslei coniectura

ὡς οἰκτρὰ πολλὰ στόματος ἐκβαλοῦσ' ἔπη.

ab editoribus iniuria neglecta est.

2) In Antiphane apud Athen. 402. d.

κρέα δὲ τίνος ἥδιστ' ἂν ἐσθίοις; Β. τίνος; εἰς συντέλειαν.

pro *τίνος; — εἰς συντέλειαν* scribendum est *τινὸς — εἰς συντέλειαν.*

II. 1) In Ovid. Trist. IV. 10. 107. pro Merkeli lectione

Totque tuli casus pelagoque terraque, quod inter
Occultum stella conspicumque polum.

legendum esse conicio

Totque tuli casus pelago terraque, quod inter etc.

2) ibid. V. III. 32.

Ut tamen audisti percussum fulmine vatem,
Admonitu matris condoluisse potes.

pro admonitu matris scribendum esse arbitror admonitus matris.

Vita.

Natus sum Theodorus Ludwig, Seeburgensis, parentibus Franzisco et Elisabeth e gente Williana. Fidei addictus sum catholicae. Per octo annos frequentavi gymnasium Roesseliense, quod auspiciis viri doctissimi Josephi Frey tum florebat et adhuc floret. Maturitatis testimonium nactus autumno anni 1876 Regimontium me contuli, ut studiis philologicis me darem. Per quinque annos interfui scholis quas habebant Proff. Bezzenberger, Friedlaender, Garbe, Hirschfeld, Jordan, Lehrs†, Ludwig, Prutz, Quaebicker†, Ruehl, Schade, Walter, quibus omnibus semper gratam memoriam servabo.

Per unum annum proseminarii, per tria semestria seminarii regii philologici sodalis fui.

EB

